



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.






600009353Q

32.

70.



THEOLOGIA
MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGICÆ LICENTIATI, ECCLESIE METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIPRESB.
NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIE SUMMORUM

PONTIFICUM, PRÆSERTIM

VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ ETC.

TOMUS VII.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE. ORDINE, MATRIMONIO, ET QUATUOR
NOVISSIMIS.

DUBLINII:
EX TYP. RICHARDI COYNE,
IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET
BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

70.




THE BODLEIAN
UNIVERSITY OF OXFORD

IN TRACTATU DE JEJUNIO

No. 273, PAG. 438.

AUTHOR agens de Bullâ Benedicti XIV., confundit eandem refectioem cum eodem die ; in eâdem quippè refectioe non licet carnes et pisces mixtis epulis comedere tunc quandò de abstinentiâ dispensatum est ; licet autem eodem die : v. g. Si quis in quadragesimâ die dominico pransus sit carnibus, nihil vetat quin pro cœnâ ad abstinentiæ rigorem redeat, edendo pisces. Cæterùm adeò expressis verbis **EANDEM MENSAM, PERMIXTAS EPULAS**, Pontifex declaravit, ut dum eam prohibitionem de eodem die interpretatur **Author**, Bullam Pontificis non legisse aut amisisse ex memoriâ videatur.



PROOEMIUM.

I. VARIA sunt hujus Sacramenti nomina : à materia Græci illud vocant Oleum Sanctum ; à materia et forma, simul ab iisdem appellatur Oratio cum Oleo ; à subjecto, cui confertur, dicitur à Latinis Uctio infirmorum, item Sacramentum exeuntium ; ab effectu quem parit, nuncupatur à Concilio Tridentino Pœnitentiæ consummativum Sacramentum.

II. Pro compendio et facilitate dicendorum præmittimus iterum Decretum Eugenii IV. seu, ut alii dicunt, Concilii Florentini pro instructione Armenorum : “ Quintum Sacramentum est Extrema-Uctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum : hoc Sacramentum, nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet ; qui in his locis ungendus est : in oculis propter visum ; in auribus propter auditum ; in naribus propter odoratum ; in ore propter

PROËMIUM.

“ gustum vel locutionem ; in manibus prop-
“ ter tactum ; in pedibus propter gressum ;
“ in renibus propter delectationem ibidem
“ vigentem. Forma hujus Sacramenti est
“ hæc: Per istam Uctionem et suam piissi-
“ mam misericordiam indulgeat tibi Do-
“ minus, quidquid deliquisti per visum, &c.,
“ et similiter in aliis membris. Minister hujus
“ Sacramenti est Sacerdos : effectus verò est
“ mentis sanatio, et, inquantùm expedit, ipsius
“ etiam corporis. De hoc Sacramento inquit
“ Beatus Jacobus Apostolus : (cap. 5.) Infir-
“ matur quis in vobis ? inducat Presbyteros
“ Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum
“ Oleo in nomine Domini, et oratio fidei sal-
“ vabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ;
“ et si in peccatis sit, remittentur ei.”

ANNOTATIO

IN THEOLOGIAM PETRI DENS.

*Tract. de Matrimonio, No. 29. Pag. 178.
Edit. Leod. 1786.*

MOMENTA pro veteri ac olim communissimâ sententiâ, “quòd contrahentes sint Ministri Sacramenti,” diluere non studuisset vir prudens ac frugi, si prævidere potuisset quanti abusus quàmque heterodoxæ doctrinæ oritura aliquandò essent ex illâ quam affectare videtur, probabili cæterùm ac Catholicâ sententiâ. Cùm enim illi qui defendunt Sacerdotem esse hujus Sacramenti Ministrum, eò redigantur ut separare aliquandò a Matrimonio valido et Christiano dignitatem Sacramenti, omninò debeant (quod in veteri illâ ac nativo sane lumine conspicuâ sententiâ non fit unquàm, nec fieri apud Christianos potest); eâ separatione nimis quantùm abutentes, cùm inconsulti quidam Theologi, si tamen hoc dignandi sint nomine, tùm Juriconsulti ecclesiasticæ potestatis osores, Christianum conjugium pro re merè civili ac politicâ habendum esse dicitârunt, tantùmque

sibi sumpserunt audaciæ, ut doctrinam universalis Synodi Tridentinæ quæ impedimenta dirimentia spectat, vel exploderent protervè vel ridiculâ explicatione eluderent. Quem scopulum plenis velis effugimus, dùm inseparabilia omninò et Matrimonium et Sacramentum dicimus, cum illis demùm omnibus qui a recentiori opinione abstinent, et illam quam Benedictus XIV. “communiorem” vocat “magisque receptam sententiam,” majorum more profitentur.

Attamen pro Authoris nostri et magni nominis Theologorum vindiciis, hoc diligenter observandum, in illâ quoque sententiâ falsa penitès esse, neque minùs orthodoxæ doctrinæ quàm logices accuratæ regulis adversari profana illa ac ethnica de Christianorum conjugio paradoxa, quæ ad unius Launoji, hominis dubiæ ut minimùm fidei et malignioris notæ hypercritici, exemplum, recentiores ævi scribatores quidam evulgârunt. Est enim Ecclesiæ potestas constituendi impedimenta solventia Matrimonium independentè a suâ qualitate Sacramenti; quia Matrimonium etsi non esset Sacramentum, esset tamen contractus non merè civilis, sed religiosus, sed Christianus, sed secundum Evangelii leges initus, quas sanè Ecclesia leges habet pro deposito quodam sacratissimo sibi soli commissas. An nimirùm consul aut prætor sarta tecta servabit, vel an serventur judicabit, hæc leges: *Erunt duo in carne unâ... Quod Deus conjunxit, homo non separet... Dico autem vobis: quia quicumque dimiserit uxorem,*

&c. Matth. 19....*Judicavi eum qui sic operatus est, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis.* 1. Cor. 5....*Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere..... Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino.* 1. Cor. 7. *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus.* Heb. 13....*An arguet, si Uxorem patris sui aliquis habeat* 1. Cor. 5.....*Nonne dùm diceret Christus (Matth. 5. v. 32.) Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, facit eam mæchari : et qui dimissam duxerit, adulterat, consuluerat civium mores et leges, insanumque forum aut populi tabularia ?....* Porro si nullum sit apud Ecclesiam jus hâc in materiâ intercedendi, quis ethnicos aut barbaros ritus a Christianorum conjugio arcebit ? Quis polygamiam aut polyandriam justo imperio profligabit ? Quis vetabit ne communitas uxorum ex Platonis et Catonis mente constituatur ? Ne vinculum Matrimonii rumpatur ? Ne frater, Ægyptiaco more, sororem ducat ? Ne juxta Neronis et Heliogabali exempla solemnesque nuptias, et doctrinam a Paulo (Rom. 1.) detestatam, viris nubant viri ?.... Numquid Platone sapientiores, graviores Catone sunt, qui leges hodiedùm figunt atque refigunt ? Numquid exploratiora habent naturæ et rationis jura ?..... Heu mihi ! quò recident Christiani mores, conjugalis sanctitas, et in universum quæ ad castitatem, rem in Evangelio summam, quovis modo se vertunt ? Anne tantâ in re atque causâ, magna illa, fœcunda, sollicita, sancta Christianorum

mater, Ecclesia mutam et alienam se præstabit, neque fandi quidquam aut imperandi suis ipsa filiis acceperit a sponso potestatem ?

Quis autem tam insulsè se dabit, ut vetandi quidem, non autem dirimendi ejusmodi contractus, contendat jus esse apud Ecclesiam Christi? Nam si ita esset, ergò et valida nefandi Matrimonii vincula et religiosè servanda, et perseverare in illis Fideles deberent.....Sed ne diutiùs istis pseudophilosophiæ deliramentis detineamur, huic quæ per iniquitatem temporum necessaria videbatur, annotationi finem facimus.

TRACTATUS

DE

Sacramento

EXTREMÆ-UNCTIONIS.

N. I. DE INSTITUTIONE HUIUS SACRAMENTI.

I. *Extremæ-Uncionis.* II. *Definitio.* III. *Probatum esse Sacramentum.* IV. *Institutum à Christo, promulgatum à Jacobo.* V. *Est immediatè à Christo institutum.* VI. *Verosimiliter post Resurrectionem.*

I. HOC Sacramentum communiter vocatur Extrema-Uncio, tum quod infirmis in extremo vitæ periculo constitutis soleat administrari, tum quòd, cum multæ in Ecclesia Unciones sint, ut in Baptismo duæ, in Confirmatione una, & in Ordine una, hæc omnium sit postrema.

Quid est Extrema-Uncio?

II. Resp. Est Sacramentum, in quo infirmus Oleo Sacro à Sacerdote inungitur sub præscripta verborum forma ad sanitatem mentis & corporis.

Undenam probatur esse Sacramentum?

III. R. Ex Epistola S. Jacobi c. 5. v. 14 & 15. ex definitione Conc. Trid. & Florent. & ex Traditione & continuo usu Ecclesiæ, tam Latinæ quàm Græcæ; imò ipsi Græci Schismatici hoc Sacramentum admittunt, sed negârunt Lutherus & Calvinus.

A quo institutum est hoc Sacramentum?

IV. R. Concilium Trid. sess. 14. c. 1. de Extr. Uncione: "Instituta est autem Sacra hæc Uncio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti,

“ à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei.”

Demonstra, omnia essentialia hujus Sacramenti à Jacobo designari?

R. Dicendo v. 14. “Infirmatur quis,” designat subjectum esse hominem periculosè infirmum, eumque baptizatum, addendo in vobis, id est, fidelibus: dicendo “inducat Presbyteros;” significat, Ministrum esse Sacerdotem: per hæc “Orent super eum... & oratio fidei” formam illius deprecativam denotat: verbo “ungentes” denotat, materiam proximam esse Uncionem; et per sequentia “Oleo in Nomine Domini;” materiam remotam esse Oleum benedictum; in verbis salvabit infirmum et alleviabit, &c. effectus hujus Sacramenti explicat.

Obj. In illa Epistola tantùm agitur de naturali virtute Olei ad sanandos morbos corporales, & de gratia curationum gratis data: ergo, &c.

R. Nego anteced. quia tunc non jussisset vocari Presbyteros, sed Medicos, vel eos, qui habent donum curationum, quod non erat datum Presbyteris omnibus, neque eis solis.

2º. Gratia curationum non erat data pro solis infirmis, de quibus tantum agit S. Jacobus, sed etiam pro cæcis, claudis, &c.

3º. Remissio peccatorum, quam ponit S. Jacobus ut effectum istius Uncionis, non potest tribui naturali virtuti Olei vel gratiæ curationum.

Unciones adhibitæ ab Apostolis Marc. cap. 6. v. 13. “Ungebant Oleo multos ægros, & sanabant,” non erant Sacramentales; quia solùm aut præcipuè referebantur ad curationem morbi corporalis: Sacramenta autem per se ad animam pertinent, ad corpus per accidens, & ad summum secundariò: unde figuræ tantùm fuerunt istæ unctiones, quibus insinuatum fuit hoc Sacramentum, ut loquitur Trid. sess. 14. “de Extrema-Uncione” cap. 1.

An hoc Sacramentum immediatè à Christo est institutum?

V. R. S. Th. Suppl. quæst. 29. art. 3. Affirmativè; colligitur ex Trid. sess. 14. cap. 1. & can. 1. docente, illud esse per S. Jacobum promulgatum; judicavit ergo, non ab eo, sed à Christo esse immediate institutum.

Quandonam Christus illud instituit?

VI. R. Tempus illud incertum est, verosimiliùs tamen instituit post Resurrectionem suam, tempore quadraginta dierum, quibus locutus est Discipulis suis de Regno Dei, sive de Rebus Ecclesiæ, & quibus, ut ait S. Leo, magna confirmata sunt Sacramenta: verosimiliùs etiam illud instituit post institutum Sacramentum Pœnitentiæ, cujus est perfectio & consummatio.

N. 2. DE MATERIA EJUS REMOTA.

S. Thom. suppl. quæst. 29. a. 4, 5, & 6.

I. *Materia remota Oleum olivæ* II. *Benedictum* III. *Benedictione speciali* IV. *Ab Episcopo.* V. *Mixtio olei benedicti cum non benedicto.* VI. *Observatio practica.*

QUÆNAM est materia remota Sacramenti Extremæ-Uncionis?

I. R. Est Oleum Olivæ ab Episcopo benedictum: ita conc. Flor. in Decreto ad Armenos, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. de Extr. Unct.

Quòd materia remota sit oleum, clarè expressit S. Jacobus, “ungentes eum oleo:” quòd necessariò debeat esse oleum olivarum, probat S. Th. art. 4. ex eo, quòd illud solum sit oleum simpliciter & propriè dictum; sicut sola aqua elementaris simpliciter dicitur aqua.

Materia hæc optimè repræsentat effectus hujus Sacramenti; oleum enim sanat, lenit, recreat, penetrat ac lucet. Vide S. Thom. art. 4.

Debet oleum esse benedictum ad significandum, inquit Estius, quòd non suapte naturâ, sed Spiritûs Sancti virtute morbis animæ medcatur.

II. Probabilius est, requiri de necessitate Sacramenti, quòd oleum sit benedictum; quia Conc. Flor. & Trid. docent, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, quod de materia essentiali haud dubiè intelligendum est, cùm Veteres hanc olei benedictionem exigant & commendent.

Rationes congruentiæ dat S. Th. art. 5. in Corp.

III. Imò verosimile est, Chrisma vel Oleum Catechumenorum non esse materiam sufficientem; quia benedictio illorum impertinens est ad hoc Sacramentum; sicuti enim, inquit Sylvius, sunt paria non habere instrumentum & habere instrumentum impertinens, ita etiam sunt paria

oleum non esse benedictum & esse benedictum benedictione impertinente: ex quo deducunt Pauwels & Braunmam conformiter ad doctrinam S. Caroli Borr., quòd Pastor, si sumendo unum vasculum pro alio hoc Sacramentum administraverit in oleo impertinente, debeat cum oleo competenti iterare saltem sub conditione.

Obj. Christus non præscripsit ullam benedictionem.

R. Neg. antec. potest autem id factum esse alterutro ex his modis: 1^o. ut aliquam in particulari determinaverit quoad sensum seu substantiam quæ perseverat in traditione: 2^o. ut in generali eam prescripserit in particulari determinandam per Ecclesiam, quâ determinatione factâ, illa benedicendi forma sola sufficiens erit.

IV. Benedictionis illius Minister ordinarius est Episcopus; extraordinarius simplex Sacerdos; sed non nisi ex commissione Summi Pontificis accepta specialiter, vel ex consuetudine, ut apud Græcos, ubi simplices Presbyteri Oleum infirmorum benedicunt: commissionem hanc probabiliter dare non possunt Episcopi.

Oleum infirmorum, quod est materia hujus Sacramenti, simul cum Chrismate & Oleo Catechumenorum singulis annis in die Cœnæ Domini solemniter benedicitur ab Episcopo, qui illa distribuit Archipresbyteris, & hi Pastoribus: ad hoc unusquisque Pastor adfert tria vascula argentea vel stannea, litteris ad distinctionem notata, in quibus poni solet bombycina vel alia materia bibula, ad evitandum effusionis periculum.

Accersitis novis, Olea vetera comburuntur, & cineres in sacrarium mittuntur, vel si copia sit major, consumi potest in lampade coram venerabili Sacramento, & hac occasione notari potest Decretum Synodi secundæ Provincialis Mechliniensis tit. 7. c. 2. “Ubicumque locus ab
“hostibus aut prædonibus est tutus, & facultates Ecclesiæ
“ferunt, continuò tam de nocte quàm de die ante Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ lumen ardeat, alibi
“saltem sub Officio Divino.”

Quid faciendum, dum deficit Oleum ab Episcopo feria quinta benedictum, nec aliud benedictum haberi potest?

V. R. Secundùm Rituale Romanum, Sacrodotem posse Oleum non benedictum miscere cum benedicto, in minore tamen quantitate, quàm sit Oleum benedictum remanens; aliàs enim Oleum desineret esse benedictum; cùm notabilior pars benedicta non foret, neque dici posset manere moraliter idem Oleum benedictum.

An illud Oleum non benedictum, quod admiscetur, efficiatur benedictum, non liquet; partem affirmativam insinuant Neesen, Billuart & Collet hoc fundamento, quòd ex illa unione Oleum non consecratum quamdam consecrationem contrahat, non quidem ratione contractùs physici, sed ex indulgentia Ecclesiæ, quæ voluit, ut preces Episcopi, qui consecravit Oleum, extendantur quoque ad illud, quod admiscetur jam consecrato.

Non minùs tamen probabiliter, inquit Wiggers, sustinetur, Oleum non benedictum admixtum non effici benedictum, sicut Vinum non consecratum admixtum consecrato non efficitur consecratum; mixtionem verò solommodò fieri, ut Oleum benedictum ad plures extendi possit.

VI. proindè practicè pro securiori observandum, ut admixtio non fiat in majori vel æquali quantitate, quantumvis per diversas vices, idque præcavendum monet Pastorale Cameracense, addens, aliàs Sacramentum exponi evidenti nullitatis periculo.

Advigilandum etiam inquit Pastorale Cameracense, ut, dum Oleum non benedictum admiscetur benedicto, totum ita misceatur, ut nihil Olei profani possit accipi, quia simul accipiatur aliquid benedicti.

N. 3. DE MATERIA PROXIMA.

I. *Materia proxima.* II. *Septum Uctionis.* III. *Modus faciendi Uctiones.* IV. *Uctio fit per modum Crucis.*

QUÆNAM est materia proxima Sacramenti Extremæ-Uctionis?

I. R. Est Uctio, seu usus & applicatio Olei.

Quot Uctiones in hoc Sacramento adhiberi debent?

II. R. Pastorale Mchl. præscribit septem, nimirum ad organa quinque sensuum, scilicet ad oculos, aures, nares, os & manus, deinde ad pectus & ad pedes.

Exprimit Flor. in Decret. ad Armenos, item Catech. Rom. de Extr. Uct. Num. 21. etiam faciendam Uctionem renum; sed ea omittitur non tantùm in feminis propter honestatem, sed etiam in viris propter difficultatem in Uctione illa facienda; cui propterea Pastorale Mechlin. substituit Uctionem pectoris.

In feminis inungitur summum pectoris, seu inum gutturis.

III. Pedes inunguntur in superiore parte, ne sanctum Oleum pedibus calcari videatur.

Sacerdotum manus juxta Rituale Romanum & Pastorale novum Mechliniense ungentur exteriùs; quia in Ordinatione interiùs unctæ sunt per Episcopum: aliorum ungentur interiùs.

Dum organum alicujus sensûs est duplex, v. g. duplex oculus, utrumque inungitur (non tamen de essentia) sub una formæ prolatione, & cavendum, inquit Pastorale, ne priùs forma absolvatur, quàm utrumque organum inunctum sit; quia posterior Unctio aliàs redderetur inanis, cùm non posset esse materia Sacramenti; neque forma inchoari debet, nisi dum inchoatur Unctio.

Unctio oculorum non fit in pupilla, sed clausis oculis fit in palpebris seu valvis oculorum; similiter Unctio ad sensum gustûs non fit in lingua, sed in labiis adhibetur: dum infirmus non habet manus aut pedes, monet Pastorale, ut pars magis propinqua ungetur.

An oculorum loca cœci nati ungenta sunt, cùm nunquam peccaverit per visum, atque adeo forma non videatur verificari?

R. Cum S. Th. quæst. 32. art. 7. in *Corp.* affirmativè; licèt enim non peccaverit per sensum exteriorem, cùm habeat tamen potentias animæ in ordine ad visum, interiùs peccare potuit per ea, quæ ad visum pertinent, v. g. desiderando curiosa visûs.

IV. Requirit Pastorale, ut Uctiones fiant per modum Crucis, sed hoc non est essentielle, sicuti nec ordo inter Uctiones.

Permittit Pastorale, ut Unctio fiat vel pollice vel virgulâ ad libitum ministrantis: si autem infectio olei timeatur, puta ex rabie, diversæ virgulæ lignæ ad singulas Uctiones assumantur, quæ comburuntur, vel saltem virgula ad singulas Uctiones, antequam reponatur in Oleum Sacrum, purgetur per stuppam, quâ organum inunctum abstergitur.

Porrò circa abstersionem organorum inunctorum ita præscribit Pastorale Mechl. "Minister si est in sacris, vel ipsemet Sacerdos post quamlibet Uctionem tergat loca inuncta novo globulo bombycini aut stuppæ, eaque in vase mundo reponat & comburat:" si autem ignis ibi paratus non sit, id committitur domesticis.

N. 4. DE UNCTIONIBUS ESSENTIALIBUS.

I. *Uctiones pectoris, pedum vel renum non sunt essentielles.* II. *Sed integrales.* III. *Probabile est, requirã*

ad essentiam Sacramenti quinque Unctiones. IV. Probabilius est, sufficere unicam. V. Resolutio pro praxi. VI. Modus inungendi in casu necessitatis. VII. Supplendæ preces omissæ.

QUÆ Unctiones ex præfatis requiruntur de necessitate Sacramenti ?

I. R. Constat, quinque Unctionis quinque sensuum sufficere, & Unctiones pectoris, pedum vel renum non esse essentielles; quia in quibusdam Diocessibus præter Unctiones quinque sensuum nulla adhibetur; confirmatur ex Pastoralis Mechl. quod ita habet: “Collatis quinque prioribus Presbyteri animus quiescat, quòd jam infirmus receperit Sacramentum.”

Quales igitur sunt tres illæ Unctiones ?

II. R. Aliqui eas vocant accidentales & cæremoniales, sed rectiùs à Steyaertio dicuntur integrales, ita ut causent etiam aliquem effectum Sacramentalem ex opere operato, quomodo satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

An quinque Unctiones ad organa quinque sensuum sunt essentielles ?

III. R. 1^o. Bellarminus, Wiggers, Neesen & alii sustinent, quinque Unctiones ad organa quinque sensuum esse essentielles; quia per Unctiones debet significari medicina applicata ad radices peccatorum; jam autem sensus dicuntur radices omnium peccatorum, inquantùm omnia peccata positivè vel privativè procedunt per cognitionem, & omnis cognitio per phantasmata ex sensibus ortum habere supponitur: ita S. Thom. suppl. quæst. 32, art. 6 additque ibidem in Corp. “Ideo illa Unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti.” Et quæst. 29. art. 2. in Corp. dicit: “plures Unctiones sunt de perfectione hujus Sacramenti;” idemque tacitè admittit quæst. 30. art. I. ad 3.

IV. R. 2^o. Sylvius, Tournelly, Collet, Daelman & plures alii censent validum esse Sacramentum, etsi una tantùm ungetur corporis pars, & unica proferatur forma universalis omnes sensus complectens.

Probatur hæc sententia: quia per unicam Unctionem verificantur verba Apostoli Jacobi, “ungentes eum:” deinde antiqua Ritualia, ut Mechliniense Joannis Hauchini, Archiepiscopi Mechliniensis ab Academia Lovaniensi approbatum anno 1588. permittunt fieri unicam Unctionem.

Nec obest, quòd Conc. Flor. plures requirat ; quia eas requirit ut usitatas & præceptas, non ut essentielles ; eodem modo sicuti præscribuntur plures ablutiones in Baptismo.

Neque etiam obstat, quod objiciunt, per unicam Unctionem non significari perfectam medicinam, cùm omnibus peccatorum radicibus non applicetur. R. enim, satis eam perfectè significari in forma omnes sensus exprimente, ut supponitur.

V. Licèt hæc sententia sit verosimilior, tamen prior, utpote probabilis & tutior, est in praxi servanda, ita ut semper adhiberi debeant Unctiones ad quinque organa sensuum, dummodo possibile sit ; et ideo nequidem in casu, quo infirmus videratur moriturus, antequam Unctiones modo ordinario absolventur, licet unicam adhibere, nisi fortè tempus plures non permetteret ; quia non licet uti materiâ dubiâ, ubi certior haberi potest ; id ipsum præscribunt Rituale Romanum & Pastorale Mechliniense, ut scilicet in illa extremitate fiant quinque Unctiones.

Deinde instans mortis à nobis ita exactè cognosci non potest : unde secunda sententia adfert plura incommoda in praxi, cùm equidem postea procedere oporteret ad Unctiones quinque sensuum propter dubium.

VI. Possunt autem in necessitate Unctiones quinque brevissimo tempore fieri, tangendo unum oculum, aurem, nares, os, & pro tactu maxillam, cùm sensus tactûs sit diffusus per totum Corpus, idque sub unica forma omnes sensus exprimente : & si infirmus inter Unctiones decedat, Presbyter ultra non procedat, & si dubitet, an adhuc vivat, Unctiones proseguatur sub conditione, *si vivis*.

An equidem tempore morbi contagiosi. v. g. pestis, non liceat unicam adhibere ?

R. Non videtur regulariter loquendo istud licere ; cùm enim ferè æquè celeriter possint fieri modo jam dicto quinque Unctiones quàm unica, non videtur majus infectionis periculum imminere, sicque non licet Sacramentum periculo nullitatis exponere. Ut interim periculum illud evitetur, permittit Pastorale, ut omittantur Unctiones pectoris & pedum in morbis contagiosis pesteque grassante : addit tamen Pastorale, ut ad singulas Unctiones dicatur integra, forma, sensui qui inungitur accommodata.

VII. Quando propter necessitatem inceptum est ab Unctionibus, preces, quæ præmittendæ & subjungendæ forent, postea debent suppleri : si tamen infirmus statim moriatur, nihil est supplendum.

Obj. Antiqua Ritualia, ut Mechliniense vetus Joannis Hauchini, permittunt in necessitate unicam adhibere Uctionem: ergo, &c.

R. Pastorale Mechl. nunc esse mutatum, quod observandum saltem tanquam punctum disciplinæ.

N. 5. DE FORMA HUIUS SACRAMENTI.

S. Thom. suppl. quæst. 29, art. 7, 8, & 9.

I. *Forma hujus Sacramenti.* II. *Extrema Unctio est unum Sacramentum.* III. *Quæ verba formæ essentialia.* IV. *Expressi debent distinctè sensus.* V. *Saltem sub unica forma.* VI. *Monitum practicum.*

QUÆNAM est forma Sacramenti Extremæ-Uctionis?

I. R. A Rituali Romano & Pastoralis Mechliniensi assignatur hæc: "Per istam sanctam Uctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen." Ubi inunguntur oculi; dum Uctio fit in auribus dicitur per auditum, & sic in cæteris Uctionibus, ut habet Pastorale Mechl.

Obj. Videtur inde sequi, quòd plura Sacramenta conferantur; cùm plures sint distinctæ materiæ & formæ.

II. R. Nego consequ. quia plures illæ materiæ & formæ partiales ordinantur ad constituendum unam materiam & formam totalem, sicque ad constituendum unum perfectum curationis signum, seu Sacramentum. Vide S. Thom. suppl. quæst. 29, art. 2.

Observat S. Th. art. 2. citato ad 3. quòd, si Sacerdos inter ungendum deficiat, alter debeat supplere Uctiones omissas, sed factas non reiterare.

Quænam verba in prædicta forma sunt essentialia?

III. R. Imprimis hæc: "per istam Uctionem," aut æquivalentia sunt essentialia; quia aliter non exprimeretur actus Ministri sive confectio Sacramenti.

Vox "Sanctam" non est essentialis; omittit enim eam Concilium Trid. sess. 14. cap. 1. neque essentialia sunt hæc: "Et suam piissimam misericordiam;" quia eorum significatio satis continetur in verbis: indulgeat Dominus, quæ essentialia sunt, utpote necessaria, ut significetur causalitas Sacramenti, scilicet actus misericordiæ, quem Deus exercet in infirmum, qui à Ministro inungitur.

Pronomen "tibi" est essentialis, eò quòd hinc sicut in aliis Sacramentis requiratur, ut significetur subjectum. Hæc

verba "quidquid deliquisti" vel æquivalentia videntur etiam essentialia: quia aliàs effectus non satis significaretur; nam verbum "indulgeat" multas habet significationes, adeoque se solo, omissis illis "quidquid deliquisti," non satis significaret effectum seu remissionem peccatorum; attento etiam, quòd hìc non jungatur confessio peccatorum, & ideo prædicta verba, aut eis æquivalentia videntur essentialia.

An distincta expressio visûs et aliorum sensuum est essentialis?

IV. R. Videtur affirmandum, ut forma significare possit effectum determinatè et explicitè; hinc si quis diceret; "quidquid per sensus deliquisti," dubium esset Sacramentum: nec obstat, quòd in voce sensus intelligatur visus, auditus, &c. quia fortè non sufficit singulorum sensuum expressio implicita, sed requiritur explicita, quomodo non valet Baptismus collatus sub forma hac: "Baptizo te in nomine Sanctissimæ Trinitatis."

An saltem non sufficiat hæc forma cum Unctionibus correspondentibus: "Per istam sanctam Unctionem et suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum?"

V. R. Videtur sufficere; quia illa forma explicitè et formaliter æquivalet formæ quinquies repetitæ, sicut Baptismus validè confertur pluribus sub unica forma: "ego vos baptizo, &c." extra necessitatem tamen, licèt validè, illicitè sic administratur Extrema-Unctio; et generatim sinè causa nihil prorsùs immutandum.

Nota, quòd, dum quinque Unctiones fiunt sub unica forma singulos sensus exprimente, debeant distinctæ prolationi singulorum sensuum accommodari eorumdem Unctiones.

Particula *Amen*, quæ piam appreciationem importat, essentialiter addi non debet; à Pastoralis tamen addenda præscribitur: porrò addi solet non à Sacerdote formam proferente et Sacramentum ministrante, sed à ministro sive custode assistente.

VI. Observent hìc Sacerdotes, quòd scire teneantur non solùm Ritum administrandi Sacramenta, sed etiam quid circa eorum valorem certum sit, quid probabile vel dubium, ut judicare valeant, quid in necessitate possint et debeant, quid postea supplendum aliquando vel iterandum, absolutè vel sub conditione.

N. 6. DE FORMA DEPRECATIVA.

I. *Forma debet esse deprecativa.* II. *Probatur.* III. *Quid fiat, si administrans voluntariè sit distractus.*

An forma Extremæ-Uctionis de necessitate Sacramenti debeat esse deprecativa?

I. R. Affirmat S. Th. suppl. quæst. 29. a. 8. & cum eo Thomistæ; quia eam Jacobus Apostolus nominat orationem dicendo: "Orent super eum... & oratio fidei, &c."

II. Probatur etiam ex Conc. Florent. in Decreto Unionis, & ex Trident. sess. 14. c. 1. item ex traditione, quam ibidem asserit Trid. ac tandem ex praxi utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. Accedunt rationes congruentiæ, quòd æger destitutus viribus egeat aliorum auxilio, quo sublevetur, & quòd in hoc Sacramento non habeatur aliquis effectus infallibiliter, licèt positis omnibus ad ejus essentiam requisitis. ut in aliis Sacramentis, v. g. in Baptismo, Character.

Obj. Morinus, Tournely, Collet aliique referunt formas indicativas quandoque usitatas fuisse: ergo forma indicativa sufficit.

R. cum S. Thoma loco citato ad 3, negando, formas indicativas fuisse usitatas, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. insinuat, Ecclesiam ex Apostolica traditione didicisse, formam esse verba illa: "Per istam sanctam Uctionem," &c.

Igitur ad objectionem dici potest, formas illas continuisse sensum deprecativum, vel eis adjectam fuisse formam deprecativam: simul notari potest, formas Sacramentorum in initio Ecclesiæ non semper fuisse expressas in libris, ut occultarentur Ethnicis, qui, si novissent, Sacra Mystera ludibrio habuissent, illisque abusi fuissent.

Quid si Sacerdos in collatione hujus Sacramenti voluntariè sit distractus?

III. R. Neesen docet, Sacerdotem non conficere Sacramentum: idem habetur in tract. "de Religione" Num. 27. eò quòd per distractionem plenè voluntariam non solùm attentio, sed & intentio Ministri extinguitur & revocetur, quæ tamen necessaria est ad Sacramenti confectionem.

Gonet & Billuart affirmant, Sacramentum in casu fore validum, si aliud nil obstet; quia valor Sacramenti non pendet ab oratione Sacerdotis, ut est opus operantis, sed ut est sacramentalis, habens efficaciam ex Christi institutione & meritis; non obstante enim distractione, manet forma deprecativa, & per ipsum tanquam Ministrum orat Ecclesia, ut fit in orationibus communibus.

N. 7. DE SUBJECTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

S. Thom. suppl. quæst 32.

- I. *Subjectum Extremæ-Uctionis.* II. *Ejus conditiones.*
 III. *Debet aliquando personaliter peccasse.* IV. *Non dandum hoc Sacramentum in quovis mortis periculo, v. g. ante mortem patibulandi, &c.* V. *Item nec ante partûs periculum.* VI. *Senio tamen deficientibus.*

QUODNAM est subjectum capax Extremæ-Uctionis?

I. R. Homo viator baptizatus, qui aliquando personaliter peccavit, quique est graviter infirmus ad mortem, & in hujus morbi eodem statu necdum recepit hoc Sacramentum.

Quòd debeat esse infirmus, docet Jacobus Apostolus dicens: “Infirmatur quis in vobis?” &c.

II. Quòd periculosè infirmus, & quidem taliter, ut de ejus morte timeatur, docet Concilium Florentinum in *Decreto Unionis*: & Rituale Romanum requirit infirmitatem tantam, ut mortis periculum imminere videatur: confirmatur ex verbis S. Jacobi: “Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et oratio fidei salvabit infirmum;” quibus insinuatur, hominem ita infirmari; ut ipse Presbyteros adire nequeat, et esse in periculo mortis, à quo salvari potest per hoc Sacramentum.

Hinc dicit Pastorale Mechl. “Nemini, qui gravi morbo afflictus non est, Sacramentum Uctionis dare licet;” imò non tantùm illicitum, sed etiam invalidum foret hoc Sacramentum, si leviter tantùm, seu non periculosè infirmo administraretur; & à fortiori si sano, cùm tantùm pro periculosè decumbentibus sit institutum.

Ab alia parte non est expectanda ultima vitæ periodus, in qua infirmus jam animam agit; sufficit infirmitas talis, ut timeatur, ne morbus cum suo incremento proximè mortem sit inducturus; unde dicit Pastorale Mechliense: “Infirmitas hoc Sacramentum esse ministrandum eo tempore, si fieri possit, cùm illis adhuc integra mens & ratio viget;” addit Catechismus Romanus *de Extrema-Uctione* Num. 18. “Gravissimè peccare eos, qui illud tempus ægroti ungenti observare solent, cùm jam omni salutis spe amissâ, vitâ sensibusque carere incipiat.”

III. Additum fuit: “Qui aliquando personaliter peccavit,” ut communior docet sententia; quia alias non videntur verba formæ “quidquid deliquisti” posse verificari: deinde ille, qui nunquam personaliter peccavit, non habuit,

nec habere debuit pœnitentiam, cujus tamen hoc Sacramentum est consummativum.

Sed Suarez et alii sustinent, sufficere, ipsum peccare potuisse; dicitque formam in hoc supposito verificari; quia conditionatè est intelligenda.

Ab hac quæstione pendet, utrum Diva Virgo Maria fuerit subjectum capax hujus Sacramenti.

Certum interim est, quòd, ut quis sit capax hujus Sacramenti, debeat ad rationis usum pervenisse; quia aliàs forma nequidem conditionatè verificaretur, cùm ante usum rationis nemo personaliter peccato se immaculare possit.

Pariter certum est, quòd sufficiat peccatum personale commissum ante Baptismum; ejus enim Reliquiæ possunt superesse post Baptismum; unde hoc Sacramentum administrandum foret in casu, quo baptizaretur infirmus adultus, cujus mors illico timeretur, licèt etiam supponeretur, quòd post Baptismum nullum peccatum commisisset.

An hoc Sacramentum est dandum in quovis mortis periculo?

IV. R. Negativè; subjectum enim hujus Sacramenti est solus infirmus; quia quæ geruntur interiùs in Sacramentis, significantur per aliquid exterius: sicut ablutio interior in Baptismo significatur per abluitionem externam; atqui Extrema-Unctio confertur per modum curationis interioris: ergo significari debet per curationem corporalem, quæ supponit infirmitatem; potest autem homo sanus in articulo mortis esse constitutus: hinc dandum non est Sacramentum iis, qui ad supplicium mortis ducuntur, nisi simul forent graviter infirmi, neque iis, qui prælum aut periculosam navigationem ingrediuntur.

Si tamen naufragium passus ex aquis vivus eriperetur, dari ei potest Extrema Unctio, si videretur moriturus, uti et lethaliter vulneratis, item hausto veneno extinguendis et similibus: hi enim omnes post causas mortis violentas perisitas moriuntur ex vero defectu et infirmitate interiori.

V. Mulieribus, quibus imminet partus periculosus, hâc ratione hoc Sacramentum administrari non potest: aliud est de mulieribus ex ipso partu periculosè laborantibus: iis enim hoc Sacramentum administrandum est; quia videtur infirmitas adesse ex ipsa pariendi difficultate orta; dicitque Steyaert, hanc praxim (accedente consuetudine) esse tutam in his partibus.

VI. "Iis, qui præ senio deficient, et in dies videntur morituri, etiam sinè alia infirmitate administrari debet:" ita pastorale Mechliniense, eò quòd ipsa annosa senectus, et virium deficientia sit infirmitas morti proxima.

N. 8. QUIBUS INFIRMIS NEGANDA SIT EXTREMA-UNCTIO.

I. *Non iteratur in eodem morbi ejusdem statu.* II. *Nec perpetuò amentibus.* III. *Neganda etiam impenitentibus, &c.*

I. RESP. 1°. Iis, qui hujus morbi eodem statu illud susceperunt, de quo latius in sequentibus.

2°. Neganda pariter est pueris ante usum rationis; quia non sunt capaces peccati personalis; et hoc Sacramentum, ait S. Thom. suppl. quæst. 32. art. 4. ad 2. “Non datur contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod per actualia peccata quodammodo sunt confortatæ;” unde Pastorale Mechliniense: “Pueri carentes usu rationis... “ungendi non sunt.”

Pergit Pastorale: “Secus pueris periculosè ægrotantibus, qui peccati mortalis et confessionis capaces sint, licet sint octo solum aut novem annorum, et quamvis nunquam communicaverint; ita tamen, ut si eis mori contingat, non “sint eorum parentes urgendi ad exequias more adultorum.”

In dubio, an puer pervenerit ad usum rationis, poterit dari sub conditione, *si es capax.*

II. 3°. Neganda est Extrema Unctio perpetuò amentibus quantumvis infirmis; unde Pastorale Mechliniense: “Amentes, qui ab ipso ortu nunquam fuerunt mentis “compotes, ungenti non sunt.”

Amentibus non perpetuis, sive qui aliquando usum rationis habuerunt, datur hoc Sacramentum, non tantum in lucidis intervallis, sed etiam tempore amentia, sicut et cæteris infirmis extra se positis v. g. phreneticis, modò sine evidenti irreverentiæ periculo administrari possit, et Sacramenta desideraverint, vel christianè vixerint: latius hæc deducta sunt Num. 123. in *Tractatu de Pœnitentia.*

Rectè interim monet Pastorale Cameracense, hortandos esse Christianos, dum v. g. ipsis hoc Sacramentum explicatur, vel ubi ægrotare incipiunt, ut tempestivè Extremæ-Unionis in necessitate suscipiendæ intentionem actualem eliciant, ut possit in iis illa manere habitualiter.

Observandum quòd homo ratione privatus, et nondum sacramentaliter absolutus priùs sit absolvendus, antequam ei Extrema-Unctio administratur; cum autem juxta Num. 7, de *Sacramento Pœnitentiæ* non possit, durante illo statu, bis absolvi, Extremam-Unctionem administraturus inquirere

debet, an jam inde fortè absolutus sit per alium Confessarium qui in casu sine violatione sigilli illud manifestare potest.

III. 4°. Sacramentum hoc negandum præscribit Rituale Romanum impœnitentibus, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis, quibus cum Pastoralis Cameracensi annumerandi sunt ii, qui rationem amiserunt in statu evidenter malo; sicque omnino practicandum foret, si de hoc certò constaret, v. g. in plene voluntaria et perfecta ebrietate.

Sed quid de illis, qui in ipso peccati mortalis actu vel voluntate subito privantur usu sensuum, dum interim ignoratur, an interius ratione sint privati, v. g. qui in duello lethaliter sunt vulnerati, vel qui usque nunc sciuntur vixisse in concubinato, et nullum dederunt aut jam dant pœnitentiæ signum?

R. Docet Pauwels, quòd, sicut tales possunt absolvi, eò quòd fortè interius ratione utantur et habeant contritionem, sic etiam possit eis conferri Extrema-Unctio.

Docent Braunman et Steyaert, quòd etiam in sententia, quòd tales possint absolvi, non possit tamen eis Extrema-Unctio administrari, sicque praxim fuisse suo tempore, asserit Steyaert.

Dictum est: "in ipso peccati mortalis actu:" quia videtur dicendum, quòd, si spatium pœnitendi habuerint, priusquam fierent rationis impotes, Sacra Unctio non sit eis deneganda; quia conjecturare licet, eos pœnituisse, etiamsi nullum suæ pœnitentiæ signum dederint.

N. 9. DE EFFECTIBUS HUIUS SACRAMENTI.

S. Thom. supl. quæst. 30.

I. *Hujus Sacramenti effectus*, II. *Indicati ab Apostolo Jacobo*. III. *Dispositio ad susceptionem validam. Ad fructuosam.*

QUINAM sunt hujus Sacramenti effectus?

I. R. Sunt sequentes: 1°. gratia sanctificans; 2°. gratiæ sacramentales sive actuales; 3°. abstersio reliquiarum peccatorum, et animi alleviatio magnam in infirmo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando; 4°. remissio peccatorum; 5°. sanatio corporalis: illos effectus enumerat Trid. sess. 14. cap. 2.

Concilium Florentinum effectus brevius exprimit his verbis: "Effectus est mentis sanatio, et, inquantum autem expedit, ipsius etiam corporis."

Ostende, memoratos effectus fuisse designatos ab Apostolo Jacobo?

II. R. Primus et quintus designantur verbis: "Et oratio fidei salvabit infirmum;" secundus et tertius verbis: "alleviabit eum Dominus;" quartus verò his: "si in peccatis sit, remittentur ei."

Notatu dignam differentiam exponit S. Th. quæst. cit. art. I. in *Corp.* dicens: "Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, et Pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, et Extrema-Untio quædam spiritualis sanatio vel medicatio."

Qualis requiritur dispositio ad susceptionem hujus Sacramenti?

III. R. 1°. Ut validè suscipiatur, requiritur Baptismus, intentio, periculosa infirmitas, et peccatum personale aliquando commissum.

2°. Ut fructuosè suscipiatur, insuper per se loquendo requiritur status gratiæ sanctificantis, cum sit Sacramentum vivorum.

Proinde is, qui conscientiam habet peccati mortalis, confessionem sacramentalem præmittere debet; qui autem confiteri non potest, prius equidem est absolvendus.

Quòd si Sacramentum hoc bonâ fide suscipiat aliquis, qui constitutus est in peccato mortali, v. g. quod commisit post confessionem, et memoriâ excidit, requiritur contritio saltem imperfecta, qualis requiritur et sufficit in Sacramento Pœnitentiæ.

Commendatur in susceptione hujus Sacramenti fides ac fiducia et spes in Deum cum dolore de peccatis.

N. 10. DE EFFECTU GRATIÆ.

I. *Confert per se gratiam secundam.* II. *Quandonam conferat.*

QUÆ gratia sanctificans confertur per hoc Sacramentum?

I. R. Cùm sit Sacramentum vivorum, per se confertur gratia habitualis secunda, et per accidens aliquando prima. Quandonam infunditur gratia illa habitualis?

II. R. Tres circa hoc sunt opiniones: prima dicit gratiam illam totaliter infundi in prima Uctione.

Secunda, eam solùm infundi in ultima, vi tamen præcedentium Uctionum; eò quòd in ultima Sacramentum videtur demum essentialiter perfici: huic sententiæ favet S. Th. suppl. quæst. 30. art. 1. ad 3.

Tertia docet, per singulam Unctionem conferri gratiam & effectus spectantes ad sensum illum, qui inungitur, v. g. remissio peccatorum per visum commissorum, dum oculi inunguntur; ita ut singulis Unctionibus partiales effectus percipiuntur, atque ita in ultima totalis et completus effectus percipiatur.

Probatur hæc sententia: quia quælibet Unctio cum sua forma applicatur per modum signi sacramentalis & consistentis in usu; ergo effectus correspondens datur in ultimo instanti completi sui esse, dum nullus est obex; illa enim forma aut Unctio præmissa ordinem non dicit ad alias Unctiones, quomodo effectus Consecrationis Panis non suspenditur à Consecratione Vini secutura.

Ad S. Thomam dicunt, eum velle tantum, quod completus effectus gratiæ demum obtineatur in ultima Unctione.

Nota, dum dictum est, per singulam Unctionem conferri v. g. remissionem peccatorum per visum commissorum, dum oculi inunguntur, &c. hoc debere intelligi de venialibus, non de mortalibus; in hac enim sententia mortalia omnia remittuntur in prima Unctione, utpote impossibilia cum gratia sanctificante.

Proprius et primarius hujus Sacramenti effectus est augmentum gratiæ habitualis connotantis auxilia specialia contra torporem, proclivitatem ad malum, &c.

Quandonam conferantur gratiæ sacramentales, collige ex dictis "de Sacramentis in genere."

N. 11. DE ABSTERSIONE RELIQUIARUM PECCATORUM.

I. *Peccatorum reliquiæ* II. *Absterguntur hoc Sacramento.*

QUÆNAM sunt illæ peccatorum reliquiæ, contra quas hoc Sacramentum est institutum?

1. R. Torpor animi ad cœlestia, horror mortis, timor ob incertitudinem salutis, pronitas ad malum, pusillanimitas, &c.

Has gratia hujus Sacramenti radicitus non tollit, sed dat robur et vigorem contra eas per auxilia supernaturalia, plus vel minus pro dispositione suscipientis, ægrumque in spem erigit ac confortat ad patientiam; quocirca Conc. Trident. sess. 14. cap. 2 dicit: II. "Gratia.... peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando: quæ

“infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores
 “leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis
 “faciliùs resistit:” vide etiam Catechismum Romanum
de Extrema-Uncione Num. 28.

Efficat ergo hoc Sacramentum, ut dicit Estius, ut peccatorum reliquiæ debilitatæ ac repressæ minùs impediant ægrotum ab earum rerum cogitatione, quæ ad ipsius salutem pertinent.

N. 12. DE REMISSIONE PECCATORUM.

S. Thom. suppl. quæst. 30. art. 1.

I. *Remittit peccata venialia, II. Etiam mortalia. III. Explicatur textus: “si in peccatis sit.”*

QUÆ peccata remittit Extrema-Uncio?

I. R. Certò remittit venialia, idque directè et per se; patet ex Catechismo Romano *de Extrema-Uncione* Num. 28.

II. Peccata mortalia etiam interdum remittit, putà dum Sacramentum Pœnitentiæ suscipi non posset, dum ei occultè aliquid defuit, vel dum mortale post susceptum Sacramentum Pœnitentiæ commissum est, et memoriâ excidit, modò suscipiens habeat contritionem saltem imperfectam; quia tunc supplet vices Sacramenti Pœnitentiæ, cujus est consummatio.

Disputatur inter Authores, an Sacramentum hoc per se et directè peccata mortalia remittat, an verò tantum per accidens: sed hæc nihil ad praxim: sufficit nobis hoc Sacramentum lethalia peccata remittere, quod probatur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. & can. 2 & ex verbis formæ “quidquid deliquisti;” item ex verbis S. Jacobi: “si in peccatis sit, remittentur ei:” atqui hi textus indefinitè loquuntur: ergo non tantum de venialibus, sed et de mortalibus sunt intelligendi.

III. Observa quadruplicem hujus textûs S. Jacobi, “si in peccatis sit,” interpretationem.

1°. Quidam illum intelligunt de solis venialibus; sed obstat, quòd de venialibus non rectè diceretur conditionatè “si in peccatis sit;” cùm idem S. Jacobus in eadem Epistola c. 3. v. 2. dicat: “in multis offendimus omnes.”

2°. Alii textum intelligunt de solis mortalibus, quæ per oblivionem aut ignorantiam non fuerunt exposita in confessione sacramentali; sed videtur hæc expositio contrariari Catechismo Rom. loco citato.

3° Alii per vocem "peccatis" volunt tantùm significari reliquias peccatorum; sub quibus tamen aliqui etiam comprehendunt peccatorum pœnas, ita ut causa ponatur pro effectu: sed obstat, quòd vox "peccata" in obvio sensu etiam significet peccata formalia, imò præcipuè.

4° Alii vocabulum illud ad omnia cujusque generis peccata, item ad peccatorum reliquias & pœnas extendendum putant; hæcque interpretatio videtur preferenda, cùm vox "peccata" omnia illa significare possit.

Similiter de omnibus illis intellige verba formæ: "quid quid deliquisti."

Obj. Extrema-Uncio vel remittit peccata mortalia per se & directè, & tunc deberet dici Sacramentum mortuorum; vel tantùm remittit mortalia per accidens, & tunc non debet poni is effectus specialis hujus Sacramenti, cùm cætera Sacramenta vivorum etiam per accidens peccata mortalia remittant.

R. Qui dicunt, Extremam-Uncionem per se & directè remittere mortalia, etiam docent, in variis differre à Sacramentis mortuorum: 1°. quòd Baptismus & Pœnitentia ex sua institutione ac ordinaria lege supponant peccatum mortale, non sic Extrema Uncio. 2. Extrema-Uncio est tantùm pro periculosè infirmis instituta, sed Baptismus & Pœnitentia sunt instituta, ut iis homo sanus utatur in decursu vitæ. 3°. Sacramenta mortuorum non supponunt ante se alia Sacramenta, quibus deleatur peccatum mortale, quæ ante se Extrema-Uncio supponit, cum tantùm in Pœnitentiæ defectum veniat.

Qui docent, hoc Sacramento remitti mortalia per accidens, dant hanc disparitatem, quòd reliqua vivorum Sacramenta id habeant ex generali dumtaxat institutione ob repugnantiam effectûs gratiæ sanctificantis cum peccato mortali: sed Sacramentum Extremæ-Uncionis ex speciali institutione, licèt secundariâ, id habet tanquam completivum Sacramenti Pœnitentiæ, ita ut vi formæ peccatum remittatur, & sic poterit dici participare per accidens naturam Sacramenti mortuorum.

N. 13. DE SANATIONE CORPORALI.

S. Thom. suppl. quæst. 30. art. 2.

I. *Sanatio corporalis est effectus secundarius.* II. *Effectus hic non semper sequitur infallibiliter.* III. *Etiam in casu, ubi salutis expediret.* IV. *Impedimenta hujus effectus.*

V. *Sanitas probabiliter confertur ex opere operato.* VI. *Ratio hujus effectus. Corrigendus error vulgi.*

I. EFFECTUM hunc proponit Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. his verbis: "Infirmus...sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur."

Idem effectus exprimitur Jac. cap. 5. his verbis: "Salvabit infirmum, et alleviabit, &c." illis enim verbis significatur effectus spiritualis simul et corporalis; sed hic secundarius est secundum S. Th. loco citato in *Corp.* et ad I

An sanatio corporalis infallibiliter sequitur?

II. R. Negativè: dicit enim Concilium Trid. "Interdum, ubi saluti animæ expedierit." Dum autem aliquis vi hujus Sacramenti sanitatem recuperat, tunc hæc certo expedit saluti ejus. Vide S. Thom. art. 2. in *Corp.*

An sanatio corporalis infallibiliter sequitur, quando saluti animæ expedit?

III. R. S. Thomas dicit; "Ex hoc Sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis." Dicto S. Thomæ consonat expressio Conc. Florent. et Catechismi Romani Num. 27. ubi recensens hujus Sacramenti effectus, dicit: "Accedit, siquidem profutura sit, corporis sanitas."

Sententiam negativam tenent Neesen, Steyaert aliique docentes, sanitatem, licet saluti expediat, non semper et infallibiliter obtineri, sed interdum tantum juxta ordinationem Divinæ Providentiæ, licet etiam aliud nullum obstaret impedimentum: probant ex Catechismo Romano *de Extrema-Untione* Num. 29. ubi inter impedimenta hujus effectus reponit ordinationem Providentiæ Divinæ aliter disponentis, et Num. 14. dicit idem Catechismus, quod Sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non soleat hanc sanitatem corporalem.

Idem, inquit, innuit Trident. sess. 14. cap. 2. quod scilicet "ubi saluti animæ expedierit," consequatur infirmus sanitatem, tamen nequidem tunc semper, sed "interdum," scilicet quando consonat ordinationi Providentiæ Dei.

Ad Concilium Florentinum respondent, illud non dicere: "dum expedit saluti," sed solummodo "inquantum expedit," scilicet secundum ordinem Divinæ Providentiæ et Justitiæ.

Quænam sunt hujus effectus impedimenta?

IV. R. 1°. Indispositio suscipientis,

2°. Defectus fidei sive fiduciæ in suscipiente. Catechismus Romanus Num. 28.

3°. Defectus fidei in Ministro. Idem eodem loco.

4°. Nimius morbi progressus, ita ut sanitas recuperari non posset nisi per manifestum miraculum et contra naturam; licet enim sanatio corporalis per hoc Sacramentum fiat supernaturali virtute, non debet tamen dici miraculosa; quia efficitur, operatione ordinariâ et suavi, ad similitudinem operationis medicinarum corporalium.

5°. Ordinatio Divinæ Providentiæ et Justitiæ aliter disponentis. Catech. Rom.

An effectus sanitatis per hoc Sacramentum confertur ex opere operato?

R. Sylvius, Steyaert, aliique dicunt, quod non sequatur ex opere operato, sed per modum impetrationis ex ipsa quidem Unctione, non tamen prout est Sacramentum, sed ut est sacramentale quoddam, sicut aspersione aquæ à Sacerdote benedictæ tollitur, v. g. corruptio aëris.

V. Pauwels, Collet et alii sustinent, effectum hunc produci etiam ex opere operato, favetque Florentinum, quod sub eodem tenore dicit, effectum esse sanitatem mentis et corporis.

Obj. Sanitas non sequitur semper nec statim posito Sacramento: ergo nec ex opere operato.

R. Non debet semper sequi etiam in homine, qui cum debita dispositione Sacramentum illud suscipit; quia est tantum effectus secundarius et conditionatus; sufficit ergo, quod, dum secundum Dei Providentiam sequitur, tunc ex vi Sacramenti seu ex opere operato ponatur.— Sufficit etiam ad hoc, quod sensim per modum medicationis obtineatur: minimè requiritur ut tota simul detur, sicut ignis non simul et semel ligna comburit.

Cur in hoc Sacramento potius percipitur effectus sanitatis, quàm in aliis?

VI. R. Ne ægroti, desperato morbi remedio, ad media illicita et superstitiosa confugerent, ut vitæ prorogationem quærerent, sicut Ochozias 4. Reg. cap. 1. unde corrigendus est imperitæ plebis error, quo opinatur, eo ipso quo infirmus hoc Sacramentum suscepit, actum esse de ejus vita, et solum ei superesse sepulchrum, aut infirmum inunctum sensu aliquo destitui, vel reddi incapacem ad condendum testamentum vel illud mutandum, fallaciæ sunt, quas humani generis hostis rudibus quibusdam ingerit: errorem illum proscripsit Synodus Provincialis Mechliniensis de anno 1607. tit. 8. cap. 2.

Sæpius etiam inculcandum populo, ex nimia dilatione quandoque provenire, quòd sanitas & alii effectus non obtineantur.

N. 14. DE PRÆCEPTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

I. *Datur præceptum Extremæ-Uctionis.* II. *Exhortatio ad infirmum ut ultima Sacramenta suscipiat.*

AN datur præceptum per se directè obligans ad susceptionem hujus Sacramenti?

I. R. Negant Sylvius, Billuart, Neesen & alii; sed rectiùs affirmant Wiggers & alii multi agnoscentes Præceptum Divinum & Ecclesiasticum.

Probatur hæc sententia ex verbis S. Jacobi: "inducat Presbyteros," quæ strictum præceptum complecti videntur, sicut quæ asserit de Ministro, materia, &c. sunt stricti juris: 2º. probatur Trid. sess. 14. cap. 3. ubi ait, nulla ratione audiendos esse eos, qui docent, Uctionem hanc nec mandatum Dei esse, nec promissionem gratiæ habere: 3º. Catech. Rom. de *Extrema-Uctione* Num. 18. dicit: gravissimè peccare eos, qui hoc Sacramentum differunt: ergo à fortiori qui omittunt: Deinde pergit et dicit, "Extremam-Uctionem à Domino præceptam:" respondent quidem alii, hæc omnia respicere non ægrotum, sed alios, v. g. Ministrum; sed Catechismus loquitur generaliter: ergo gratis restringitur. 4º. Probatur ex communi fidelium sensu et praxi; et tandem ex primario hujus Sacramenti effectu, qui maximè necessarius est in extrema illa lucta.

Verum equidem est, quòd sæpè magis sint accusandi illi, qui curam infirmi habent, quàm ipse infirmus, qui utique aliquando ignorat statum suum periculosum.

Interim agnoscunt omnes, non posse sinè gravi culpa Sacramentum hoc contemni, aut cum aliorum offensione et scandalo negligi et prætermitti, facilèque contemptum Sacramenti præsumi in infirmo, qui cum vitâ periclitetur, Extremam-Uctionem sciens et volens petere negligit, multòque magis si eam sibi à Parocho exhibitam recipere renuat.

Quid agendum circa infirmum, cujus propinqui nolunt ei indicari, adesse necessitatem ad suscipienda ultima Sacramenta, ne illo nuntio nimium perturbetur, et inde morè acceleretur?

II. R. Pastor aut alius eum accedet, sermonem familiarē instituet, inquirendo v. g. de initio morbi, &c. paulatim progredietur dicendo, quòd sanitas et morbus ex Providentia Dei obveniant; qui hodiè sumus sani, cras fortè infirmi; imò qui sani, fortè propinquoires morti sumus, et propterea tam sani. quàm ægroti, omnes deberemus nos semper preparare ad mortem: felices, qui per morbum præmonentur! quapropter quòd ei suadeas, ut faciat, quod omnes facere debemus, ut confiteatur et alia Sacramenta suscipiat, quæ valent ei ad sanitatem etiam corporis, et quòd nunquam noceat, si quis se præparaverit ad mortem, sed periculosum sit se non præparare, asserendo, quòd ipse sic faceres, et id suadeas ac roges pro solatio omnium amicorum, et quòd hâc die, vel post horam (prout videris expedire) sis allaturus Sacramenta.

Si renuat, dicatur ei apertè, quòd necessitas urgeat; vanus enim accelerandæ mortis metus hîc contemnendus est pro bono et salute animæ; melius enim est, ut ritè paratus moriatur, quàm periculum incurratur, ne fortè non paratus moriatur.

N. 15. DE ITERATIONE EXTREMÆ-UNCTIONIS.

S. Thom. suppl. quæst. 33.

- I. *Iteratur hoc Sacramentum in diversa infirmitate lethali.*
 II. *Non in eodem morbi statu.* III. *In dubio iterandum sub conditione.* IV. *Non iteratur, quamvis superveniat aliud periculum.* V. *Ob sacrilegam susceptionem non iteratur.*

AN Sacramentum Extremæ-Uncionis possit iterari?

I. R. De se et debet, et potest iterari toties, quoties aliquis reincidit in aliam infirmitatem lethalem: ratio est, quòd hoc Sacramentum non imprimat characterem, neque habeat effectum perpetuum, cum sanitas mentis et corporis, quæ est hujus Sacramenti effectus, possit amitti; hinc dicit Trid. sess. 14. cap. 3. "Si infirmi post susceptam hanc Uncionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint."

II. In eodem infirmitatis hujus statu vel mortis periculo non potest hoc Sacramentum iterari; quia semel in eadem infirmitate susceptum, necessarias suppeditat vires ad incommoda morbi, quo æger actu laborat, evitanda: vide

Pastorale Mech. & S. Th. suppl. quæst. 33. art. 2. in Corp.

Porro hoc Sacramentum ita iteratum, non tantum foret illicitum, sed etiam juxta communiorem sententiam invalidum.

Diversitas autem illa statûs morbi non statim habetur, licet æger, ut fieri solet, manè meliùs se habeat, vesperi pejus; vel febris v. g. uno die augeatur, altero remittat; sed talis mutatio intercessisse debet, ut dici potuerit: æger jam convalescit, jam periculum evasit, morbi ejus status est mutatus.

Hinc deducitur cum S. Thoma loco citato, quòd infirmus semel inunctus in morbis non diuturnis, v. g. dysenteria, variolis petethiis, &c. in quibus homo à statu periculoso recedere non solet, nisi infirmitate curatâ, per se loquendo non debeat iteratò inungi, etsi proximè mors instet: è contrario in infirmitatibus diuturnis, v. g. hydropisi, phthisi, &c. licet homo ob periculum mortis Extremam-Uncionem modò receperit, si periculum illud evasisse videatur, quamvis infirmitatis radix non tollatur, iterum inungi poterit, si rursùm in vitæ discrimen relabatur.

Ad judicandum an sit idem, an alius morbi status, standum Medicorum aut aliorum peritorum judicio: populus autem judicat, infirmitatis statum esse mutatum, si infirmus post Uncionem frequentaverit Ecclesiam, consortia, &c. vel post Uncionem aliquot menses intercesserint, et infirmitas ita relaxata fuerit, ut instar valetudinarii interea vixerit.

III. Observat Benedictus XIV. lib. 7. de Synodo Diac. cap. 23. Num. 4. rectè moneri Parochos, ne nimium scrupulosè in hoc se gerant, sed si dubitent, an revera morbi status sit mutatus, expedire ait, ut ad Sacramenti iterationem propendeant; videtur tamen Sacramentum tunc denuò administrandum, non absolutè, sed sub conditione, *si es capax*.

An iteranda est Extrema-Uncio, eodem morbi periculo, ratione cujus quis inunctus est, adhuc durante, si superveniat alia omnino distincta et disparata infirmitas, quæ de se sufficiens etiam est ad susceptionem hujus Sacramenti, v. g. si quis laboret febris periculosa, et deinde lethaliter vulneretur?

IV. R. Negativè; tum quòd hoc non habeat praxis Ecclesiæ, tum quòd aliàs ille bis inungeretur, eodem morbi statu et periculo durante.

An hoc Sacramentum saltem iterari non possit in eodem morbi statu, quando sacrilegè vel aliter infructuosè est susceptum?

V. R. Negativè ; quia infirmus non est ampliùs subjectum capax, cum in eodem morbi statu non possit iterari Sacramentum, et quia verosimiliter Sacramentum hoc reviviscit ; validè enim, licèt sacrilegè susceptum est.

Obj. Sumptio Viatici sacrilega potest iterari et debet : ergo, &c.

R. Disparitas est, quòd in eodem morbi statu possit sæpius Eucharistia sumi, et proinde in casu debeat ; quia satisfactum non est Præcepto Divino.

Inst. Qui sacrilegè suscipit Extremam-Uncionem, etiam non satisfacit Præcepto Divino : ergo denuò suscipere tenetur.

R. Nego conseq. nam quòd non teneatur denuò suscipere, non est quasi satisfecisset, sed quia non est ampliu subjectum capax.

N. 16. DE MINISTRO SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS.

S. Thom. suppl. quæst. 31.

- I. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos.* II. *Sufficit unus.* III. *An valeat Extrema-Uncio administrata per plures ?* IV. *Hodie illicita foret.* V. *Quivis Sacerdos confert validè Extremam-Uncionem.* VI. *Sed illicitè sinè jurisdictione.* VII. *Regulariter Extrema-Uncio ministranda post Viaticum.* VIII. *Ordo ille invertendus quandoque.*

QUIS est Minister Sacramenti Extremæ-Uncionis ?

I. R. Principalis est Christus Dominus ; secundarius, de quo hic agimus, est Sacerdos : constat ex verbis S. Jacobi : “inducat Presbyteros Ecclesiæ,” per quos non intelligit ætate seniores ex populo, ut contendunt hæretici, sed Sacerdotio initiatos ut patet ex Ecclesiæ praxi et definitione expressa in Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4.

An sufficit unus Sacerdos ?

II. R. Affirmativè : ita definivit Alexander III. cap. QUÆSIVIT. “de verborum significatione,” item Benedictus XIV. Const. etsi PASTORALIS. “super ritibus Græcorum§.” 5. patet etiam ex Florentino in Decreto ad Armenos, quod unius tantum meminit et similiter ex praxi Ecclesiæ.

Obj. Dicit S. Jacobus : “inducat Presbyteros :” ergo requiruntur plures.

R. Nego conseq. quia ponitur numerus pluralis pro singulari ; sicuti sæpe in Scriptura Sacra. v. g. Matth. 2, v.

20. "Defuncti sunt qui quærebant animam pueri," pro Herode mortuo : sensus ergo verborum S. Jacobi est : inducat aliquem ex Presbyteris, sicuti dicimur confiteri peccata Presbyteris, hoc est, alicui Presbytero.

An valet hoc Sacramentum administratum per plures Sacerdotes ?

III. R. 1°. Si unus formam proferat, et alter materiam adhibeat, est invalidum, quia dum materia proxima est actio Ministri, debet ab eodem per formam determinari, ut patet in Baptismo, et aliis, sicque in forma "per istam sanctam Unctionem, &c." Minister non alienam, sed propriam actionem designat, idque insinuat Apostolus Jacobus, dicens : "Orent super eum ungentes eum." quibus verbis eundem esse debere significat, qui orat et qui ungit, vult enim ; ut ungenderent.

2°. Si unus ungat unum sensum cum forma correspondente, et alter, vel simul vel successivè, ungat alterum sensum proferendo formam uncto sensui congruentem validum est Sacramentum ; ratio est, quòd hoc Sacramentum constet pluribus materiis et formis partialibus, adeoque à pluribus Ministris validè ponantur, sic ut concurrant ad unum et idem Sacramentum, prout contingeret in Sacramento Eucharistiæ, si unus consecret panem, et eo deficiente, alter consecret vinum.

Hinc Græci etiam nunc in hujus Sacramenti administratione septem adhibent Sacerdotes, vel saltem tres si septem præsto non sunt, eosque omnes tanquam Sacramenti Ministros.

IV. Hodie illicitum foret plures Sacerdotes ut Ministros adhibere ; quia est contra Modernam Ecclesiæ praxim et disciplinam, intelligendo scilicet de Ecclesia Latina, à qua recedere nemini integrum est.

An quilibet Sacerdos possit hoc Sacramentum administrare ?

V. R. 1°. Si agatur de administratione valida, certum est quòd quilibet Sacerdos, quamvis excommunicatus, degradatus, &c. validè conferre possit Extremam-Unctionem, quia hoc Sacramentum tantùm pendet ex potestate Ordinis Sacerdotalis.

VI. 2°. Ut licitè administretur, requiritur jurisdictio ordinaria vel delegata in infirmum : unde hoc Sacramentum administrare spectat ad Pastorem, vel cui Pastor commiserit, ut tradit Catech. Rom. part 2. de Extr. Unct. Num. 26.

Religiosus, qui sinè ejusdem Parochi licentia speciali

illud administrare præsumit, in excommunicationem incidit Pontifici reservatam, ut habetur Clementinarum lib. 5. titulo 7. cap. 1. Alter Sacerdos id faciens, graviter saltem peccaret.

Dum autem urget mortis periculum et deest Parochus, quivis Sacerdos, non tantum sæcularis, sed etiam regularis potest, et ex charitate tenetur hoc Sacramentum administrare, sicut alibi de Baptismo et Pœnitentia dictum est: unde indecens et inordinatum foret, inquit Steyaert, si quis Sacerdos modum tria hæc Sacramenta administrandi nesciret.

Nota, quòd nemo valeat sibi ipsi hoc vel aliud ullum Sacramentum conferre, nisi Sacramentum Eucharistiæ; quia hoc consistit in re permanente.

VII. Nota, quòd Extrema-Unctio hodie regulariter administrari debeat post Viaticum, idque ex generali Ecclesiæ consuetudine, inquit Rituale Romanum, antiquitus Viatico præmittebatur, itaque cum Steyaertio dicendum eam praxim esse optimam, quam pro eo tempore Ecclesia tenet, sicut sæpius in similibus.

VIII. Porro ordo hodie usitatus aliquando inverti debet, ut si propter furorem, periculum vomitûs, &c. infirmus Viaticum suscipere non possit; tunc enim administranda est Extrema-Unctio, et postea, ubi impedimentum cessat, dandum Viaticum.

N. 17. DE OBLIGATIONE PASTORUM, ADMINISTRANDI HOC SACRAMENTUM.

I. *Obligantur Pastores suis parochianis administrare Extremam. Unctionem.* II. *Etiam cum periculo vitæ.*— III. *Item Viaticum,* IV. *Baptismum et Pœnitentiam.*

I. CERTUM est, Parochum vi officii sui et ex justitia teneri sub gravi, Sacramentum hoc administrare infirmis suæ Parochiæ; pascere enim debet oves, quod maximè fit per Sacramenta.

An Pastores tenentur, etiam cum periculo vitæ, hoc Sacramentum administrare infirmis suæ Parochiæ, tempore pestis?

R. Negat Marchantius; eò quòd hoc Sacramentum non sit de necessariis ad salutem: distinguit autem Billuart dicendo; præceptum in casu non obligare, si ægrotus præsumatur accepisse absolutionem certam; secùs, si tantum acceperit dubiam, et certam accipere non possit, v. g. in casu, quo aliquis sensuum usu destitutus absolutus est sine formali et explicita confessione, de cujus absolutionis valore disputatur alibi.

II. Sed omnino affirmandum est cum Steyaert, hancque sententiam tenuit S. Carolus Borromæus zelosissimus tempore pestis Sacramentorum administrator: oritur autem hæc obligatio ex jure divino juxta illud Joan. cap. 10. v. 11. " Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis:" item ex jure naturali per implicitum pactum cum Ecclesia, cujus jure utens percipit sustentationem corporalem.

Probatur etiam ex eo, quòd fideles jus habeant exigendi hoc Sacramentum à suis Pastoribus; atqui etiam jus illud retinent pro tempore pestis et in periculo contagii, cum tunc vel maximè indigeant, eò quòd infecti soleant omni consolatione exteriori et auxilio destitui.

Insuper concurrit gravis necessitas respectu communitatis: aliqui enim ex defectu hujus Sacramenti exponuntur periculo æternæ damnationis: unde meritò putatur datum esse præceptum generale administrandi omnibus hoc Sacramentum, quod præceptum non censetur cessare, quamvis fortè finis, aut periculum damnationis in particulari cessaret.

Obj. Parochus quandoque utilis est toti communitati: ergo saltem tunc non tenetur particularibus administrare eum periculo vitæ.

R. Pastor id præsumere non debet, sed confidere, fore ut Deus provideat communitati de dignis Ministris, saltem in hac Patria, ubi non est penuria Sacerdotum: si tamen casus supponatur, in quo alius haberi non potest, qui populo administret magis necessaria Sacramenta, putâ Pœnitentiæ et Baptismi, tunc ordo charitatis et necessitatis exigeret, ut ubi alterutrum omittendum foret, minùs necessarium omitteretur.

III. Iisdem rationibus evincitur, quòd Pastor cum periculo vitæ teneatur administrare Sanctissimum Eucharistæ Viaticum.

IV. Denique certum est quòd Pastor teneatur tempore pestis administrare suis Sacramenta Pœnitentiæ et Baptismi.

An autem ad evitandum contagionis et vitæ periculum liceat Parocho confessionem pestiferi non integram excipere, dissentiunt Authores: affirmat Suarez cum multis; negat Scaille cum aliis, dum est ordinarii contagii periculum, docentque, integram subditorum de mortalibus confessionem à Parocho debere audiri, nisi fortè ob nimium fœtorem non poset Parochus sinè extraordinario et evidenti mortis periculo diutiùs immorari in singulis peccatis infecti audiendis.

Notandum eâ occasione cum Pauwels quòd, si ægrotus, sive pestiferus sive alius quicumque teneatur ad confessionem generalem, vel longam aliquam confessionem plurimorum peccatorum mortalium, non debeat permittere Confessarius, quòd ille graviter infirmus frangat sibi caput in enarrandis omnibus individuis peccatis; sufficit, quòd Confessarius statum pœnitentis noscat, ut sic ipsum moveat ad contritionem generalem de omnibus confessis et oblitis.

Nota, quòd ordinariè Pastor satisfaciât Sacramentum administrando per se vel per alium; imò conveniat, ut ubi plures sunt Ministri, unus eorum nunquam accedat peste infectos, sicque aliis infirmis Sacramenta administrare possit sinè periculo contagionis.

Observat Sylvius ex S. Thoma, quòd Parochi magis quàm Episcopi obligentur administrare Sacramenta suis Parochianis; quia Parochi sunt causæ particulares et immediatæ, Episcopi autem sunt causæ universales et quasi mediatae, quamvis sæpe Episcopi in exemplum aliorum sese zelosos præbuerint per seipsos Sacramenta administrando.

Media familiaria, quibus periculo contagii obviare possunt Ministri Sacramenta administrantes peste infectis, tradit Manigart in praxi Pastoralis p. 2. cap. 1. pet. 9. et Scaille cap. 12.

N. 18. DE CURA ET VISITATIONE INFIRMORUM.

INTER cæteras curas binam cordi habere debet Parochus, infirmorum scilicet et puerorum: horum ad vitam recte instituendam, illorum ad salutariter finiendam; vocatus igitur Pastor ad ægros se promptum semper exhibeat, imò etiam non vocatus accedat, ubi audit, aliquem infirmari, alia etiam negotia differendo, ne fortè, dum tardatur, infirmus interea sensibus et ratione destituatur, vel sinè Sacramentis moriatur, et sic Pastor reus fiat damnationis ejus: quod cùm semel accidisset severo Presbytero, ipse a Deo lacrymis impetravit mortui ad vitam resuscitationem, ut refert S. Gregorius Dialog. lib. 1. cap. 12.

Soletur infirmum Parochus ad morbi mala æquo animo perferenda, non ei exprobrando, ut quidam solent, morbi causam, v. g. intemperantiam.

Notandum, quòd Pastor non satisfecerit officio suo, dum ægroto administravit Viaticum et Extremam-Unionem; quia frequenter, imò indies, si fieri possit, invisere debet

infirmos, idque quamvis Confessarius infirmi ipsum soleat etiam visitare.

Adhortationes, quæ dantur infirmo in visitatione, sint breves et familiares, non affectatæ, nec clamosæ.

Suggerat frequenter infirmo actus fidei, spei et charitatis, contritionis et patientiæ, exempla Christi et Sanctorum.

Inducat eum ad generalia proposita voluntatis quâ paratus est facere, si sciret, quæ Deus vult ab ipso fieri, et reddere, si quæ sciret se debere proximo; et generatim ad quæcumque corum Deo obligatus est: illa autem sic proponantur infirmo, ut actus illos, respondendo *ita*, eliciat.

Ultimò notet Parochus, aliquando reperire infirmos, qui tranquillo se animo esse semper dicunt, tamen, dum sani erant, toti immersi peccatis nullam animæ curam habebant; tales Parochus omnimodè movere conetur, ut res suas momento adeo periculoso seriò perpendant, à quo pendet vita vel mors æterna.

N. 19. DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

S. Thom. suppl. quæst. 71. art. 11.

I. *Finis et utilitas sepulturæ Ecclesiasticæ.* II. *Locus sepulturæ.*

I. IN Ecclesiastica seu sacra sepultura, Ecclesia intendit potissimum hæc quatuor: vivorum solatium, pietatis debitum, defunctorum honorem et refrigerium; non tantum quatenus celebratio Divini Officii ipsis prodest, sed etiam quia solutio expensarum opus est pium, serviens sustentationi Ministrorum et fabricæ Ecclesiæ.

Ulteriùs cum sepeliantur in loco sacro seu benedicto, participant de precibus ibidem fuis, eorumque corpora potestati dæmonum subtrahuntur, Patrocinio Sanctorum ejusdem loci committuntur, ac sæpe à fidelibus ibidem specialiter pro ipsis orantibus juvantur.

Monent Ritualia, ut nullum corpus statim à morte sepeliatur, præsertim si repentina fuerit, sed post tantam temporis moram, ut nullum de morte dubium supersit: unde hic tertio à morte die ordinariè sepeliuntur, alibi citiùs; sed saltem dies naturalis intercedat oportet, meritòque attenditur, ex quo morbo decesserint, ut seriùs aut citiùs corpora terræ mandentur.

Ritualia deinde volunt, ut Missa præsentem corpore celebretur; quare sepulturæ vespertinæ non facile admittendæ.

Quantum ad jura funeralium, hæc variant secundum varias

locorum consuetudines et statuta; tantum attendi debet, quod majora jura, quæ ratione sepulturæ solvuntur, non tam solvantur intuitu istius officii, quod Parochus modo præstat, quàm ministerii, quod toto tempore vitæ præstitit vivo.

II. De loco sepulturæ hæc statuit Rit. Romanum: "Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeteriis, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur." Tum quod Ecclesia locus sit Sanctorum, tum propter insalubritatem, quando in loco clauso tam multa corpora inhumantur, sed ut rectè monet Steyaert, verendum, ne rationibus adhuc diu obsistant duo, alterum in clero, alterum in populo, cupiditas et ambitio.

Proprius sepulturæ locus pro Parochianis de jure est Ecclesia Parochialis, vel ejus cœmeterium; sed et consuetudine et jure communi variè eidem derogatum est; ut si quis alibi sepulchrum majorum vel familiæ habeat, vel sepulchrum in loco jus sepulturæ habente elegerit. Quod si hæc ratione aliquis extra Parochiam sepeliatur, quædam tamen jura Parocho et Ecclesiæ Parochiali servantur, quæ vocantur portio Parochialis vel quarta funeralis: sed et pro his consuetudines et particularia statuta sunt attendenda.

Juxta Rituale Romanum cui locus sepulturæ in Ecclesia dabitur, humi tantum detur. Cadavera autem propè Altaria non sepeliantur. Ecclesiasticos autem Ritualia volunt sepeliri in vestibus Ordini suo propriis. Cadavera Sacerdotum ante sepulturam in Ecclesia ponuntur capite versus Altare quasi populum respiciente, Laïcorum verò situ contrario. Cadaver semel legitimè sepultum, id est, perpetuæ sepulturæ traditum, sinè expressa Ordinarii licentia exhumari non potest.

N. 20. DE NEGANDA SEPULTURA ECCLESIASTICA.

I. *Neganda est sepultura Ecclesiastica* II. *Paganis, Judæis, &c.* III. *Publicè excommunicatis,* IV. *Interdictis,* V. *Suicidis,* VI. *Manifestis peccatoribus.* VII. *Non confitentibus annuè,* VIII. *Duellantibus,* IX. *Infantibus mortuis sinè Baptismo.*

I. QUIBUS neganda est sepultura Ecclesiastica?

R. Juxta Rituale Romanum negatur sequentibus: 1^o. Paganis, Judæis, et omnibus infidelibus, hæreticis, et eorum fautoribus, apostatis à Christianâ fide, Schismaticis.

II. Aliqui violentam suspicionem de hæresi vel infidelitate sufficere asserunt, ut alicui sepultura Ecclesiastica negetur;

et Steyaert, ex Pastoralis Cameracensi, hæreticis annumerandos censet, qui ante suspecti de hæresi Pastorem ad se in morbo vocare neglexerunt usque ad extremam vitæ horam, dum sensu et ratione privantur; nisi præsentem Pastorem signum notabile pœnitentiæ dederint: additque pro ratione, sic fieri solere ab hæreticis occultis. Quæ quidem sæpe sic obtinent; sed cùm similia multis difficultatibus subjiciantur, et suspiciones etiam publicæ satis citò formentur; hinc inconsulto Ordinario ad similia non est procedendum.

III. 2º. Juxta idem Rituale negatur publicè excommunicatis excommunicatione majore. Sed quæritur, an hoc intelligendum sit de excommunicatis denunciatis, cum cap. SACRIS *de Sepulturis Ecclesiasticis*, ratio reddatur, scilicet ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis; jam autem post Concilium Constantiense juxta Extravagantem Martini V. communicare possumus publicè excommunicatis, modò non sint denunciati, aut notorii Clericorum percussores: ergo, &c.

R. Ita quidem censent Steyaert, Braunman, Pauwels et Van Espen, illudque Pastoralis Mechliniensi conforme putant, quod excommunicatis et publicè denunciatis tantùm sepulturam Ecclesiasticam negat: sed cùm Rituale Romanum non distinguat inter denunciatos et non denunciatos, illi certò conformius est, generatim omnibus publicè excommunicatis sepulturam sacram esse negandam.

Ad cap. SACRIS. *de Sepulturis*, respondetur: quòd illa ratio ibidem allegata quidem agat de vivis vitandis; sed non sequitur à contrario sensu: vitandi non sunt; ergo ipsis defunctis communicare possumus.

Quantùm ad Extravagantem Martini V. illa tantùm vult occurrere perplexitatibus fidelium, ne ratione communicationis cum excommunicatis censuram incurrant, sed nullatenus intendit favere excommunicatis.

IV. 3º. Interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante. “Concedimus tamen ex gratia, ait cap. QUOD IN TE. *de Pœnitentia et Remissionibus*, ut Clerici decedentes, si tamen interdictum servaverint, in cœmeterio Ecclesiæ (adeoque non in ipsa Ecclesia) sinè campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.”

V. 4º. Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam, nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint. Pastorale verò Mechliniense hoc ita explicat: qui sanã mente et ex intentione seipsos interemerunt.

VI. 5°. Manifestis et publicis peccatoribus, qui sinè pœnitentia perierunt; quales sunt publici usurarii, nisi aut de perceptis usuris satisfecerint, aut iis restituendis sufficientem cautionem dederint. Sed hodiedum tales non dantur, inquit Pauwels, cùm omnis usura excusetur titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis, sic saltem ut tanquam manifesti usurarii vix probari queant: iis annumerantur omnes illi, qui notoriè in peccato mortali mortui sunt, nec ulla pœnitentiæ signa dederunt.

VII. 6°. Juxta idem Rituale illis de quibus publicè constat, quòd semel in anno non susceperint Sacramenta confessionis et Communionis in Paschate, et absque ullo signo contritionis obierunt; illi ergo privantur sacrâ sepulturâ ratione publicæ impœnitentiæ, non ratione excommunicationis; nam juxta Steyaert et alios propriè excommunicati non sunt.

Deinde cùm verosimilius sit, quòd pœna Canonis OMNIS UTRIVSQUE SEXÛS, non sit sententiæ latae, sed tantùm ferendæ, Pastor illis, qui præcepto annuæ confessionis et Communionis non satisfecerunt, sepulturam sacram negare non potest, nisi priùs super hoc judicium Ordinarii exquisierit.

VIII. 7°. Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint Pœnitentiæ signa: ita Rituale Romanam. Trident. sess. 25. cap. 19. *de Reformatione* dicit: *Si in ipso conflictu obierit*, sicque post Tridentinum Authores communiter resolverunt: sed Benedictus XIV. in Bulla DETESTABILEM. de anno 1752 statuit, sepulturâ sacrâ privandum quemcumque mortuum ex vulnere accepto in duello, sive mortuus sit in loco conflictûs, sive alibi, aufertque Episcopis potestatem super hac poena dispensandi.

IX. 8°. Infantibus mortuis absque Baptismo. Ita Rituale Romanum et Pastorale Mechliniense. Possunt tamen unà cum matre, si ex ea nondum exsecti sint, sepeliri; unde qui ex utero vivi sunt exsecti, vel in lucem editi, modò ante Baptismum moriantur, sive etia mortui sint excisi, nullatenus apud matrem reponi possunt, ut cum ea in loco sacro sepeliantur.

De Catechumenis controvertitur, an sepulturâ sacrâ sint donandi: affirmat Bonacina, negat Laymann.

Deinde Rituale Romanum monitum dat generale: ubi in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur. Quod monitum sanè optimum est propter varias

difficultates et obloquia, quæ Pastor non evitabit, si ex privato suo judicio ad similia procedat.

Non tamen sequitur, quòd semper ulterior judicis sententia requiratur, ut sepultura sacra negetur, præsertim in casibus in Ritualibus expressis; quinimo contrarium potiùs sequitur, cùm Rituale Romanum in dubiis Ordinarium consulendum dicat, adeoque in certis privatim procedi posse supponit. Prudentia tamen dictat, ut etiam in certis, maximè si tantùm in jure, et non in Pastoralis exprimantur, judicio Superioris utatur, ubi mala timentur.

Sed quid faciet Parochus, ubi Episcopus vel ejus Officialis sepeliendum mandat, quem ipse indignum judicat, vel è contra?

R. Regulariter standum est judicio Superioris, maximè si nullum inde sacrilegium seu Ecclesiæ violatio sequatur. Quandonam verò Ecclesiæ per sepulturam violentur, aliunde colligendum est.

Denique monet Rituale Romanum, ut pauperum sepultura gratis fiat, nisi mensa pauperum pro eis solvere consuevit. Deinde, inquit, caveant Parochi, ne prætextu suorum jurium sepulturam sacram denegent aut differant; id enim nimis mercenarium videtur: sed nec facilè pro his juribus adversus hæredes defuncti à Parocho litigandum est; meritò tamen ab Ordinario ad ea solvenda compelluntur.

TRACTATUS

DE

Sacramento Ordinis.

PROËMIUM.

I. *Ordo variè accipitur.* II. *Decretum Eugenii IV.*

DUO quæ restant Sacramenta bonum publicum magis spectant, quàm privatum, Ordo scilicet et Matrimonium: Ordo ad spiritualem, Matrimonium verò ad carnalem Fidelium multiplicationem est institutum. De Ordine, utpote nobiliore, primo loco est agendum.

I. Ordo variè accipitur: principaliùs et magis ad præsens institutum 1^o. sumitur pro Hierarchia Ecclesiastica, seu certo hominum statu, in quo sunt varii Ordinationis gradus, alii aliis superiores, divinitus destinati ad sacra munia obeunda, et fidelibus dispensanda Sacramenta. 2^o. Accipitur pro Ritu, seu actione illa externa, quâ varii isti Ordinum gradus conferuntur: quo sensu meliùs *Ordinatio* dicitur quàm *Ordo*, cum Ordo tanquam effectus ex Ordinatione resultet.

Græci Ordinem vel Ordinationem *Chirotoniam* vocant, quæ vox propriè manûs extensionem vel elevationem significat, eò quòd apud ipsos Ordines manuùm impositione conferantur, prout postea latiùs videbimus.

II. Præmittimus iterùm Decretum Eugenii IV. pro instructione Armenorum circa hoc Sacramentum: “Sextum
“Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per
“cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus
“traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane tradi-
“tionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum datio-
“nem: Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena

“vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per
 “rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.—
 “Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi*
 “*Sacrificium in Ecclesia pro vivis et pro mortuis, in*
 “*Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti*; et sic de
 “aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano
 “latè continetur. Ordinarius Minister hujus Sacramenti
 “est Episcopus. Effectus, augmentum Gratiaë, ut quis
 “sit idoneus Minister.”

N. I. DE DEFINITIONE ET EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

S. Thom. Suppl. quæst. 34. art. 2 & 3.

I. *Definitio.* II. *Error sectariorum.* III. *Ordinem esse*
Sacramentum, probatur ex Concil. Trident. IV. *Ex*
Epist. 1. ad Timot. c. 4. v. 14, &c.

QUID est Sacramentum Ordinis?

I. R. Est Sacramentum novæ legis, quo spiritualis
 potestas confertur et gratia, ad Ecclesiastica munia ritè
 decenterque obeunda.

Quidam sic definiunt: Signaculum quoddam Ecclesiæ,
 quo spiritualis potestas confertur, &c. ut ante; sed in idem
 reincidit; nam signaculi nomine signum visibile seu Sa-
 cramentum intelligunt.

II. Prout dupliciter Ordinem ante consideravimus, ita
 dupliciter ab hæreticis Wiclefio scilicet, Luthero et Cal-
 vino impugnatur; ac primò quidem negant in Ecclesia
 Hierarchiam Ecclesiasticam, seu distinctionem Clericorum
 et Laïcorum, omnes æqualiter Sacerdotes et Evangelii
 Ministros asserentes: vel saltem, si quædam distinctio
 admittenda sit, eam ex institutione et arbitrio hominum
 pendere, adeo ut, si populus jusserit, quivis Sacerdos fiat,
 si verò revocaverit, iterum ad Laïcorum Ordinem redi-
 gatur. Huic doctrinæ non modicè favet Quesnellus pro-
 positione 90. ubi ait, Ecclesiam potestatem habere excom-
 municandi, ut exerceatur per primos Pastores, ex con-
 sensu saltem præsumpto totius corporis.

Hos Novatorum errores damnavit Trid. sess. 23. cap. 4.
 et can. 6. et cap. 1 et 2. ejusdem sessionis necessitatem
 Ministrorum eorumque subordinationem probat ex novæ
 Legis Sacrificio.

Idem probatur ex eo, quòd in veteri Lege Deus Tribum
 Levi segregaverit, ut Sacris inserviret: Sacra verò, quæ in

nova Lege peraguntur, sunt multo perfectiora: ergo magis in nova, quam in veteri Lege Ministri à populo distingui debent. Illud etiam probatur ex omnium Nationum consensu, quæ aliquos semper selegerunt, ut Sacrificiis eorum inservirent. Denique probatur ex multis Scripturæ et Sanctorum Patrum locis, quos videre est apud Bellarminum, Tournelly et alios: hic unus sufficiat Tertulliani, qui sui temporis hæreticis exprobrabat, quod moderni tam impudenter renovârunt, lib. scilicet *de Præscriptionibus* cap. 16. ubi dicit: “ Ordinationes eorum temerariæ, leves, “ inconstantes: nunc Neophytos conlocant, nunc sæculo “ obstrictos, nunc Apostatas nostros.....itaque alius hodie “ Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector, “ hodie Presbyter, qui cras Laïcus; nam et Laïcis Sacer- “ dotalia munia injungunt.”

Objiciunt tamen aliquos Scripturæ textus, in quibus omnes Christiani Sacerdotes esse dicuntur, ut Epist. 1. Petri cap. 2. v. 9. “ Vos autem genus electum, Regale “ Sacerdotium:” et Apoc. cap. 5. v. 10. “ Fecisti nos “ Deo nostro Regnum et Sacerdotes.”

R. Manifestum est, Sanctum Petrum alludere ad v. 6. cap. 19. Exodi, ubi Deus mandat Moysi, ut dicat filiis Israel: “ Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, et “ Gens Sancta:” jam autem licèt illa verba toti populo dicantur, tamen tantùm Tribui Levi applicari possunt; cum ex alia Tribu Sacerdotes esse non possent: ergo pariter licèt Petrus eadem verba dirigat ad omnes Christianos, non sequitur, illa omnibus applicari posse. Idem responderi debet ad textum Apocal. aliqui tamen utrumque textum generaliter omnibus applicant: sed tunc eum intelligunt mysticè de Sacerdotio spirituali, quo omnes fideles offerunt Hostias spirituales seu bona opera, laudes divinas, preces, &c.

Obj. Tertullianus lib. *de Exhortat. Castit.* cap. 7. contendit, omnes Christianos à secundis nuptiis esse arcendos; quia, dicit, omnes Christiani sunt Sacerdotes juxta textum citatum Apocalyps. jam autem omnes Sacerdotis à secundis nuptiis arcentur: ergo, inquit omnes Christiani sunt arcendi.

R. Tertullianus tantùm vult, omnes Christianos dispositivè et remotè esse Sacerdotes, adeoque à se removeere debere Ordinis impedimenta, qualis semper fuit bigamia; in novo enim Testamento Deus nullum à Sacerdotio exclusit. Hic sensus eruitur ex verbis immediatè sequentibus: “ Omnes nos, inquit, Deus ita vult esse dispositos, ut “ ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus.”

III. Nunc contra eosdem Sectarios Ordinem esse Sacramentum, probandum est.

Concilium Trid. sess. 23. can. 3. illud definiuit his verbis: “ Si quis dixerit, Ordinem sive Sacram Ordinationem non esse verè et propriè Sacramentum..... anathema sit.”

IV. Idem probatur ex Epist. 1. ad Timot. c. 4. v. 14. “ Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.” Item Epist. 2. ad eundem cap. 1. v. 6. “ Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.”

Idem probatur ex variis Conciliis et Patribus, pro quibus consule Authores. Unicum Augustini locum hìc allegabimus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. ubi probat contra Donatistas, Sacramentum Ordinis amitti non posse, sicut nec Sacramentum Baptismi: “ Ipsi explicent, inquit, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti..... si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.”

Objiciunt tamen, quòd in textibus Apostoli præcitatis non agatur de gratia sanctificante, seu gratum faciente, sed de gratia gratis data, in aliorum scilicet utilitatem. Probant autem, quia dicit Apostolus *per Prophetiam*, quæ est gratia gratis data. Deinde, inquit, Græcè loco gratiæ habetur, *Charisma*, quæ vox apud Apostolum gratiam gratis datam significat.

R. Illud *per Prophetiam* verti posse *secundum Prophetiam*, quasi Apostolus dicat, se Timotheum ex Divina revelatione Episcopum ordinasse, quod non fecisset propter ejus juventutem, si revelationem non habuisset, ipsum Ecclesiæ utilem futurum fuisse: de qua Prophetia agit Epist. 1. ad Tim. cap. 1. v. 18. Quantùm ad vocem *Charisma*, fatendum est, illam ordinariè ab Apostolo usurpari pro gratia gratis data; non semper verò sic sumitur, ut patet ex Epist. 1. cap. 12. v. 31. ad Corinthios.

Quòd verò etiam hic per *Charisma* gratiam sanctificantem intelligat, patet ex Epist. 2. cap. 1. v. 7. ad Timoth. ubi dicit: “ Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis:” quæ gratia dilectionis et sobrietatis, seu moderationis, certò sanctificans est.

Reliquas objectiones vide apud Interpretes et Scholasticos.

N. 2. DE INTSITUTIONE, NUMERO ET
DIVISIONE ORDINUM.

Thom. suppl. quæst 37.

I. *Sacramentum Ordinis à Christo est institutum.* II. *In ultima Cœna.* III. *Sunt plures Ordines.* IV. *Probabiliter septem.* V. *An Episcopatus sit Ordo?* VI. *An Tonsura?* VII. *Tonsura quid sit?* VIII. *Quid sit Papatus, Patriarchatus, &c.* IX. *Divisio Ordinum.*

I. CUM Numero præcedenti Ordinationem esse Sacramentum probaverimus, rectè sequitur, illud esse à Christo Domino institutum: illumque Concilium Trid. definivit sess. 23. can. 3.

Quandonam istud Sacramentum à Christo est institutum?

II. R. In ultima Cœna, quando, instituto Eucharistiæ Sacramento, Apostolis dixit: "Hoc facite in meam Commemorationem;" tunc enim eos Sacerdotes constituit, u docet Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. utque potestas illa in Ecclesia perseveraret, eos simul Episcopos fecit, sive potestatem dedit ordinandi alios.

Quot sunt Ordines?

III. R. De fide est, in Ecclesia plures Ordines dari; ita enim definivit Conc. Trident. sess. 23. can. 2. his verbis: "Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur: anathema sit." Quot verò sint, Concilium non definit. IV. Enumerat tamen septem eâdem sessione cap. 2. Sacerdotium scilicet, seu Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Acolytatum, Exorcistatum, Lectoratum et Ostiariatum.

Totidem etiam numerat Cornelius Papa electus anno 251. in Epistola ad Fabium Antiochenum, S. Thom. quæst. cit. Catech. Rom. *de Sacram. Ordinis* num. 24. et Theologi communiter.

Canonistæ passim novem Ordines ponunt, addunt scilicet Tonsuram et Episcopatum. Græci verò tantum quatuor admittunt videntur, Presbyteratum scilicet, Diaconatum, Subdiaconatum et Lectoratum.

An Episcopatus est Ordo?

V. R. Episcopatus est verus Ordo, et verum et propriè dictum Sacramentum, specialem imprimens Characterem. Sed cum distinctio Ordinum juxta S. Thomam suppl. quæst. 37. art. 2. in Corp. accipienda sit secundum rela-

tionem ad Eucharistiam, sive consecrandam, sive distribuendam, ideo Theologi Episcopatum Ordinem distinctum non ponunt, sed eum sub Sacerdotio comprehendunt, cum Sacordotes et Episcopi, quantum ad hoc, pari gaudeant potestate.

An Tonsura est Ordo ?

VI. R. Videtur, quòd non ; idque conforme est Trident. quod dicit loco præcitato: “Diversos Ministrorum Ordines ita esse distributos, ut qui jam clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.” Distinguit ergo Tonsuram ab Ordinibus. Item Catech. Romanus num. 27. *de Sacramento Ordinis* Tonsuram quamdam præparationem esse dicit ad Ordines suscipiendos. Sic etiam S. Thomas suppl. quæst. 40. art. 2.

Quid igitur est Tonsura ?

VII. R. Est Cæremonia sacra, quâ qui insignitur, Clero adscribitur, ad Ordines præparatur, et ad obtinenda Ecclesiastica beneficia idoneus redditur.

Quid est Papatus, Patriarchatus, primatia, Archiepiscopatus et Cardinalatus ?

VIII. R. Prænotandum, omnes Episcopos quoad potestatem Ordinis esse æquales, sed inæquales esse posse ratione jurisdictionis et dignitatis: nomina autem, de quibus in quæstione, sunt tantum jurisdictionis vel dignitatis; ita ut Papatus non sit nisi Episcopatus Romanus, cui annexa est jurisdictio in omnes fideles; Patriarchatus verò Episcopatus, cui etiam Primatiæ subsunt; Primatia autem Episcopatus Patriarchali jurisdictione inferior, Metropoli verò seu Archiepiscopatu superior; Archiepiscopatus similiter non est nisi Episcopatus, qui quidem subest Primatiæ, præest verò aliis alicujus Provinciæ Episcopatibus: Cardinalatus verò Ordo non est, sed tantum dignitatem importat in eo sitam, quòd quis membrum sit Cleri Romani, et Concilii, quod Pontifex in arduis rebus consulit: eligunt quoque Cardinales Summum Pontificem, eisque dignitate cedunt Episcopi.

Quomodo Ordines à Concilio Tridentino recensiti dividuntur ?

IX. R. Concil. sess. 23. cap. 2. eos dividit in Majores et minores; S. Thomas verò suppl. quæst. 37. art. 3. eos dividit in sacros et non sacros, sacros appellans, quos Concilium majores, &c.

Quinam sunt majores seu sacri ?

R. Sunt tres, nempe Sacerdotium, Diaconatus et Subdiaconatus; reliqui quatuor minores seu non sacri dicuntur.

Tres priores ideo majores seu sacri dicuntur, quòd illis initiati propinquiorem in Corpus Christi habeant potestatem, et propius Sacrificio cooperentur: tangunt quoque Vasa sacra et pro majori eorum Sanctificatione ad continentiam, uti et ad Horas Canonicas obstringuntur: minores non sacri dicuntur, quia non sunt sacri eadem ratione, quàm majores: alioquin et ipsi magnopere sacri seu sancti sunt, quinimo quæritur, an non Sacramenta.

N. 3. AN OMNES ORDINES SINT SACRAMENTA?

- I. *Presbyteratus est Sacramentum, hocque est de fide certum.*
 II. *Theologicè certum est de Diaconatu.* III. *Non ita certum est de Subdiaconatu.* IV. *De minoribus est incertum.* V. *Monitum pro praxi.*

I. HIC quædam certa sunt et quædam incerta: et imprimis fide certum est, Presbyteratum esse Sacramentum.

Probatur: Quia Conc. Trid. sess. 23. can. 3. definit, Ordinem esse Sacramentum: atqui juxta S. Thom. suppl. quæst 37. art. 1. plenitudo Ordinis est in Presbyteratu, sive, ut loquitur Catechismus Rom. Num. *de Sacram. Ordinis*, summus gradus Ordinis est Sacerdotium: ergo Presbyteratus est Sacramentum.

II. Diaconatum esse Sacramentum, eò usque certum est, ut contraria Durandi et Cajetani sententia temeritatis arguatur: non est tamen de fide juxta multos et graves Authores, ut Dominicum Soto, Estium, Bellarminum et alios.

Diaconatum esse Sacramentum, probatur dilucidè ex Trid. sess. 23. can. 4. ubi dicit: "Si quis dixerit, per sacram Ordinationem, non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum...anathema sit." Atqui hæc verba Episcopi dicunt in Ordinatione, Episcopi, Presbyteri, Diaconique: ergo etiam in Ordinatione Diaconi confertur Spiritus Sanctus seu gratia Spiritûs S. et consequenter est Sacramentum.

Objiciunt tamen, quòd Act. cap. 6. ubi prima Diaconorum institutio refertur, nulla fiat mentio Ministerii sacri, sed merè profani, quale est ministrare mensis.

R. Quòd tum temporis mensa profana conjungeretur cum sacra, cum dispensatione scilicet Corporis et Sanguinis Christi; unde licèt occasione murmuris circa mensam profanam fuerint electi, fuerunt tamen simul ad Ministerium sacrum deputati, ut constat ex dotibus, quas Apostoli

in ipsis requisierunt, tum ex Officiis, quæ Stephanus et Philippus exercuerunt, tum ex perpetua Ecclesiæ Traditione.

III. De Subdiaconatu disputant Theologi, an revera sit Sacramentum. Bellarminus, Sylvius, Steyaert, Daelman, Billuart et alii dicunt, esse Sacramentum, fundantes sese in Concilio Trid. sess. 23. can. 6. ubi dicit anathema negantibus, "in Ecclesia esse Hierarchiam Divinâ Ordinatione institutam," quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris: jam autem, inquirunt, inter Ministros saltem Diaconus et Subdiaconus sunt præferendi: ergo, &c. item in eadem sess. cap. 2. ubi asserit, Subdiaconatum ad majores Ordines à Patribus et sanctis Conciliis referri. Contra verò Morinus, Juenin, Tournelly et plures recentiores negant, esse Sacramentum: quia videtur tractu temporis ab Ecclesia institutus: dicit enim Urbanus II. "Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia." Idque in Concilio Beneventano anno 1091.

Ad id, quòd Conc. Trid. Subdiaconatum tanquam majorem seu Sacrum Ordinem à Conciliis et Patribus reputatum dicat, respondent, illam tantùm ab Innocentio III. qui obiit anno 1216. aut ad summum à tempore Urbani II. qui obiit anno 1099. inter Ordines Sacros relatum esse. Ita Thomassinus *Ecclesiasticæ disciplinæ* part 1. lib. 2. cap. 33. et Morinus *exercitatione* 2. cap. 1.

IV. Quantum jam ad minores, adhuc magis incertum est, an sint Sacramenta. Qui negant, utuntur iisdem argumentis, quibus Subdiaconatui dignitatem Sacramenti denegant, et addunt insuper, Græcos omnes istos Ordines non habere, item plures in Ecclesia tales extitisse, qui jam omnino desiêre, ut Psalmistarum seu Cantorum, Fossariorum, Notariorum, Custodum Martyrum, &c. item Laicos minorum Ordinum officia jam passim obire, ex quibus concludunt, illos tantùm ab Ecclesia esse institutos. Qui verò affirmant, ut Sylvius, Daelman, &c., nituntur auctoritate S. Th. suppl. quæst. 35. art. 2. in *Corp* quæst. 36. art. 1. et quæst. 37. art. 2. et 3. Item probant ex Trid. quod sess. 23. can. 2. definit præter Sacerdotium esse in Ecclesia Ordines majores et minores, et can. 3. definit generatim, Ordinem sive Sacram Ordinationem esse verè et propriè Sacramentum à Christo institutum: jam autem, inquirunt, propositio Conc. Trid. est indefinita in materia doctrinali: ergo debet reduci ad universalem, et con-

sequenter omnes Ordines debent dici Sacramenta.

Quæ cum ita utrimque probabiliter sustineantur, non potest Episcopus, ut notat Benedictus XIV. lib. 7. de Synodo Diœcesana cap. 24. Num. 12. qui et ipse anceps hæret in hac quæstione, illos, qui in peccato mortali istos Ordines suscipiunt, ut absolutè sacrilegos damnare, meritò tamen ut tales increpare: practicè enim hos Ordines suscepturus, ne se periculo sacrilegii exponat, se in statu gratiæ ponere tenetur.

Sed si omnes Ordines sint Sacramenta, numquid inde sequeretur, esse plura quàm septem Sacramenta?

R. cum S. Thom. quòd tota Ordinis plenitudo inveniatur in Sacerdotio; reliqui autem Ordines tantùm partem illius potestatis participant, adeo ut partem potentialem ipsius Sacerdotii constituent. Deinde, ut Trid. dicit, inferiores Ordines sunt velut gradus, per quos in Sacerdotium tendatur; unde, ut notat Steyaert, Belgicè Ordinem simpliciter *Sacerdotium* (*Priesterschap*) dicimus.

Aliorum tamen solutionem etiam valde probabilem dicit Sylvius, qui sustinent, quòd, quando Trid. definivit, non esse plura nec pauciora, quàm septem Sacramenta, id intelligendum sit de speciebus Sacramentorum, adeo ut dentur tantùm septem species Sacramentorum, licèt sub aliqua specie plura dentur numero distincta Sacramenta.

Nunc de Ordinibus in particulari, eorumque materia et forma.

N. 4. DE PRESBYTERATU.

I. *Communior sententia est quòd detur duplex materia in Presbyteratu, et duplex forma.* II. *Duplex confertur potestas.* III. *Objectiones.* IV. *Solvuntur objectiones.* V. *Quinque Sacerdotis officia.* VI. *Definitio Sacerdotii.*

QUÆNAM est materia et forma Presbyteratûs?

R. Quatuor hac super re sunt sententiæ: prima materiam constituit in sola instrumentorum traditione sub forma correspondente: estque Gonetii, Dominici Soto et aliorum.

Secunda materiam et formam constituit in sola manuum impositione cum Oratione adjuncta; traditionem autem instrumentorum dicit tantùm ritum esse integram ab Ecclesia adjunctum ad majorem dumtaxat significationem et expressionem potestatis collatæ. Hanc tuentur Morinus, Juenin, van Espen, Tournelly, &c.

Tertia ipsam Uctionem manuum materiam saltem partialem esse dicit, estque Cardinalis Hosii.

I. Quarta tandem duplicem materiam et formam hujus Sacramenti partialem distinguit: hanc amplectuntur Estius, Bellarminus, Sylvius, Daelman, &c. in hac sententia una materia partialis est traditio Patenæ cum pane, et Calicis cum vino: forma verò ei correspondens sunt verba Episcopi: “ Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, “ Missasque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis, “ in nomine Domini.”

Alia partialis materia est impositio manuum Episcopi sub hac forma: “ Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis et quorum retinueris, “ retenta sunt.”

Hæc sententia communior est, atque in hac optimè conciliantur ea, quæ dicit Eugenius IV. in Decreto Concilii Florent. ad Armenos, ubi solius traditionis instrumentorum meminit, cum illis, quæ dicit Trident. sess. 14. cap. 3. *de Extr. Uctione*, ubi docet, quòd à Jacobo Apostolo per Presbyteros non intelligantur ætate seniores, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum: item sess. 23. can. 4. ubi docet, per hæc verba: “ Accipe Spiritum Sanctum,” conferri gratiam; quæ verba in impositione manuum dicuntur: sicut enim Eugenius IV. in præfato Decreto non exclusit impositionem manuum, ita Tridentinum non excludit traditionem instrumentorum: atque ita in hac ultima sententia utrique satisfit, quod in aliis vix aut ne vix fieri potest.

II. Notandum, quòd juxta hanc ultimam sententiam duplex potestas Sacerdoti divisim conferatur: prior in Corpus Christi naturale, sive ad consecrandum et Missæ Sacrificium offerendum, datur per traditionem Patenæ cum pane, et Calicis cum vino sub forma correspondente: altera in Corpus Christi mysticum, sive ad absolvendum à peccatis, datur per impositionem manuum sub forma correspondente: hæc tamen potestate nemo validè uti potest, nisi jurisdictione obtentâ.

Duæ jam dictæ potestates separari possent, ita ut prior daretur sinè secunda, non tamen è contra, prout revera separatæ fuerunt in Apostolis, qui in ultima Cœna acceperunt potestatem consecrandi; absolvendi verò tantùm post Resurrectionem, dum Joan. cap. 20. Christus insufflavit in Discipulos, et dixit eis: “ Accipite Spiritum Sanctum: “ quorum, &c.” de facto autem hæc duæ potestates licitè separari non possunt: dum ergo superiùs dictum est, utramque materiam, traditionem nempe instrumentorum et

impositionem manuum sub formis correspondentibus esse essentialiam, id de Presbyteratu perfecto et completo est intelligendum.

III. Contra jam explicatam sententiam objicies 1°. Quòd Scriptura nullibi de instrumentorum traditione loquatur. 2°. Quòd etiam per decem prima secula ille usus in Ecclesia Latina non inveniatur. 3°. Quòd Ecclesia Græca semper illo caruerit, et sola manuum impositione in collatione ordinum utatur: atque formæ et materiæ essentielles Sacramentorum mutari non possunt, et pro utraque Ecclesia debent esse eadem: ergo, &c.

R. Prænotandum, quòd Christus pro Sacramento Ordinis materiam et formam non instituerit determinatè et in specie infima, sicut pro aliis Sacramentis, sed tantùm in genere, adeo aut requisierit solummodo signa quædam externa seu res sensibiles, item verba, quibus sufficienter effectus seu potestas hujus Sacramenti significaretur: reliquit autem Ecclesiæ determinationem istorum signorum. Jam autem Ecclesia pro Latinis determinavit traditionem instrumentorum saltem pro materia partiali, ut constat ex Florentino; pro Græcis verò solam manuum impositionem determinavit, vel saltem approbavit; adeo quidem, ut stante hâc determinatione, Græci invalidè ordinarent more Latinorum, &c.

Quòd autem Christus hanc potestatem Ecclesiæ reliquerit, probari potest ex Innocentio IV. ad cap. PRESBYTER. dicente: "Quòd, nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret, Ordinatori dicere: *sûs Sacerdos*, vel alia æquipollentia verba: sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit; et tantæ necessitatis sunt dictæ formæ, ut, si, iis non servatis, aliquis fuerit ordinatus, supplendum sit, quod omissum est." Quod autem de formis dicit, facilè materiis applicatur, ait Steyaert.

IV. Ex his facilè ad objecta responderi potest: ad primum, quòd Scriptura mentionem facere non debeat illius, quod Christus determinationi Ecclesiæ reliquit.

Ad secundum, quòd, etiamsi verum esset, per decem prima sæcula illum usum in Latina Ecclesia non fuisse, sufficiat, quòd Ecclesia postea illum tanquam essentialiam pro Latinis requisiverit.

Tertium jam est præoccupatum: quòd autem Ecclesia nihil possit circa essentialia Sacramentorum verum est, ubi essentialia à Christo sunt determinata; sed cum in hoc Sacramento determinationem reliquerit Ecclesiæ, illa sunt

essentialia, quæ Ecclesia determinaverit. Quòd verò pro utraque Ecclesia eadem debeant esse essentialia, non sequitur; sufficit, quòd in utraque sit idem Sacramentorum numerus, idemque producat effectus, licèt sit diversus conferendi modus: sic etiam in quibusdam locis simplex Sacerdos ex commissione Pontificia est Minister Confirmationis; in aliis non item, commissione deficiente.

Quænam sunt officia Sacerdotis?

V. R. Pontificale Rom. enumerat quinque sequentia: offerre scilicet, benedicere, præesse, prædicare et baptizare. Sub termino *baptizare*, inquit Steyaert, administratio omnium Sacramentorum, Confirmatione et Ordinatione exceptâ, intelligitur.

Notandum quoque, quòd, licèt prædicta ad Sacerdotis Officium spectent, pro aliquibus tamen jurisdictio vel licentia requiratur.

VI. Ex jam dictis Sacerdotium definiri potest: Ordo sacer et Sacramentum, quo potestas confertur consecrandi Corpus Christi, et peccata remittendi.

N. 5. DE EPISCOPATU.

I. *Episcopatus est Sacramentum.* II. *Materia et forma Episcopatus.* III. *Jure Divino Episcopus superior est simplici Sacerdote.* IV. *Verosimilius Episcopi suam jurisdictionem immediatè accipiunt à Pontifice.*

AN Episcopatus est Sacramentum?

R. In Episcopatu duo distingui possunt: 1º. potestas Eucharistiam consecrandi, quæ ipsi cum Sacerdotio communis est.

2º. Potestas confirmandi, ordinandi, aliqua Officia Hierarchica exercendi. Quando ergo quæritur, an Episcopatus sit Sacramentum, id de Episcopatu posteriori modo considerato intelligitur; atque id multi antiquiores Scholastici negant dicentes, hanc potestatem non esse nisi extensionem quamdam characteris Sacerdotalis, adeo ut Episcopus non sit nisi Sacerdos perfectus: huic etiam sententiæ favet S. Thom. suppl. quæst. 40. art. 5.

I. Communior tamen sententia est, Episcopatum sic consideratum esse verè et propriè Sacramentum, fundaturque in Trid. sess. 23. can. 4.

Idem communiter probatur ex locis utriusque Epistolæ ad Timoth. Num. 1. citatis, ubi de Ordinatione Timothei in Episcopum agitur: sed non videtur inde efficax argumentum desumi posse, nisi priùs probetur, Timotheum non

fuisse sacerdotem simul et Episcopum ordinatum, quod difficulter ostendetur: aliàs enim quæ de collata gratia ibidem dicuntur, intelligi possunt de Episcopatu, quatenus Sacerdotium includit.

Quæritur jam, an Episcopatus non sit Sacramentum caractere distinctum à Sacerdotio?

R. Nec de hoc conveniunt Authores, etiam hi, qui Episcopatum esse Sacramentum admittunt. Steyaert, Piette et Billuart contendunt, esse unum Sacramentum cum Sacerdotio; idque probant ex eo, quòd Tridentinum tantum septem Ordines numeret, item quòd aliàs non Sacerdos Episcopus ordinari posset, sicut non Diaconus potest ordinari Sacerdos, quod tamen negat S. Th. suppl. quæst. 40. art. 5. arg. *sed contra*. Alii, ut Estius, Bellarminus, Sylvius, Neesen et Daelman, asserunt, Episcopatum esse Sacramentum à Sacerdotio realiter distinctum: sicut enim potestas ordinandi alios Sacerdotes vel Episcopos, quæ in Ordinatione Episcopi confertur, realiter distincta est à potestate consecrandi Eucharistiam, ita etiam distinctum characterem imprimere videtur.

Ad fundamenta contrariæ opinionis respondent, ad primum, quòd Tridentinum enumeret septem Ordines conformiter ad S. Thomam, qui distinctionem Ordinum considerat secundum relationem, quam habent ad Eucharistiam, ut diximus, Num. 3. Ad secundum Daelman dubitat; sed alii admittunt, quòd nullus nisi Sacerdos Episcopus ordinari possit; disparitatem verò dant, quòd potestas Sacerdotalis in Episcopatu non contineatur, sicut potestas Diaconalis et aliorum Ordinum inferiorum eminenter continentur in Sacerdotio.

II. Quænam est materia et forma Episcopatus?

R. Satis convenit inter Authores, impositionem manuum sub hac forma: "Accipe Spiritum Sanctum," esse materiam, cui quidam addunt impositionem Codicis Evangeliorum supra caput Ordinandi. Cæteri ritus videntur tantum esse accidentales.

An Episcopus jure Divino superior est simplici Sacerdote?

III. R. Affirmativè: et constat ex Trid. sess. 23. can. 6. et 7.

In quo sita est ista superioritas Episcoporum supra simplicem Sacerdotem?

R. In eo, quòd Episcopi habeant potestatem tum Or-

dinis, tum jurisdictionis majorem, quàm simplex Sacerdos.

Potestas illa Ordinis consistit in ordinando, confirmando, Chrisma conficiendo, Tempa et Altaria consecrando, &c.

Ad potestatem verò jurisdictionis spectat Confessarios approbare, excommunicare, indulgentias concedere, &c.

Contra illam Episcoporum superioritatem objicitur 1^o. quòd S. Paulus in Epistola ad Philipp, scribens eosque salutans tantùm meminerit Episcoporum et Diaconorum : ergo iidem sunt Episcopi, qui Presbyteri.

2^o. S. Hieronymus commentans in cap. 1. Epist. Ad Titum v. 5. dicit idem : ergo idem est Presbyter, qui Episcopus : idem videtur dicere S. Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum cap. 4.

R. Ideo S. Paulum non fecisse distinctionem inter Episcopos et Presbyteros, quòd vel illo tempore communi nomine appellarentur, vel simplices Presbyteri nondum existerent : videtur enim, quòd initio Ecclesiæ Ordo Episcopalis à Sacerdotali non separaretur, sed uterque in eadem persona concurreret.

Quantùm ad S. Hieronymum, ille sic locutus est ex zelo sui Ordinis ; cùm enim ipse esset Sacerdos simplex, et Episcopi nimis insolenter se supra Presbyteros efferrent, quin imò quidam Diaconi se Presbyteris præferrent, probare nititur, eosdem esse Episcopos et Presbyteros ; quia Scriptura utrique Episcopi nomen tribuit ; non tamen eos quoad omnia pares esse prætendit, cùm solis Episcopis ordinandi potestatem tribuat.

Nec contra facit, quòd dicat, Episcopos magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositionis dominicæ veritate Presbyteris superiores esse ; quia illud intelligit de usu seu exercitio externæ jurisdictionis, quod initio Ecclesiæ Presbyteris cum Episcopis commune erat, quodque per consuetudinem ad solos Episcopos revocatum est, quibus solis ex Divina ordinatione competeat illud.

Ad tertium respondetur, S. Augustinum tantùm velle, quòd illud honoris vocabulum *Episcopus* jam ex consuetudine sit proprium soli Episcopo, quod etiam ante concedebatur Presbytero ; aliàs enim superioritas Episcoporum tam nota erat, ut Aërius quidam Hæreticus haberetur etiam ab Augustino, quòd illam negaret.

A quo habent Episcopi suam jurisdictionem ?

VI. R. Galli prætendunt, quòd Episcopi illam habeant immediatè à Christo, obtentâ tamen à Pontifice confirmatione : sed communis extra Galliam sententia est, Episco

pos suam jurisdictionem immediatè accipere à pontifice; hæcque sententia, ait Steyaert, expressiore et majore nititur autoritate; conformis etiam est menti Ecclesiæ Romanæ, cæterarum matris ac magistræ; atque pro ea stat expressissima S. Leonis Papæ doctrina dicentis: “Nunquam nisi per ipsum (Petrum nempe vel ejus successorum) dedit, quidquid aliis non negavit; item ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.”

Nec ex hac sententia consequens est, quòd Episcopi non sint jurè Divino Superiores Presbyteris quoad jurisdictionem; quia quamvis jurisdictionem à Pontifice accipiant, illam tamen Pontifex ex Christi ordinatione ipsis conferre tenetur: disparata ergo sunt hæc duo: habere suam jurisdictionem jure Divino, et illam habere immediatè à Deo. Pro cæteris objectionibus consule Scholasticos.

N. 6. DE DIACONATU.

- I. *Duplex materia et forma Diaconatûs.* II. *Officia Diaconi.*
III. *Definitio Diaconatûs.*

QUÆNAM est materia et forma Diaconatûs?

I. R. Conformiter ad quartam sententiam, quam de Presbyteratu amplexi sumus, duplicem quoque materiam et formam partialem pro Diaconatu ponimus: prior, quæ est impositio manûs Episcopi sub hac forma: “Accipe Spiritum Sanctum ad robur,” &c. colligitur ex ordinatione primorum Diaconorum, item quòd subsequentibus temporibus impositio manûs constanter fuerit adhibita: patet ex Conc. IV. Carthaginensi can. 4. suffragatur quoque Trid. sess. 23. can. 4.

Altera partialis materia est traditio libri Evangeliorum sub hac forma: “Accipe potestatem legendi Evangelium,” &c. ut constat ex Eugenio IV. in instructione Armenorum: item ex eo, quòd nil sit, per quod disertius significetur Diaconi potestas ad actum quemdam Eucharistiam spectantem.

Obj. Fuerunt Diaconi ordinati, antequam liber Evangeliorum esset conscriptus: ergo traditio ipsius non potest dici materia essentialis.

R. Varii variè respondent: sed conformiter ad Num. 5. dicendum, quòd, cum Christus materiam et formam hujus Sacramenti reliquerit determinationi Ecclesiæ, in initio potuerit sufficere sola manûs impositio, donec Ecclesia traditione libri Evangeliorum pro materia partiali de er-

minaverit, saltem pro Latinis: quia iterum Græci pro Diaconatu solam manuum impositionem adhibent.

Quænam sunt officia Diaconi?

II. R. Præcipua sunt hæc: I^o. solemniter et proximè assistere Sacerdoti celebranti. 2^o. Solemniter cantare Evangelium. 3. Eucharistiam ministrare, sed tantùm in necessitate ex commissione Episcopi vel Parochi saltem præsumptâ.

Olim tamen, dum dabatur Communio sub utraque specie, dispensatio Calicis erat Diaconis ordinaria.

4^o. Baptizare, etiam solemniter; sed iterum non nisi in necessitate ex Episcopi vel Parochi commissione.

5^o. Prædicare Verbum Dei, sed ex solo Episcopi commissione.

Olim adhuc alia Diaconis committebantur, ut cura afflictorum, dispensatio Thesauri Ecclesiæ ex oblationibus ffdelium collecti, et in necessitate pœnitentium reconciliatio, non quidem sacramentalem absolutionem imperiando, sed vel Communionem dando, quæ erat reconciliationis signum, vel cæremonialem absolutionem nomine Episcoporum deferendo.

III. Diaconatus definiri potest: Ordo Sacer, quo potestas traditur ad proximè assistendum Sacerdoti celebranti, et Evangelium cantandum.

N. 7. DE SUBDIACONATU.

I. *Materia et forma Subdiaconatûs.* II. *Officia Subdiaconi.*
III. *Definitio.*

QUÆNAM est materia et forma Subdiaconatûs?

I. R. Multi putant, totalem hujus Ordinis materiam esse porrectionem Calicis vacui et Patenæ vacuæ; formam verò hæc verba: "Videte, cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis." Probant ex Conc. Carthag. et Flor. quæ hujus solius materiæ mentionem faciunt.

Aliqui superaddunt traditionem libri Epistolarem sub hac forma: "Accipite librum Epistolarem, et habete potestatem legendi eas," &c. prout præscribitur in Pontificali Romano.

Traditio urceolorum et susceptio sacrarum vestium videntur merè esse cæremoniales, ad significandum scilicet Subdiaconi officium statûsque excellentiam.

Quænam sunt officia Subdiaconi?

II. R. Primò Calicem et Patenam ad Altare deferre.

2º. Panem et Vinum suppeditare Diacono, eique sub-
servire.

3º. Solemniter Epistolam cantare.

4º. Juxta Pontif. Rom. pallas Altaris et corporalis abluere.

Quid est Subdiaconatus ?

III. R. Est Ordo Sacer, in quo potestas traditur minis-
trandi Diacono, et Epistolam solemniter cantandi.

N. 8. DE MINORIBUS ORDINIBUS.

I. *Materia et forma Acolythatûs.* II. *Ejus officium.* III.
Materia et forma Exorcistatûs. IV. *Ejus officium.* V.
Hodie soli sacerdoti committitur. VI. *Materia et forma*
Lectoratûs. VII. *Ejus officium.* VIII. *Materia et forma*
Ostiariatûs. XI. *Ejus officium.*

QUÆNAM est materia et forma Acolythatûs ?

I. R. Materia illius est traditio urceoli vacui, forma
verò: “ Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et
“ aquam in Eucharistiam, Sanguinis Christi in nomine
Domini.” Quidam ex Concilio Carthag. 4. can. 6. & Pont.
Romano pro partiali materia addunt traditionem candel-
labri cum candela extincta sub hac forma: “ Accipite
ceroferarium cum certo,” &c. Sed juxta S. Thom. suppl.
quæst. 37. art. 5. ad. 6. item Sylvium et Daelman non est
essentialis.

Quodnam est Acolythi officium ?

II. R. Ejus officium ita describit Pont. Rom. “ Cerofo-
“ rarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum et
“ aquam ad Eucharistiam ministrare.”

Quænam est materia et forma Exorcistatûs ?

III. R. Ejus materia est traditio libri exorcismorum, cu-
jus loco juxta Pont. Rom. tradi potest Missale vel Pontifi-
cale Romanum: forma autem est: “ Accipite et commen-
“ date memoriæ, et habete potestatem imponendi manus
“ super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechu-
“ menos.”

IV. Officium Exorcistæ est legere exorcismos, et manus
imponere super Energumenos, ad dæmones pellendos vel
cohibendos.

V. Nota, quòd Exorcista suam, quam vi Ordinis accepit,
exorcizandi potestatem, jam amplius licitè exercere ne-
queat, sed illam Sacerdotibus reservatam esse, ita quidem
ut nec his sinè speciali Episcopi commissione hâc uti lici-
tum sit propter varios abusos, ut sunt sordida Exorcista-
rum avaritia, et Laïcorum nimia credulitas; et quidem ut

hæc commissio scriptis habeatur, vult Synodus II. Provincialis Mechliniensis titulo 15. cap. 4. item Pastorale, in quo varias circa exorcismos faciendos instructiones reperies.

Quænam est materia et forma Lectoratûs?

VI. R. Materia est Traditio Scripturæ Sacræ : forma hæc verba : “ Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverint ab initio.”

VII. Officium Lectoris est populo prælegere Divinas Lectiones, ut bene instructus ad Eucharistiam accedere possit.

Quænam est materia et forma Ostiariatûs?

VIII. R. Materia illius est traditio clavium Ecclesiæ, et forma hæc verba : “ Sic agite quasi reddituri rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.”

IX. Officium Ostiarii est claudere et aperire portam Templi, ad illud dignos admittere et indignos arcere, campanas pulsare, in cuius rei signum ipsi campanula pulsanda ab Archidiacono traditur.

Finaliter observandum, quòd, quando dictum est, traditionem alicujus rei esse materiam alicujus Ordinis, id de materia proxima sit intelligendum; materia enim remota est ipsa res, seu instrumentum, quod traditur.

N. 9. DE ATTACTU MATERIÆ REMOTÆ.

I. *Contactus materiæ ad validam ordinationem* II. *Probabilis debet esse physicus.* III. *Aliter ordinatus, sub conditione reordinandus.* IV. *Monitum.*

QUALIS requiritur attactus materiæ seu instrumentorum ad valorem Sacramenti Ordinis?

I. R. Quidam volunt sufficere attactum materiæ moralem situm in eo, quòd ordinandus extentione manuum, vel alio signo aut nutu ostendat, se acceptare instrumentum, quod ipsi ab ordinante porrigitur.

II. Probabilior tamen et tutior sententia, adeoque in praxi sequenda, requirit contactum materiæ physicum, sive quòd instrumentum ab ordinante porrectum materialiter et corporaliter ab ordinando tangatur. Probatur ex S. Thoma suppl. quæst. 34. art. 5. ad 3. ubi postquam ostenderit, quomodo porrectio materiæ in hoc Sacramento possit dici magis de essentia Sacramenti, quàm tactus, subjungit hæc verba : “ Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacra-

menti;" quia dicitur: "Accipe hoc vel illud." Quibus verbis se satis in hanc sententiam propendere ostendit.

Probatur ulterius ex Pontif. Rom. quòd pro omni Ordine constanter tactum instrumentorum præscribit, eumque, ubi agit de Acolythatu, expressè dicit fieri debere. Denique Episcopi et illorum Ministri de illo tactu valde solliciti sunt, idque ex Pont. Rom. præscripti, in signum, quòd ille contactus ad minùs probabiliter sit essentialis.

III. Unde meritò dicit Sylvius, Ordinem sub conditione saltem reiterandum fore, si quis sinè tali contactu ordinatus fuisset.

An Sacerdotio initiandus, sicut tangere debet Vasa Sacra, ita etiam tangere debet panem et vinum?

R. Quantùm ad vinum, certum est, quòd physicè tangi non debeat; tangendo enim physicè calicem, censetur etiam tangere vinum in eo contentum.

Quantùm verò ad panem sive Hostiam, videtur eàdem ratione immediatè attingi non debere, tangendo enim patenam, sufficienter etiam tangi videtur panis ei superpositus.

IV. Pro praxi tamen omnino curandum est, ut panis etiam physicè attingatur, cui quoque Episcopus solet invigilare, si tamen contactus ille omissus foret, non ideo ordinationem sub conditione reiterandum esse, censent Authores communiter.

Imò quidam volunt, quòd sufficiat Physicus attactus solius calicis, cui patena cum pane imposita est, idque propter hanc rationem, quod qui sic calicem tangit et accipit, censeatur etiam tangere et accipere patenam superimpositam.

N. 10. DE EFFECTU SACRAMENTI ORDINIS.

S. Thom. suppl. quæst. 35.

- I. *Effectus Ordinis: 1º. Gratia sanctificans per se secunda.*
- II. *2º. Gratia suo tempore danda.* III. *3º. Character.*
- IV. *Qui aliquando datur sinè gratia.* V. *Quique necessariò præsupponit Characterem Baptismi, et ex præcepto Confirmationis.* VI. *Item ex præcepto Character superioris præsupponit inferioris.* VII. *Excipe Episcopatum.* VIII. *Pæna per saltum ordinati est suspensio.*

QUINAM sunt effectus Sacramenti Ordinis?

I. R. 1º. Gratia sanctificans per se secunda, seu gratiæ sanctificantis augmentum, cùm sit Sacramentum vivorum: per accidens etiam prima, ut ostenditur in Tractatu *de Sacram in genere.*

II. 2°. Gratia sacramentalis seu actualis fini Sacramenti subservientes, suo tempore dandæ, ad Ordinis munia ritè decenterque obeunda.

III. 3°. Character, quem S. Thomas suppl. quæst. 34. art. 2. ad 2. vocat effectum Ordinis principalem. Ratione hujus Characteris Sacramentum Ordinis initerabile est, et potestas Ordinis inamissibilis, adeo ut Sacerdos excommunicatus vel degradatus validè consecret.

Hos effectus causat quilibet Ordo, qui Sacramenti rationem habet.

Sed an omnis Ordo, qui Sacramenti rationem habet, prædictos effectus causat in omni subjecto, quod Ordinem validè suscipit?

IV. R. Characterem semper imprimit, quodcumque talis Ordo validè suscipitur; gratiam vero non confert nisi ritè dispositis.

An Character Ordinis præsupponit alium Characterem?

V. R. S. Thomas hîc art. 3. docet, Characterem Ordinis de necessitate Sacramenti præsupponere Characterem Baptismalem; quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, et ad ea recipienda potentiam tribuit. Art. 4. autem docet, necessarium non esse necessitate Sacramenti, ut qui Ordinem suscipiunt, sint confirmati; illud tamen requiritur necessitate præcepti; patet ex Trident. sess. 23. *de Reform.* cap. 4. ubi dicit: "Primâ Tonsurâ non initi-
"entur, qui Sacramentum Confirmationis non suscepe-
"rint."

An Character Ordinis superioris de necessitate Sacramenti præsupponat Characterem Ordinis inferioris?

VI. R. Quilibet Ordo superior præsupponit inferiorem de necessitate præcepti, imò et primam Tonsuram, ut constat ex variis cap. Trid. sess. 23. *de Reform.* ad valorem non requiritur, quod et S. Thomas cit. quæst. art. 5. in *Corp.* sic declarat: "Quia potestates sunt distinctæ, et una, quantum est de suâ ratione, non requirit aliam in eodem subjecto."

Patet etiam ex cap. SOLLICITUDO dist. 52. et cap. TUÆ LITTERÆ lib. 5. decret. tit. 29. quæ jubent tantum conferrî Ordinem prætermisum, non verò reiterari jam collatum: communis tamen sententia docet, talem graviter peccare; quia violat præceptum Ecclesiæ in materia gravi.

Excipe tamen Episcopatum, qui de necessitate præsupponit Sacerdotium, ut docet S. Thomas suppl. quæst. 40. art. 5. in argumento *sed contra*: item multi Theologi ex

eo, quòd Character Episcopalis sit tantùm quædam extensio Characteris Sacerdotalis, adeoque hunc necessario supponat. Vide Num. 5.

Quæ pœna statuta est contra eum, qui Ordinem superiore suscipit, inferiore prætermisso, seu qui per saltum ordinatur?

VIII. R. Quidam ipsum irregularem esse asserunt, alii suspensum, sed non ipso facto: tandem communior sententia talem ipso facto suspensum dicit, quoad Ordinem per saltum susceptum, juxta cap. TUÆ LITTERÆ. cit. et Conc. Trid. sess. 23, *de Reform.* cap. 14.

Quantùm verò ad inferiores Ordines antea ritè receptos, suspensus non videtur.

Notandum ergo, quòd talis, si ministret in hoc Ordine per saltum accepto, fiat irregularis, ob violationem censuræ: fit etiam irregularis, si ministret in Ordine inferiore, quem prætermisit.

Sed quæritur, an hæc irregularitas oriatur ex eo, quòd censuram violet, an quia ministrat in Ordine quem non habet?

R. Rectiùs videtur dicendum, quòd oriatur ex violatione censuræ. Ratio est, quòd cap. SI QUIS ET EX LITTERIS. in quibus decernitur irregularitas in eos, qui exercent actum Ordinis, quem non habent, agant de actu Ordinis, quem non habent virtualiter vel eminenter, ut de Diacono Missam celebrante: jam autem in casu agitur de actu Ordinis prætermissi, qui virtualiter et eminenter continetur in majori, ut dicit S. Thomas suppl. quæst. 35. art. 5. in *Corp.* “In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui priùs inferiores Ordines non susceperant, et tamen poterant, omnia, quæ inferiores Ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu et Ducatus in Regno.”

Denique notandum, quòd juxta Trid. sess. 23. *de Reform.* cap. 14. cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare: unde deducitur, quòd, si ministraverint, et ita irregulares facti sint, Episcopus dispensare non possit, nisi hoc sit occultum; tunc enim etiam dispensare non posset in vini sess 24. cap. 6.

N. 11. DE SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

I. *Subjectum Ordinis.* II. *Mulieres in Ecclesia taceant.*
 III. *Quales fuerint olim Episcopæ, Diaconissæ, &c.*
 IV. *Historia de Joanna Papissa est fabulosa.* V. *Sinè culpa Eunuchis validè et licitè datur Ordinatio.* VI.
Quid de Hermaphroditis. VII. *Pueri et amentes validè ordinantur,* VIII. *Sed illicitè.* IX. *Nec contrahunt obligationes.*

QUODNAM est subjectum Sacramenti Ordinis?

I. R. Homo viator, masculus, baptizatus, qui hoc Sacramentum nondum validè suscepit.

Proba, mulieres incapaces esse susceptionis hujus Sacramenti?

II. R. Probatur ex Apostolo 1. ad Cor. c. 14. 34. "Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse:" et v. 35. "Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia." item 1. ad Timoth. cap. 2. v. 12. "Docere autem mulieri non permitto...sed esse in silentio."

Rationem congruentiæ allegat S. Thom. suppl. quæst. 39. art. 1. in *Corp.* quòd per sacram Ordinationem significetur et conferatur aliqua eminentia gradûs et Præfecturæ Ecclesiasticæ, quæ mulieri non convenit, cùm per Divinam Ordinationem sit collocata in gradu subjectionis.

Præcipua verò ratio est voluntas Christi, quæ bonis innotescit, tum ex locis Apostoli citatis, tum ex traditione et praxi Ecclesiæ, quæ nunquam mulierem ordinasse legitur, ad o ut S. Epiphanius ad hæresim 79. dicat, quòd, ex quo mundus creatus est, apud veræ religionis cultores nulla unquam mulier Sacerdotio functa sit.

Quales igitur fuerunt mulieres, quæ olim dicebantur Episcopæ, Presbyteræ et Diaconissæ?

III. R. Illas sic non vocari ab Ordine, sed à viris suis, qui, cùm ad unum dictorum Ordinum assumebantur, eas relinquebant, aut in sæculo voto castitatis obstrictas, aut in Monasterio solemniter profitentes: titulos verò Maritorum suorum participabant, sicut adhuc hodie mulieres nomine vel titulo Mariti solent honorari. Id constat ex variis diversorum Conciliorum Canonibus, quos vide apud Tournelly et alios.

Aliquando etiam viduæ vel seniores dicebantur Presby-

teræ; *Presbyter* enim idem est act latinè *Senior*. Patet ex cap. 19. dist. 32.

Constat etiam plures olim Diaconissas vocatas esse, quòd obirent munia quædam officiis Diaconorum affinia, ut rudes mulieres principia fidei edocere, in Baptismo mulierum, qui tum per immersionem conferrebat, propter pudorem earum corpora nudare, &c. ad quæ munia certo quodam Ritu per impositionem manuum deputabantur; at is merè Cæremonialis erat et institutionis Ecclesiasticæ, non Sacramentalis; atque hunc Ritum lato quodam sensu et improprio veteres subinde Ordinationem appellârunt. Vide Natalem Alexandrum, Estium, Sylvium, Tournelly, &c.

IV. Quæ de Joanna Papissa proferuntur, nihil omnino probant: quia etiam illi, qui hanc historiam admittunt, asserunt, quòd mulier illa sexum suum mentita fuerit, adeoque ex hoc facto valida ejus ordinatio probari nequit. Sed illam meram esse fabulam, jam convenit inter Eruditos.

An Eunuchi ordinari possunt?

V. R. Non tantùm validè, sed et licitè ordinari possunt, si sint tales sinè sua culpa; si verò tales sint ex sua culpa, irregulares sunt, adeoque licitè ordinari non possunt; ordinantur tamen validè, cum sint sexûs masculini. Ita videre est in cap. 4, 5, 7, 8 et 9, dist. 55. Item in cap. 3, 4 et 5. *de Corpore Vitiatis*.

An hermaphroditæ, seu qui utrumque sexum habent, ordinari possunt?

VI. R. Omnes admittunt, inquit Suarez, (vide Num. 24. *de Censuris*), tales irregulares esse ob indecentiam et monstrositatem; adeoque saltem licitè ordinari non possunt: de valore autem Ordinationis litigant Authores.

Si talis virili sexu prævaleat, admittunt Zoësius et Suarez, eum validè ordinari posse, cùm vir reputetur; hoc tamen negant alii, si etiam verè sexum femineum habeat, cùm simpliciter non sit vir. Sed fortè rarò accidit, quòd verè utrumque sexum habeant, licèt habeant quosdam sexûs apparentias.

An pueri ante usum rationis et amentes sint capaces Ordinationis?

VII. R. Docet S. Thomas suppl. quæst. 39. art. 2. tales validè ordinari posse, probatque ex cap. TUÆ LITTERÆ, in quo Innocentius III. ante annos discretionis promotus ad Ordines Diaconatu inferiores concedit ministrare in iisdem sinè eorum reiteratione; hoc autem non esset, inquit S. Thomas, si ordinem non suscepisset: confirmat suam sen-

tentiam ratione Theologica: quia Ordo ad suū valorem non requirit actum suscipientis, sicut Pœnitentia et Matrimonium, et hujusmodi; ideoque validè suscipitur à pueris et amentibus, sicut alia Sacramenta characterem imprimentia. Tales validè ordinari, etiam docet Catech. Roman. *de Sacramento Ordinis* Num. 57. et plures Authores, inter quos etiam Daelman in tractatu *de impedimentis Matrimonii* agens de voto et Ordine; sed in oratione ad calcem ejusdem tomi sustinet ex Tournelly oppositum.

Notandum tamen, quòd hæc de perpetuò amentibus sint intelligenda; si enim aliquando rationis usum habuerint, et tunc intentionem suscipiendi hoc Sacramentum non habuerint, verosimilius invalidè ordinarentur in amentia, maximè si notitiam hujus Sacramenti habuerint; quia tunc potius habitualiter dissentire, quàm consentire censerentur: si verò intentionem habuerint, et illam ante amentiam non retractaverint, validè in amentia ordinabuntur.

An verò etiam Episcopatus usu rationis destitutis validè conferri possit, disputatur. Negat S. Thomas art. 2. statim citato: ejus ratio est: “Quòd ad Episcopatum, “ubi etiam in Corpus mysticum accipitur potestas, requiratur actus suscipientis curam animarum Pastoralem.”

An sicut validè, ita et licitè prædicti ordinari possunt?

VIII. R. Negativè: probatur ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 4, 5 et 11. decernente ac statuente, ne primà Tonsurâ initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegerint. Nec ad minores Ordines promoveantur, nisi qui bonum à Parocho et à Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habent, et Latinam Linguam intelligant: ex quibus evidenter patet, Patres Concilii rationis usum in Ordinandis requisivisse.

An prædicti sic Ordinati, quando postea ad usum rationis veniunt, teneantur servare onera et obligationes Ordini Sacro annexas?

IX. R. Negativè; nisi postea rationis compotes consentiant, aut munia Ordinis sui obire velint.

Obj. Baptizatus in infantia tenetur servare legem Evangelii: ergo, &c.

R. Disparitas est, quòd lex Evangelii sit ad salutem necessaria omnibus: jam autem omnes tenentur curare suam salutem: ergo etiam tenentur servare legem Evangelii. Onera verò Ordini Sacro annexa, ut cœlibatus et recitatio horarum, non sunt necessaria ad salutem: ergo, &c.

An inviti et inscii validè Ordinari possunt ?

R. Si sint simpliciter et absolutè inviti, Ordinatio secundùm communem sententiam nulla est. Idem est de insciis, illis scilicet, qui nullam intentionem hujus Sacramenti suscipiendi habentes ignoranter ordinantur.

N. 12. DE REQUISITIS AD LICITAM ET FRUCTUOSAM SUSCEPTIONEM ORDINUM.

I. *Requisita Confirmatio.* II. *Ordo susceptus inferior.* III. *Debita ætas.* IV. *Sub pœna suspensionis.* V. *Debita scientia.* VI. *Probitas vitæ.* VII. *Recta intentio.* VIII. *Immunitas ab impedimento Canonico.* IX. *Subjectio Ordinati.* X. *Ordinandi Titulus.* XI. *Pœna Ordinati sinè titulo est suspensio.* XII. *Pœna sinè titulo ordinantis.* XIII. *Vocatio Divina.* XIV. *Observatio interstitiorum.* XV. *Episcopus dispensat in interstitiis pro suis.* XVI. *Status gratiæ.*

NUMERO præcedenti de valida Ordinum susceptione egimus, nunc de licita et fructuosa est agendum.

Quænam ergo requiruntur, ut quis licitè et fructuosè Ordines suscipiat ?

I. R. Primò requiritur, ut sit confirmatus, quod etiam prærequiritur primæ Tonsuræ: patet ex Trid. sess. 23. *de Reformatione* cap. 4. Tonsura autem prærequiritur omnibus Ordinibus.

II. 2º. Ordini superiori prærequiritur inferior, ut Num. præcedenti dictum est.

III. 3º. Requiritur debita ætas. Pro Tonsura et Ordinibus minoribus ætas determinata non est; debent tamen ad discretionis annos pervenisse, ut Num. præcedenti ex Trident. ostendimus. Quantum ad majores Ordines Trid. sess. 23. cap. 12. *de Reformatione* statuit sequentia: "Nullus in posterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur." Annus ubique intelligitur inchoatus, sed qui computari debet à nativitate, non autem à conceptione. Pro Episcopatu requiritur annus trigesimus completus. "Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit." Ita cap. CUM IN CUNCTIS. lib. 1. decret. tit. 6. in Gallia sufficit annus vigesimus septimus inchoatus. Ita Barbosa, Antoine, &c.

Quòd si dies aut hora desit, quominus penultimus annus completus et ultimus inchoatus sit, existimat Barbosa, Or-

dines illicitè conferri: diem tamen bissextilem computandum non esse prætendit, eò quòd annus in jure expressus tantùm intelligatur 365 dierum, seu annus solaris communis: sed hoc aliis tutum non videtur; quia annus videtur computandus juxta ritum et consuetudinem Ecclesiæ, quæ numerat per bissextos.

Quis in requisita ætate potest dispensare?

R. Jure ordinario id potest solus Pontifex: sed Episcopi tantùm ex Pontificis commissione.

IV. Qui sinè ætate requisita, et non obtentâ dispensatione, aliquem Ordinem suscipit, incurrit ipso facto suspensionem ab illo Ordine, juxta constitutionem Pii II. CUM EX SACRORUM.

An verò qui sic promoveretur ad Sacerdotium, consecrando cum Episcopo fieret irregularis, dubitatur. Affirmat Bonacina ex eo, quòd exercendo actum Ordinis violet censuram. Negant alii ex eo, quòd Ecclesia illam Missam respectu Neomystarum potiùs habeat pro actu Ordinationis, quàm Celebrationis.

V. 4^o. Debita scientia, major vel minor pro ratione Ordinis et locorum, quò mittuntur; sic in Sacerdotibus major requiritur, quàm in aliis, ut docet Concil. Trid. sess. 23. *de Reform.* cap. 14. quod paulò uberius ab ejusdem Concilii Catechismo explicatur parte. 2. Num. 56. “In Sacerdote, inquit, non solum ea cognitio requirenda est, quæ ad Sacramentorum usum et tractationem pertinet, sed etiam Sacrarum Litterarum scientiâ ita instructum esse oportet, ut populo Christianæ fidei mysteria et Divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem et pietatem incitare, à vitiis revocare fideles possit.”

“Subdiaconi et Diaconi, inquit Tridentinum, ordinentur... litteris et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.” Et quidem hoc sufficeret, inquit Steyaert, si verosimile foret, in istis Ordinibus substitutos, non esse ad ulteriorem promovendos: alioquin subintelligi debet, quos *scientiæ spes* Ordine ulteriore *dignos ostendat*, prout de minoribus Ordinibus præmiserat idem Concilium: adeoque quod de Sacerdotis scientia dictum est, cum proportione Diaconis et Subdiaconis est applicandum; cùmque nihil magis Ecclesiasticum deceat, quàm scientia Scripturæ Sacræ, inde Excellentissimus Dominus Archi-Episcopus noster in decreto anni 1762. 12. Martii nullum se ordinaturum declaravit, nisi prius in examine quæstionibus scripturisticis satisfecerit.

VI. 5°. Probitas vitæ. “Quorum probata vita senectus sit,” ait Concil. Trident. sess. 23. cap. 12. *de Reformatione*. Non quòd Ordinandus debeat post Baptismum peccasse nunquam mortaliter, sed saltem quòd à majoribus criminibus immunis esse debeat, vel ea condignâ pœnitentiâ ita eluerit, ut inde nulla ipsi infamiâ adhæreat.

VII. 6°. Recta intentio seu debitus finis, ut scilicet Ordines non suscipiantur ad divitias et honores obtinendos; sed “Qui Ordinis Sacramento initiari volunt,” (inquit Catechismus Romanus Num. 9. *de Sacramento Ordinis*) “hoc sibi proponant, opus est, ut non solùm Dei Gloriam “ in omnibus rebus quærant, quod omnibus “ fidelibus commune esse constat; sed etiam ut aliqui certo “ Ecclesiæ Ministerio addicti in sanctitate et justitia “ (quibus rebus maximè Deus colitur) illi serviant;” et munia Ordinis sui vel officii ritè obeundo, alios quoque servire faciant.

VIII. 7°. Immunitas ab impedimento Canonico. Pro quibus consule tractatum *de Censuris*.

IX. 8°. Ordinandus subditus esse debet Episcopo ordinanti, nisi à proprio Episcopo facultatem habeat, v. g. per Litteras dimissoriales. Sed de hoc Num. sequenti.

X. 9°. Requiritur titulus, pro Ordine sacro scilicet: triplex autem titulus distinguitur, beneficii nimirum, paupertatis seu Professionis Religiosæ, et patrimonii, prout colligitur ex Conc. Trid. sess. 21. *de Reform.* cap. 2. Titulus patrimonii ante Conc. Lateranense III. non admittebatur, et tunc tantùm ex quadam dispensatione cœpît approbari: Trid. verò declarat, quòd patrimonium vel pensionem obtinentes posthàc ordinari non possint, nisi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate Ecclesiarum suarum.

Qualis debet esse titulus beneficii, pensionis vel patrimonii?

R. Trident. citato capite talem requirit, ut ad honestam Clerici sustentationem sufficiat; debetque titulus ille verè subsistere: unde beneficium litigiosum vel temporaneum non sufficit: idem est de pensione et patrimonio. Quantum verò ad honestam sustentationem requiratur, relinquendum est iudicio Episcopi.

Secundùm Synodum II. Prov. Mechlin. tit. 9. cap. 8. ordinandi jurare debent, quòd titulum patrimoniale vel beneficiale vere et sinè ulla fraude possideant, nec eum sint alienaturi, quantumvis de alio essent provisi nisi de consensu Episcopi.

Quam pœnam incurrit, qui ordinatur sinè titulo ?

XI. R. Qui ordinatur sine titulo, in scio Episcopo, est pso facto suspensus ab Ordine sic suscepto. Probatur ex Capitulo NEMINEM, et Capitulo SANCTORUM. dist. 70. Hanc pœnam etiam incurrit, qui ordinatur titulo ficto, vel vero quidem et reali, sed sub conditione nihil unquam exigendi à constituyente sibi titulum, vel statim post Ordinationem illum exonerandi.

Aliud est, inquit Steyaert et Daelman, de promissione nihil exigendi nisi in necessitate : aliud quoque est de promissione exonerandi titulum, quamprimum licebit ; quia per hoc non derogatur intentioni Concilii Trid.

Similiter incurrit hanc pœnam Religiosus ordinatus titulo paupertatis ante professionem, ut constat ex Bulla Pii V. ROMANUS PONTIFEX.

Sed objiciunt, quòd Innocentius III. cap. CUM SECUNDUM. lib. 3. Decret. tit. 5. hanc suspensionem, pœnam contra Ordinatos sinè titulo revocaverit : Conc. Trid. autem censetur tantùm confirmare pœnas tunc vigentes.

Quidam dicunt, quòd Innocentius tantùm revocaverit suspensionem lâtam contra Ordinatos sinè titulo, *sciente Episcopo*. Alii admittunt, Innocentium hanc pœnam simpliciter sustulisse ; sed volunt, illam à Trid. renovatam esse, cum Conc. utatur verbo *innovare*, adeoque videatur non solùm pœnas tunc vigentes confirmare, sed etiam revocatas innovare.

An suspensionem illam incurrit, qui titulo Patrimoniali suscepit Ordinem Sacrum, sed ita debitis gravatus est, ut, si creditoribus satisfaceret, non ei superesset, unde honestè sustentari posset ?

R. cum Neesen et Bonacina sub distinctione : si bona illa patrimonialia, quorum titulo ordinatus est, sint constituta pro debitis illis loco Hypothecæ, suspensionem incurrit ; quia non habet titulum legitimum ; cum bona illa transeant cum suo onere, adeoque ex illis sustentari nequeat, si creditor solutionem sibi fieri velit. Si verò bona illa non sint constituta loco Hypothecæ, peccat quidem graviter, suspensionem tamen non incurrit ; quia habet verum titulum, unde sustentari debitè queat, sicut enim bona illa validè alienari possunt, ita etiam validè super illis titulus constitui potest.

Notandum, quòd, si quis bona tituli sui patrimonialis cum consanguineis suis dividat, inferenda sit hæc clau-

sula: "Salvo semper jure tituli Sacerdotalis, quo bona illa sunt gravata."

Quam pœnam incurrit ordinans sinè titulo?

XII. R. Si ordinaverit Religiosum nondum professum sinè titulo, suspenditur à collatione illius Ordinis, quem contulit, ad annum. Probatur ex Bulla Pii V. ROMANUS PONTIFEX.

Si ordinaverit aliquem sinè titulo sub pacto nihil à se exigendi, suspenditur ad triennium à collatione Ordinum. Ita cap. penult. extra *de Simonia*.

Tandem quodcumque Episcopus aliquem ordinat sinè titulo, tenetur ad honestam illius sustentationem, donec aliunde ei sit provisum. Si verò Episcopus moriatur, antequam sit ei provisum, tenebitur ejus Successor. Patet ex cap. 16. CUM SECUNDUM. extra *de Præbendis et Dignitatibus*.

Quid si quis titulo paupertatis seu professionis solemnîs in Religione approbata ordinatus sit, quam postea deserit, an Episcopus tenetur eum alere?

R. Negativè: sed ad Superiores dictæ Religionis spectabit illius alimentatio, donec ei aliunde sit provisum. Idem dicendum de scholaribus suppressæ Societatis Jesu, qui post biennium approbationis, emissis votis simplicibus, ex concessione Greg. XIII. ad Ordines sacros promoveri poterant. Vide declarationem Congregationis Cardinalium ad cap. 2. sess. 21. Conc. Trid. *de Reformatione*.

10°. Requiritur divina vocatio, juxta Apost. ad Hebr. cap. 5. v. 4. "Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron." Vide etiam Catech. Rom. Num. 3. *de Sacramento Ordinis*.

Quid est Divina illa vocatio?

XIII. R. Est actus providentiæ Dei, aliquem seligentis et segregantis ad opus Ministerii Ecclesiastici. Vocatio alia est interna, quâ quis se trahi sentit per motiva sancta et religiosa ad amplectendum statum Ecclesiasticum; alia externa, quâ quis à Superioribus v. g. Episcopo ad eundem statum compellitur, inducitur vel invitatur. Vocationis signa describunt Ascetici. Steyaert in *Appendicibus* controv. 6. hanc vocationem externam secundum modernam Ecclesiæ disciplinam ita describit: "Episcopi generali vocatione certis temporibus omnes invitant, qui se ad Sacram Ordinationem sistere, et obsequio Ecclesiæ offerre voluerint: et tunc in examine specialiter vocant, quos ordinandos putant." Nunc enim ferè impossibile

esse inquit, aliquos, ut olim ad statum Ecclesiasticum raperent, nisi qui se per studia ad hoc expressè paraverint, atque ita etiam Sanctos hoc tempore ad Ecclesiam pervenire dicit, supponendo semper, vocationem internam, aliaque requisita non deesse.

XIV. 11^o. Observatio interstitiorum Conc. Trid. sess. 23. *de Reformatione* cap. 11, 13 & 14. minorum Ordinum interstitia relinquit determinationi Episcoporum, quibus hodiedum magis expedire videtur eos simul eodem die conferre. Inter minores Ordines et Subdiaconatum requirit interstitium unius anni, item interstitium unius anni inter Subdiaconatum et Diaconatum, et tantumdem inter Diaconatum et Presbyteratum, nisi aliter Episcopo videatur. Quantum ad interstitium inter minores Ordines et Subdiaconatum, jam passim aliter Episcopis videtur; cum plerumque pridè vel eodem die minores Ordines accipiant, quo Subdiaconi ordinantur. Benedictus tamen XVI. libro 7 *de Synodo Diac.* cap. 67. Num. 5. docet illicitum esse eodem die minores Ordines et Subdiaconatum conferre, et quidem sub pœna suspensionis, ut vult Pignatelli contra Barbosam aliosque.

Annus interstitii hîc non mathematicè, seu prout complectitur duodecim menses completos, sumitur, sed moraliter, numerando scilicet ab una quadragesima ad aliam, vel à Pentecoste ad Pentecosten.

Quis dispensat in interstitiis?

XV. R. Episcopus pro suis diœcesanis, etiamsi sint Religiosi exempti, et vi dimissorialium ab extraneo ordinantur.

Qui inscio Episcopo, et non servatis interstitiis, Ordinem quemdam suscipit, nullam censuram vel irregularitatem incurrit: quia nulla in jure legitur constituta: peccat tamen graviter, ut sustinet Barbosa cum aliis contra Henriquez; quia violat præceptum Ecclesiæ in materia gravi.

Episcopus sinè dispensatione Pontificis plures Ordines sacros conferens eodem die, suspenditur ab ordinandi potestate. Vide cap. *DILECTUS de temporibus Ordinationum*. Item conferens plures diversis diebus, ut unum Sabbato et alterum Dominicâ sequenti, juxta cap. *LITTERAS*, eodem titulo suspenditur à collatione Ordinum sic indebitè collatorum.

Ordinatus verò utroque casu suspenditur ab exercitio Ordinis ipso facto: sed quæritur, an ab utroque? et Barbosa ipsum tantum à posteriore Ordine suspensum esse contendit.

XVI. Ultimò requiritur status gratiæ, cum sit Sacra-

mentum vivorum. Unde qui illud indignè suscipiunt, præter sacrilegium, quod committunt, privantur omnibus gratiis ordinato quàm maximè necessariis, nec aliunde facilè recuperandis; cum verosimilius hoc Sacramentum non reviviscat.

N. 13. DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

S. Thom. Suppl. quæst. 38.

I. *Ordinarius Minister est Episcopus* II. *Consecratus.*
 III. *Validè ordinat, licèt hæreticus sit. &c.* IV.
Validè, sed illicitè ordinat non subditum. V. *Episcopus proprius est triplici titulo.* VI. *Originis,* VII. *Domicilii,* VIII. *Beneficii.*

QUIS est Minister Sacramenti Ordinis?

I. R. Minister ordinarius est solus Episcopus. Probatur ex Conc. Florent. "in instructione Armenorum" et Trid. sess. 23. can. 7. Rationem congruentiæ allegat S. Thom. quæst. cit. a. 1. in *Corp.* quòd Episcopus in Ecclesia habeat potestatem quasi politicam, et sic ad ipsum pertineat Ministeria publica dispensare, sicut in republica sæculari hoc spectat ad Principem.

II. Cùm collatio Ordinum sit actus Ordinis, et non jurisdictionis, hinc Episcopus debet esse consecratus.— Potest tamen Episcopus solùm electus, et confirmatus alteri Episcopo Ordinationem sui subditi committere; quia hoc est actus jurisdictionis.

III. Cùm ergo ordinare pertineat ad potestatem Ordinis, sequitur, quòd Episcopus, quantumvis simoniacus, hæreticus, excommunicatus, degradatus, &c. validè ordinet, modo debitam materiam et formam servet, habeatque intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Morinus tamen tales Ordinationes invalidas esse contendit, si factæ sint contra Canones Ecclesiæ; multisque exemplis hoc probare nititur, ubi tales Ordinationes vocantur irritæ, cassæ, et ordinati nihil accepisse, iterumque consecrari dicuntur. Sed ad hoc respondetur, illas Ordinationes irritas vocari, eò quòd ordinati suspensi essent ab Ordinis executione; potestas autem impedita, nulla reputatur: quòd verò tales aliquando dicantur rursus consecrari, tantum importat, quòd libera Ordinum executio et pristinus gradus ipsis restitueretur; tum enim solebant adhiberi ferè eadem Cæremoniæ, quæ ipsa Ordinum collatione adhibebantur. Vide Sylvium, Tournelly, &c.

Quantùm ad Ordinationes Anglorum, quæ fiunt juxta

Rituale Eduardi VI. dicitur illas esse invalidas; cum non servent formam legitimam. Ita communiter Authores.

Quosnam Episcopus potest ordinare?

IV. R. Validè ordinat etiam non subditum, non tamen licitè, nisi à proprio Episcopo habeat facultatem v. g. per dimissoriales; imò juxta Conc. Trid. sess. 23. *de Reformat.* cap. 8. suspenditur ipso facto per annum à collatione Ordinum, et ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire.

Capitulum Cathedrale, sede vacante, non potest concedere Litteras dimissoriales nisi post annum à die vocationis: potest tamen citiùs, si quis beneficii Ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus fuerit sive necessitatus. Ita Conc. Trid. sess. 7. chap. 10. *de Reformatione.*

Quotupliciter dicitur quis Episcopus proprius, ut ab illo quis Ordines suscipere possit?

V. R. Tripliciter: scilicet titulo originis, domicilii et beneficii; constat ex Cap. CUM NULLUS *de temporibus Ordinationum in 6.*

His aliqui addunt quartum modum ratione familiaritatis triennalis cum Episcopo. vide Trid. sess. 23. *de Reformatione cap. 9.*

Hinc potest aliquis habere plures Episcopos proprios et tali casu habet electionem: factâ autem semel electione inquit Steyaert *de Sacramento Ordinis* §. 4. Num. 3. ita ut jam ab uno ordinatus sit, non potest ampliùs variare: id tamen negant alii, ut Zoëzius et Engel: eò quòd talis variatio non legatur in jure prohibita.

Tres titulos, qui communiter assignantur, explicat Innocentius XII. in Bulla SPECULATORES, anni 1694, quæ ab Illustrissimo Domino Humberto Guilielmo à Præcipiano acceptata est.

VI. Juxta dictam Bullam ratione originis sive natalitatis is dicitur Episcopus proprius, in cujus Diœcesi naturaliter ortus est, qui ad Ordines promoveri desiderat: dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in loco illo: quo casu nullatenus ejusmodi fortuita natalitas, sed vera tantùm et naturalis patris origo erit attendenda. Ita Bulla. Unde deducitur, quòd, quamvis aliquis reputetur istius civitatis vel loci, in quo accidentaliter natus est, in ordine ad officia acquirenda, id tamen non sufficiat ad

Ordines suscipiendos, sed tali casu respici debeat ad Diœcesim, ubi ejus parentes ordinarium habent domicilium.

VII. De titulo Domicilii ita eadem Bulla: “ Subditus
 “ ratiōe Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dum-
 “ taxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen
 “ adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per
 “ decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum
 “ ac honorum suorum partem cum instructis adibus in
 “ locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod
 “ considerabile tempus commorando, satis superque suum
 “ perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit:
 “ et nihilominus utroque casu severè et realiter animum
 “ hujusmodi habere jurejurando affirmet.”

Unde deducitur, quòd. ut quis habeat Episcopum proprium ratiōe domicilii, debeat in ejus Diœcesi actualiter Domicilium habere seu habitare, et insuper animum ibidem perpetuo manendi: quare Theologus Diœcesis v. g. Leodiensis studens Lovanii non potest titulo domicilii ordinari ab Episcopo Mechliniensi, cum retineat animum aliò transmigrandi.

VIII. Secundum eandem Bullam titulo beneficii solus ille habet Episcopum proprium, qui in ejus Diœcesi pacificè possidet beneficium, “ Quod ad congruam vitæ sustentationem..... detractis oneribus, per se sufficiat.....
 “ sublatâ quacumque facultate supplendi, quod deficeret
 “ fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione Patrimonii
 “ etiam pinguis.”

Plura huc spectantia vide in ipsa Bulla, quæ refertur a Steyaertio in fine tractatûs *de Sacramento Ordinis*.

N. 14. DE MINISTRO EXTRAORDINARIO SACRAMENTI ORDINIS.

I. *Extraordinarius Minister est simplex Sacerdos.* II. *Pro Tonsura et minoribus Ordinibus.* III. *Pro Subdiaconatu.* IV. *Sed non pro Diaconatu.* V. *Nec pro Presbyteratu,* VI. *Neque Episcopatu.*

I. **QUISNAM** potest esse Minister extraordinarius Sacramenti Ordinis?

R. Simplex Sacerdos: ut tamen validè Ordinem quendam conferat, necessariò requiritur commissio Pontificis, nec ullo modo sufficit Episcopalis.

Quales Ordines simplex Sacerdos conferre potest ex dicta commissione?

II, R. Omnes admittunt, à simplici Sacerdote Tonsu-

ram et minores Ordines conferri posse. Probatur ex S. Thom. q̄st. 38. art. 1. ad 3. item ex Trid. sess. 23. cap. 10. *de Reform.* probatque ipsa praxis Abbatum, qui Religiosis suis Tonsuram et minores Ordines conferunt.

III. De majoribus generaliter negat S. Thom. communiùs tamen sustinetur, Subdiaconatum à simplici Sacerdote conferri posse; idque sæpius factum legitur.

IV. De Diaconatu hoc adeo certum non est. Qui affirmant, se fundant in Bulla Innocentii VIII. anno 1489. quâ Abbatibus Cisterciensibus concessisset facultatem Diaconatum suis Religiosis conferendi; dicuntque, Generalem Cisterciensium hâc facultate usum fuisse Romæ anno 1662. et Gandavi anno 1663. At alii id simpliciter negant, nullamque factis illis certam fidem concedunt. Ita Steyaert, Tournelly et plures alii.

V. Quantum ad Presbyteratum, communis sententia est, illum per simplicem Sacerdotem nullatenus conferri posse.

Quid ergo dicendum de Chorepiscopis, qui aliquando ordinasse leguntur Sacerdotes?

R. Cum Steyaertio, duplicis generis fuisse Chorepiscopos: quidam erant simplices Sacerdotes, similes modernis Decanis ruralibus; atque hi nunquam Sacerdotes ordinârunt: alii similes erant Episcopis, quos hodie Tutelares seu Suffraganeos appellamus, qui scilicet verè habebant characterem Episcopalem: atque de his intelligendum est, quòd aliquando Sacerdotium contulerint.

VI. De Episcopatu omnes conveniunt, quòd à simplici Sacerdote conferri nequeat; quia major à minori consecrari non potest.

Contra jam dicta objicies, quòd Minister Sacramenti Ordinis sit institutionis divinæ; jam autem simplex Sacerdos ex divina institutione non est Minister hujus Sacramenti; ergo per commissionem Pontificis talis fieri nequit.

R. Prænotandum, quòd ex ante dictis longè probabilius sit, tantum Ordines Diaconatu inferiores à simplice Sacerdote conferri posse. Illi ergo, qui sustinent, hos Ordines non esse Sacramenta, sed tantum institutionis Ecclesiasticæ, se facillè ab hac objectione expediunt; cum illud, quod merè est institutionis Ecclesiasticæ, ab Ecclesia vel Pontifice simplici Sacerdoti certò committi possit. Alii verò, qui sustinent, Ordines Diaconatu inferiores esse Sacramenta, respondent, quòd Christus quidem instituerit, ut Minister ordinarius esset Episcopus, sed extraordinarius esset simplex Sacerdos, si Pontifex commissionem daret.

Sicuti Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus, ubi tamen ex commissione Pontificis is est etiam simplex Sacerdos.

N. 15. DE MINISTRO EPISCOPATÛS.

NUMERO superiore dictum est, Episcopatum nullatenus à simplici Sacerdote conferri posse: sed à solo Episcopo. Restat examinandum, utrùm pro Consecratione Episcopi sufficiat unus Episcopus, an requirantur plures?

Requiri plures, ut id licitè fiat, certum est; et quidem multi Canones requirunt ad minùs tres. Ita can. 20. Concilii I. Arelatensis, can. 4. Concilii Nicæni, Pontificale Romanum, &c. Idque ideo videtur factum, ut cùm hic Ordo conferri non posset ab habente majorem Ordinis potestatem, id compensaretur per numerum.

2º. Certum est, quòd ex commissione Papæ sufficiat unus Episcopus, non tantum pro licita, sed etiam pro valida Episcopi Ordinatione; id enim sæpius factum legitur, et nostro tempore factum est. Vide Daelman et Billuart. Quomodo autem Pontifex possit concedere illam commissionem, in supposito, quòd plures ex Divina institutione requirantur, dictum est in fine Numeri præcedentis.

Sed quæritur, an ille Episcoporum numerus requiratur ad validitatem extra Pontificis commissionem?

R. Multi affirmant, et multi negant. Qui affirmant, allegant constantem praxim Ecclesiæ, tam Græcæ quàm Latinæ, quæ extra Pontificis commissionem omni tempore plures, et plerumque tres Episcopos adhibuit; atque hanc praxim ex Divina Ordinatione ortum habere contendunt, eò quòd illa jam tempore Apostolorum obtineret: quod probant ex 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14. ubi Apostolus dicit: "Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi...cum impositione manuum Presbyterii," id est, Cætus Presbyterorum.

Presbyteri illi sunt Episcopi juxta Sanctum Chrysostomum in hunc locum: "Neque enim, ait, Presbyteri eum ordinaverant." Confirmant ex Epist. 2. Anacleti Pontificis (si tamen ejus sit) ad Italiæ Episcopos, relatâ distinctione 66. *cap finali*, ubi sic habetur: "Hierosolymitarum primus Archi-Episcopus Beatus Jacobus à Petro, Jacobo et Joanne est ordinatus, successoribus

“videlicet suis dantibus formam, ut non minùs quàm à
“tribus Episcopis ullatenus Episcopus ordinetur.”

Qui negant, probant exemplis illorum, qui sinè Pontificis commissione fuerunt ordinati ab unico Episcopo : sic v. g. Evagrius sæculo IV. fuit ordinatus Episcopus Antiochenus à solo Paulino citra Pontificis commissionem, ut constat ex Theodoro lib. 5. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 23. et tamen ejus Ordinatio habita fuit valida, ut liquet ex Epist. 22. Innocentii Papæ ad Bonifacium.

Deinde probant ex eo quòd inter tres Episcopos tantùm unus sit ordinans, reliqui autem tantùm vocentur assistentes juxta Pontificale Romanum ; adeoque videantur tantùm adhiberi pro majori solemnitate, non autem ex necessitate ; sicuti loco illorum ex commissione Pontificis adhibentur simplices Presbyteri, qui suppleant vices Episcoporum assistentium. Ad Canones autem, qui plures Episcopos exigunt, respondent, illos tantùm agere de licita, non verò de valida Ordinatione.

Hanc posteriorem sententiam nuper confirmavit Clemens XIII. qui Presbyteros Jansenistas ab Episcopo Ultrajectensi ordinatos, censuit validè ordinatos fuisse, quamvis is ab uno solum Episcopo consecrationem accepisset. Plura vide apud Ben. XIV. de Synodo lib. xiii. cap. 13.

PARS PRIMA.

TRACTATUS

DE

SPONSALIBUS.

PROËMIUM.

HORUM Tractatum notitiam Theologis ad curam animarum suscipiendam sese præparantibus, ob quotidianam casuum circa eos emergentiam, esse maximè necessariam in propatulo est.

Præmittitur Decretum Concilii Florentini sive Eugenii IV. pro instructione Armenorum, circa hoc Sacramentum. "Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.* Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsentì expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii: 1um. Est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. 2um. Est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. 3um. Indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quòd significat indivisibilem Christi conjunctionem et Ecclesiæ: quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit."

Cùm contractus præambularis ad Matrimonium sint Sponsalia, hinc de iis primò agendum.

No. I. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE
SPONSALIIUM.

S. Thom. suppl. quæst. 43. art. 1.

I. *Sponsalia unde dicta.* II. *Tribus modis sumuntur.*
III. *Stricte sumpta definiuntur.* IV. *Futurarum nuptiarum.* V. *Promissio.* VI. *Mutua.* VII. *Inter personas determinatas.* VIII. *Differentia inter Sponsalia et Matrimonia.* IX. *Divisiones Sponsalium.*

I. SPONSALIA sic dicta, vel a “spontaneo consensu,” quem requirunt, vel potius à “spondendo,” triplici modo accipiuntur: 1^o. pro muneribus quæ sponsæ vel sponso offerri solent, et ita sumuntur I. *Reg. c. 18. v. 25.* “Non habet Rex Sponsalia necessè.”

II. 2^o. Pro Matrimonio rato non consummato; quo sensu Beata Virgo, licèt verè nupta, dicitur Matth. I. v. 18. “desponsata Joseph. Ita Jurisperiti Matrimonium sæpe vocant Sponsalia, sed non simpliciter; addere enim solent, “depræsenti.”

III. 3^o. Magis propriè et strictè sumpta definiuntur Sponsalia “futurarum nuptiarum mutua promissio:” addunt aliqui, “inter determinatas personas.” Hæc Jurisperiti vocant Sponsalia “de futuro; et de his in sequentibus agetur.

Dicitur “futurarum nuptiarum,” id est, futuri Matrimonii: unde his verbis exprimitur objectum Sponsalium.

Dicitur, “promissio,” unde non sufficit simplex intentio, desiderium, aut propositum licet verbis expressum; sed omnia ad veram promissionem necessaria requiruntur.

Additur “mutua, id est, reciproca, seu utrimque data et acceptata promissio; nam Sponsalia sunt contractus onerosus, et sicut non subsistit Matrimonium sinè mutua corporum traditione, sic nec Sponsalia sinè mutua futuræ hujus traditionis sponsione subsistunt; hinc dicitur quòd Sponsalia claudicare non possint.

Dum autem mutuò promittunt, censentur per eandem promissionem acceptare mutuam promissionem.

Hinc infer, quòd promissio etiam jurata obligationem non inducat, nisi acceptetur; quia in omni promissione subintelligitur hæc aut similis conditio, *si velis.*

Quid, si una pars tantùm promittat, acceptante parte alterà?

R. 1°. Non erunt sponsalia, si altera pars non repromittat; unde inde non oritur impedimentum publicæ honestatis, de quo postea.

2°. Posset promissio istius partis esse obligatoria, si scilicet voluerit specialiter se obligare alteri parti, etiam si altera non repromittat, nec se obliget. Si autem tantum intendat promittere et se obligare, alterâ etiam parte promittente, nulla exurget obligatio; eò quòd desit conditio.

VII. Debet enim mutua illa promissio, ut habeat rationem Sponsalium, fieri inter duas personas determinatas; quia sicut Matrimonium est unius cum una determinata, sic pariter ejus præambulum: unde Sponsalia non sunt, nec oriatur publica honestas, si quis simul pluribus filiabus promittat se unam indistinctim ducturum in uxorem, singulis acceptantibus et repromittentibus. Oriatur tamen inde vera promissionis obligatio, sic ut penes juvenem sit eligere quamlibet, quæ electa sequi tenetur.

VIII. In quo Sponsalia differunt à Matrimonio?

R. Præcipuè in sequentibus. 1°. Quòd Matrimonium essentialiter contineat traditionem potestatis in mutua corpora, Sponsalia tantum promissionem.

IX. 2°. Quòd Matrimonium inducat vinculum indissolubile jure naturæ, non sic Sponsalia.

3°. Quòd Matrimonium dicatur fieri per verba de præsentibus, Sponsalia per verba de futuro.

4°. Quòd Matrimonium sit elevatum ad rationem Sacramenti, adeoque statum gratiæ prærequirat, non sic Sponsalia.

Quomodo dividuntur Sponsalia?

X. R. 1°. In solemnia et clandestina. Solemnia dicuntur quæ contrahuntur coram Parocho et testibus; clandestina verò, quæ sine illorum præsentia contrahuntur, v. g. inter ipsos privatim.

2°. In absoluta, quæ purè; et conditionata, quæ tantum sub certa conditione ineuntur: conditio illa potest esse de præsentibus, præterito vel futuro; item honesta vel turpis, &c.

3°. In valida, quæ habent omnia substantialia; et invalida, quæ carent conditione substantiali.

4°. In licita, in quibus præscripta omnia ad licitatem observantur: et illicita quæ contrahuntur culpabiliter, sive peccaminosè.

5°. In simplicia, quibus nulla est pœna annexa; et pœnalia, quæ conjunctam habent pœnam resilienti.

6°. In jurata, sive juramento firmata, et non jurata.

N. 2. DE CONSENSU AD SPONSALIA
REQUISITO.

I. *Consensus ad Sponsalia requisitus.* II. *Deliberatus.*
III. *Mutuus.* IV. *Proprius.* V. *Internus.* VI. *Ex-*
ternus. VII. *Sponsalia exteriùs seriò contracta cum*
interno dissensu probabiliter sunt invalida.

I. QUALIS requiritur consensus ad valida Sponsalia?

R. Requiritur contrahentium consensus deliberatus, mutuus, proprius, internus simul et externus.

II. Deliberatio requiritur perfecta, qualis secundùm Theologos requireretur in simili actu ad peccatum mortale directè et in se voluntarium. Hinc non possunt contrahere Sponsalia, phrænetici et amentes, nisi haberent lucida intervalla, nec perfectè ebrii, etiam si quis prævideret, inquiunt Coninck et P. Pauwels, se in isto excessu facilè Sponsalia initurum. Aliter foret dicendum de imperfectè ebriis, in quibus alteratur quidem sensus, sed non aufertur.

III. Quòd consensus debeat esse mutuus, constat ex dictis Numero præcedenti.

IV. Quòd debeat esse proprius, patet ex eo, quòd nullus quoad dispositionem sui corporis in ordine ad Matrimonium subjiciatur juri alterius. Unde quantumvis parentes loco prolium contraherent, non subsisterent Sponsalia, nisi proles ipsa consentiat.

V. Quòd debeat esse internus, patet ex eo, quòd consensus propriè sit actus voluntatis.

VI. Quòd debeat etiam esse externus, liquet quod Sponsalia debeant esse utrimque nota, et ad se mutuò directa, adeoque requirant sensibilia signa, quibus communicatio illa fiat.

Quid si Sponsalia fiant per verba vel alia signa exteriùs seriò posita, et consensum importantia; sed quis interiùs directè et formaliter statuatur, quòd non velit contrahere aut se obligare?

VII. R. 1°. Qui docent generatim, contractus taliter initos esse invalidos, eò quòd debeat haberi consensus internus in obligationem per signa sensibilia significatam, pariter docent, talia Sponsalia esse invalida.

Cùm autem multi sustinent, contractus taliter initos esse validos, excipiendo tantùm Matrimonium, quia inducit vinculum perpetuum, et indissolubile; quæstio est inter Authores hujus sententiæ, utrùm sub exceptione Matrimonii etiam excipienda sint Sponsalia. Negant Pauwels

et Huygens, dicentes, quòd nascatur vera obligatio ex voluntate liberè et seriò ponendi talia signa externa: affirmat Daelman, eò quòd Sponsalia ad Matrimonium obligent, et sint quodammodo Matrimonium inchoatum, sicque conditiones Matrimonii sequi videantur.

Tenetur tamen secundùm omnes fictè promittens reparare damna, si quæ exinde passa sit altera pars, quæ sincerè repromisit. Certum interim est quòd interior animus non adimplendi promissionem, non irritet Sponsalia, si adfuerit animus promittendi et se obligandi.

N. 3. DE SIGNIS CONSENSUS SPONSALITII.

I. *Varia signa consensûs sponsalitii.* II. *An sufficiat solum silentium?* III. *Formula Sponsalium solemnium.* IV. *Dum verba dubia sunt, intentioni standum est.* V. *Sponsalia vel promissio à simplici proposito vel consensu bene distinguenda.* VI. *Sæpe in iis peccatur graviter.*

I. PER quæ signa debet consensus Sponsalium dari et acceptari?

R. Sufficiunt quæcumque signa, putà verba, nutus, datio arrhæ vel annuli, fractio nummi, &c. dummodo per illa sufficienter significant se promittere aut sese obligare ad Matrimonium inter se contrahendum: atque ita sufficiunt v. g. hæc verba: "Promitto tibi Matrimonium, juro me ducturum te in uxorem, &c."

Imò dicunt aliqui, ipsam taciturnitatem posse aliquando habere rationem repromissionis, ut si agatur de Sponsalibus jam pridem optatis, industriè quæsitis, &c.; II. sed Engel docet, quòd consensus ex taciturnitate non sit verus et naturalis, sed tantùm præsumptus, quæ præsumptio, inquit, non habet locum in causis Matrimonii: excipitur, nisi parentes pro filiis præsentibus, et non contradicentibus, sponderent, ut constat ex capitulo unico "de Desponsatione impuberum in 6. lib. 4. tit. 2."

III. Pro Sponsalibus solemnibus coram Pastore, præscribit Pastorale Mechliniense hanc formulam: "Ego Joannes N. in præsentia adstantium, promitto me daturum fidem meam tibi Catharinæ, N. quam hîc manu teneo, &c."

IV. Hæc verba: "Accipiam vel habebo te in uxorem," in foro externo judicantur sufficientia pro Sponsalibus; sed in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium: et ita generatim, dum verba sunt dubia, recurritur ad in-

tionem : ubi autem verba sunt certa, et de intentione dubitatur, supponitur intendisse sensum verborum.

Hæc verba: "Non ducam aliam, nisi te," exponuntur per hunc sensum disjunctivum, vel nullam ducam, vel si aliquam ducam, tunc te ducam, et non aliam, adeoque non faciunt Sponsalia, nisi conjungerentur aliæ circumstantiæ. Hæc tamen verba: "Ducam uxorem et non aliam nisi te," ut observat Zoësius, continent pura Sponsalia.

Sed quid de hoc contrahendi modo: vir dicit mulieri: "Ego te in uxorem accipio," mulier quoque dicit, ego te in maritum accipio coram Deo, &c. et hæc inter eos privatim peraguntur?

R. Cùm hæc conventio importet Matrimonium clandestinum, patet nullum esse in locis, ubi lex Tridentini est promulgata, irritans Matrimonia clandestina: nec transit in Sponsalia de futuro, ut sæpe declaravit S. Congregatio. Vide Benedict. XIV. *institut.* 46.

V. Prudenter hîc distingui debent Sponsalia vel promissio Matrimonii à nudo proposito aut intentione, et à simplici consensu vel assensu, etiam declarato, quæ sanè non inducunt strictam obligationem: propterea si filia juveni, eam ad Matrimonium postulanti, dicat: "ita, contenta sum, consentio, cupio tecum contrahere Matrimonium:" illa verba non inducunt promissionem, vel obligationem justitiæ (nisi ex circumstantiis aliud cognoscatur), sed continent nudam præsentis intentionis declarationem, cujus mutatio fieri potest absque læsione justitiæ aut fidelitatis.

Interea hîc graviter sæpe peccant, tam filia quàm juvenis, signanter dum pluribus similia dicunt, vel dum pluribus spem Matrimonii faciunt, quibuscum tamen Matrimonium verè non intendunt; quia eos decipiunt, et fraude, seu falsâ spe retrahunt ab alio Matrimonio contrahendo: in quo etiam parentes talia permittentes sæpe culpam habent.

N. 4. DE CONSENSU PARENTUM.

I. *Sponsalia sine consensu parentum sunt valida,* II. *Sed illicita.* III. *Per jura prohibita.* IV. *Concilium parentum est petendum non semper sequendum.* V. *Eorum præceptum circa Matrimonium quomodo obliget.* VI. *Consensus parentum irrationabiliter negatus* VII. *Potest suppleri per Judicem.* VIII. *Possunt quandoque parentes exheredare liberos sine consensu eorum contrahentes Matrimonium,*

I. AN Sponsalia sine consensu parentum sint valida?

R. Affirmativè; quia sicuti in ordine ad Matrimonium, ipse homo et sui juris, et corporis sui dominus, non parentes, sic etiam in ordine ad ejus promissionem, et hinc "Concilium Tridentinum sess. 24. de reformatione Matrimonii cap. 1." contra Lutherum definit, Matrimonia sine consensu parentum esse valida.

Excipit casum P. Pauwels, in quo Matrimonium, ob circumstantias, non posset licitè contrahi, quia v. g. ex Matrimonio orietur familiæ dedecus, odium perpetuum agnatorum, &c. quia, inquit, promissio de Matrimonio, quod licitè contrahi nequit, est invalida: interim optimum tunc est, ut observat Engel, recursum habere ad Judicem Ecclesiasticum, qui tale Matrimonium prohibere, et Sponsalia irritare potest.

An Sponsalia sine consensu parentum sint licita?

II. R. Negativè; sed filii et filiæ tenentur sub gravi inquirere, et petere consensum et consilium parentum; aliàs enim graviter agunt contra honorem, reverentiam et jus parentum, sub quorum custodia à Deo sunt positi, et negligunt consilium ordinarium in re gravissimi momenti, à qua reliqua totius vitæ series pendet: nam parentes à Deo dati sunt tanquam directores et consilarii, qui, scientes onera Matrimonii, cognoscunt quale Matrimonium conveniat filiis.

Quanti autem hic faciendum sit consilium parentum, demonstrant exempla filiorum veterum Patriarcharum quibus à parentibus designabantur conjuges.

III. Unde jura, tam civilia quàm canonica prohibent invitis parentibus nuptias contrahi: et Pastorale nostrum prohibet Pastoribus assistere Sponsalibus absque parentum consensu.

Dum verò orbatu sunt parentibus, requiritur consensus tutorum seu curatorum, vel tandem proximorum consanguineorum. IV. Porrò licet pro pietate et reverentiâ parentibus debitâ, proles teneantur petere eorum consilium, non semper tamen tenentur illud sequi, aut eis in hoc obedire; quia in ordine ad Matrimonium homo est sui juris, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. et suppl. quæst. 47. art. 6. Hinc si pater nolit, ut filius omnino liber et in Matrimonium propendens, ineat Matrimonium, non debet filius obedire patri cum periculo incontinentiæ; item si pater velit cogere ad Matrimonium filium aut filiam cum persona determinata, per se loquendo, non est ei obtemperandum.

V. Quando autem parentes præcipiunt vel prohibent Matrimonium ex juxta quadam causa, præceptum quidem obligat, sed non plus, quàm causa illa cogit vel urget, scilicet vel de honestate, vel de necessitate. Ita S. Thom. suppl. quæst. 47. art. 6. in Corp.

Notandum quòd parentes possint aliquando rationabiliter ex gravi causa recusare consensum, et ita impedire Sponsalia et Matrimonium: imò, tali casu, dissensum parentum esse justam causam dissolvendi Sponsalia etiam jurata, docet Benedict. XIV. instit. 46: sed hoc de juratis negat P. Pauwels casu 8. de Sponsalibus.

VI. Aliquando parentes resistunt irrationabiliter ex causis insufficientibus, ex avaritia, ambitione, &c. quominus proles conveniens ineant Matrimonium, in quo etiam parentes possunt peccare mortaliter, utpotè, impediendo sine causa prolem ab obligatione implendi id, ad quod vi Sponsalium tenetur sub mortali: tenetur tamen filius reverenter petere eorum consensum, nec semel tantùm, sed pluries, interpositis etiam mediatoribus; VII. quem si injuste denegare pergant, ultimum medium est præsentare libellum supplicem Judici, qui citatis parentibus, feret sententiam, et eorum consensum supplebit.

VIII. Nota, quòd per Edicta Caroli V. de die 4. Oct. anni 1540. et Philippi IV. de die 29. Novembris anni 1623, filii 25 annis minores sine consensu patris et matris, et minores sine consensu consanguineorum utriusque lateris et curatorum, Matrimonium contrahentes, incapaces reddantur omnium lucrorum, quæ alteri ab altero quomodo-cumque obvenire possent: item possent filii illi exhæredari à parentibus.

Eadem pœna statuitur contra eum, qui cum filia 20. annis minore Matrimonium init citra consensum patris aut matris, &c.

Nota, ex Zypæo, quòd Edictum non comprehendat filios 25. annis majores, dummodo consilium seu consensum parentum requisierint. Interim licèt talis filius junctus Matrimonio contra voluntatem parentum non posset tota hæreditate privari, possit tamen aliquo privari peculio, ut factum refert Stockmans decis. 70.

Edicta non habent locum in illis filiis, quorum matres ad secundas nuptias convolaverunt.

Cessant etiam respectu filia, quæ nupsit digno, a fortiori ei digniori.

Nec parentes exhæredare possunt proles, dum per Judicem eorum consensus irrationabiliter denegatus suppletur.

Vidui et viduæ, utpotè emancipati, non solent compelli, ut denuò petant consensum parentum.

N. 5. DE ÆTATE REQUISITA AD SPONSALIA.

S. Thom. suppl. quæst 43. art. 2.

I. *Capaces contrahendi Sponsalia* II. *Ex jure positivo debent esse septennes.* III. *Sed ea irritare possunt pubertatem adepti.* IV. *Non valent sponsalia ante septennium contracta, licèt adsit rationis discretio.* V. *Tempus quo licitè ad Sponsalia admittuntur.*

I. QUINAM validè possunt contrahere Sponsalia?

R. De jure naturæ omnes et soli illi, qui sufficienti rationis discretione præditi sunt, futuri habiles ad contrahendum validè et licitè aliquando Matrimonium.

II. Jure positivo ad valide contrahenda Sponsalia requiritur ætas 7 annorum completa tam in masculo quàm in puella. Vide cap. LITTERAS et cap. ACCESSIT. de desponsatione impuberum lib. IV. Decret. tit. 2.

III. Porrò Sponsalia post annum 7 contracta, non inducunt irrevocabilem obligationem, sed dum impubes contraxit, factus pubes potest ab eis resilire, modò intra triduum reclamet, nec inter eos ante pubertatis annos inter venerit copula carnalis. Vide cap. A NOBIS, de desponsatione impuber. lib. IV. tit. 2.

Sed si impubes illa Sponsalia juramento firmaverit, an attingens pubertatem posset ea irritare?

R. Affirmat Collet cum quibusdam; sed negat Zoësius, Pontas et Billuart: quia impubes potest se juramento adstringere: ergo ob religionem juramenti, cui contravenire periculosum est, tenetur Sponsalia servare. Vide cap. Ex LITTERIS, de Sponsalibus et Matrimonio lib. IV. tit. 1.

Et quia Sponsalia illa post annum 7 contracta, fuerunt valida, quamvis jure sic permittente, postea ab una parte pubertatem adeptà resolvantur; manebit tamen impedimentum publicæ honestatis.

Sed quid, si prudentia suppleret ætatem, et ante septennium addresset rationis discretio, an valerent Sponsalia?

IV. R. Affirmant Sanchez, Neesen, Billuart, &c. sed negant Wiggers, Daelman et alii; quia lex irritans Sponsalia ante septennium completum non distinguit casum

usûs rationis à casu, quo idem usus deest : sicque nullam exceptionem facit, quam tamen faciunt jura circa Matrimonium, si nempe malitia suppleat ætatem. Vide cap. DE ILLIS. de desponsatione impuberum, tit. statim citato.

Si septennio ætatis completo, necdum adsit sufficiens rationis usus in alterutro, erunt Sponsalia nulla jure naturæ.

V. Interim licèt septennes validè Sponsalia contrahere possint, ad ea tamen, in illa ætate, practicè non admittuntur : proinde Parochis prohibetur assistere Sponsalibus illorum, qui ætatem non habent, saltem in proximo Matrimonio secundùm leges contrahendo, maturam ; sive, qui ad annos pubertatis non pervenerunt, aut saltem eis sunt proximi.

N. 6. DE SPONSALIBUS CLANDESTINIS.

I. *Sponsalia clandestina sunt valida.*

I. AN valida sint Sponsalia clandestina ?

R. Affirmativè : et ita sæpius declarasse Sacram Congregationem, refert Bened. XIV. *Instit.* 46. Deinde nihil eis deest essenziale, nec est ullum jus ea irritans : hinc dicit Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 1. “ Certum est ea esse valida, et servari debere... Et cùm multi perperam aliter sentiant, error ille à Concionatoribus et Confessariis datâ opportunitate iis eximatur.”

Obj. Concilium Tridentinum irritat Matrimonia clandestina, ergo etiam Sponsalia clandestina, quia disponunt ad Matrimonium.

R. Negando consequentiam, quia Sponsalia, licèt clandestina, non disponunt propterea ad Matrimonium clandestinum ; non enim promittunt contrahere clandestinè, sed in forma Ecclesiæ : deinde, non est eadem ratio irritandi Sponsalia, quæ est irritandi Matrimonia clandestina ; irritata enim sunt talia Matrimonia, ut vitentur concubinitus, adulterini, &c. quæ ratio non militat in Sponsalibus clandestinis. Ulteriùs, cùm lex Tridentini sit correctoria juris communis, non est ultra casum expressum extendenda.

Possunt etiam Sponsalia validè contrahi inter absentes per litteras, item per procuratorem, modò habeat speciale mandatum, nullatenus revocatum, et ad particularem personam.

Docet Benedictus XIV. *lib.* XII. *de Synodo Diœces.*

cap. 5. non esse in potestate Episcopi irritare Sponsalia clandestina.

An sponsalia clandestina sint licita ?

R. Regulariter sunt illicita ob varia inconvenientia, quæ committuntur tum in ipso contractu, tum in eo quòd sæpius postea, non obstante Sponsalium impedimento, ad alias nuptias transeant; sæpe etiam sinè consensu parentum contrahuntur; hinc dicit Steyaert ea sine peccato notabili vix fieri posse. Igitur Sponsalia clandestina, uti etiam simplex Matrimonii clandestina promissio, utriusque sexûs juventuti est plurimum dissuadenda. Observat tamen Neesen, Sponsalia clandestina directè nullà lege esse prohibita, atque adeo aliquando esse licita, v. g. ut sponsus possit securè conducere domum, villam, &c.

N. 7. DE SPONSALIBUS CONDITIONATIS.

S. Thom. suppl. quæst. 43. art. 1.

I. *Apposita Sponsalibus vel habent rationem causæ, II. Modi, III. Demonstrationis, IV. Vel conditionis. V. Cujus variæ sunt divisiones. VI Sponsalia sub conditione honesta eâ purificatâ transeunt in absoluta.*

I. PRÆNOTANDUM, Sponsalibus posse aliquid adjici, ut causam, ut modum, ut demonstrationem et ut conditionem. *Causa* denotat motivum contrahentis, et exprimi solet per particulam *quia*: v. g. quis dicit: *promitto tibi Matrimonium, QUIA dives es.* Causa de se non suspendit nec irritat contractum, tametsi falsa supponatur; nisi habeat rationem conditionis, quo casu suspendet: irritabit autem, si falsitas causæ contineat errorem circa personam vel conditionem servilem. Potest etiam falsitas causæ facere contractum rescindibilem ex parte decepti.

II. *Modus* est adjectio oneris, ad quod volumus alterum obligare post contractum; et ordinariè exprimitur per conjunctionem *ut*: v. g. *spondeo tibi Matrimonium, UT mecum mercaturam exerceas.* Modus nec suspendit, nec irritat Sponsalia. Vocatur à multis *conditio modalis.*

III. *Demonstratio* designat personam, quacum contrahitur per aliquam ejusdem qualitatem, et solet fieri per relativum *qui*, ut v. g. *spondeo tibi Matrimonium, QUÆ nobilis es.* De demonstratione idem dicendum, quod de causa.

IV. *Conditio* est, dum aliquid adjicitur, suspendens contractum, nec partes ante illius verificationem obligari volunt; explicari solet per particulam *si*: v. g. *contraham tecum Matrimonium, Si dederis mille in dotem.*

V. *Conditiones aliquæ sunt de præterito, de præsentī et de futuro: aliæ necessariae, utiles et contingentes; aliæ honestæ, aliæ turpes: aliæ repugnant substantiæ Matrimonii, aliæ non repugnant; aliæ sunt possibles, aliæ impossibles.*

Porro conditiones illæ Sponsalibus adjectæ idem operantur circa Sponsalia, quod Matrimonio adjectæ, circa Matrimonium. Quid autem circa Matrimonium operentur, latè dicemus infra; unde facilè colligetur, quid faciant circa sponsalia.

VI. Specialiter hîc observandum, quòd Sponsalia sub conditione honesta suspensiva, impletâ conditione, transeant in absoluta, absque alio novo consensu; non sic contractus matrimonialis conditionatus in locis, ubi viget lex Trident.

Sed an sponsalia conditionata, dum copula intervenit pendente conditione, transeant in absoluta?

R. Affirmat Zypæus; eò quod ante Concilium Tridentinum, tunc transirent in Matrimonium; ergo nunc censentur Sponsalia illa transire in absoluta, cùm in hac parte Tridentinum nihil mutaverit: negant verò Sanchez et Billuart; quia ratio legis jam cessat, ob quam præsumebatur contrahentes recessisse à conditione per copulam.

Sponsalia sub conditione, "si conjux moriatur," sunt ipso jure irrita, quia præbent ansam homicidio.

De conditione, "si Papa dispenset," agemus infra.

N. 8. DE PÆNA ET ARRHA ADJECTA SPONSALIBUS.

I. *Pœna* II. *Sponsalibus illicitè apponitur.* III. *Permittuntur arrhæ.* IV. *Differentia inter pœnam et arrham.*

I. **NOTA** pœnam, prout distinguitur contra arrham, esse de futuro, ubi arrha est de præsentī: propriè hîc non agi de pœna negativa, quâ quis nihil de suo amittit, sed tantùm nihil ab alio lucratur; verùm agitur hîc de pœna positiva, quæ sponsum aut alium privat aliquâ boni sui parte.

An liceat Sponsalibus apponere pœnam sive mulctam, v. g. 100. florenorum pauperibus solvendam ab eo, qui resiliet à Sponsalibus?

II. R. Certum est eam illicitè apponi, imò etiam videtur irritari, tum jure canonico, ut constat ex capitulo **GEMMA** "lib. 4. decret. tit. 1, tum jure civili, lege **TITIA** ff. lib. "45. tit. 1. ubi stipulatio pœnæ tanquam inhonestæ repro-
"batur, et lege penultimâ codicis de Sponsalibus, lib. 5.
"tit. 1. quæ sic habet: Si cautio pœnam stipulationis con-

“tinens, fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires
“habebit.”

Ratio est, quòd appositio pœnæ sit contra libertatem Matrimonii; quandoquidem quis, ne cogeretur solvere pœnam, præcipuè gravem, quòdammoda invitus et reluctans, aliquando Matrimonium contraheret.

Hinc admittunt omnes, quòd à Sponsalibus justè resiliens, non teneatur solvere pœnam appositam.

Sed non conveniunt Authores, utrùm injustè resiliens eam teneatur solvere: negant Wiggers, Daelman, Neesen et Collet, qui etiam affirmant hanc disciplinam observari in curiis sæcularibus Galliæ; ratio eorum est, quòd leges generaliter loquantur, et nihil distinguant: affirmant autem Van Roy, Billuart, et Zypæus, “in notitia juris Belgici, “tit. de Sponsalibus:” probantque “ex novella 18.” Leonis Imperatoris, quæ dicit: “qui Sponsalia evertit, “pœnæ exactione feritor:” sicque jus antiquum per eam emendatum dicunt: deinde cessat tunc ratio legis; cùm enim sine causa non liceat nec liberum sit resilire, non læditur libertas Matrimonii?

An in contractu sponsalizio liceat tradere arrham, seu pignus in futuri conjugii firmitatem, v. g. anulum amittendum ab eo, qui injustè resiliet à Sponsalibus?

III. Respondet Steyaert, quòd Pastoris sit etiam talia dissuadere; leges equidem id permittunt, quia arrha minùs obstare solet Matrimonii libertati, quàm pœna.

IV. Unde Daelman et alii dant hanc differentiam inter arrham et pœnam; quòd arrha detur tanquam symbolum seu pignus amoris, quo suaviter alliciantur ad promissionem implendam; quòd maturiori consilio detur et statim, et non soleat esse tanti ponderis: pœna verò apponitur, ut timore illius quòdammodo cogantur ad implendam promissionem; cùmque non sit mox solvenda, sed tantùm in futuro, faciliè ac præcipitanter, et in majori quantitate apponi solet; cùm homines faciliores esse soleant ad promittendum, quàm ad dandum.

Nota 1°. Quòd post Matrimonium contractum arrha sit danti restituenda, nisi obsit loci consuetudo.

2°. Qui solus arrham recepit, et injustè resiliit, tenetur restituere duplum, nisi sit minor 25 annis. Ita expressè lex codicis citata.

3°. Qui justa de causa resiliit, nec arrham datam amittit, nec acceptam restituere debet duplicatam.

4º. Si dans arrham sine causa à Sponsalibus recedat, eam perdit.

N. 9. DE EFFECTIBUS SPONSALIIUM.

- I. *Effectus Sponsalium impedimentum publicæ honestatis.*
 II. *Impedimentum impediens.* III. *Obligatio gravis contrahendi Matrimonium.* IV. *Aliquando abstinendum à coactione ad Sponsalia adimplenda.* V. *Fornicatio sponsi vel sponsæ superaddit circumstantiam gravem.* VI. *Monstrandum desponsatis, quam sit necessarius status gratiæ.* VII. *Casûs positio.* VIII. *Resolutio.*

QUINAM sunt effectus Sponsalium?

I. R. 1º. Impedimentum publicæ honestatis, dirimens Matrimonium contrahendum cum mutuis consanguineis in primo gradu. Non oritur hoc impedimentum, dum una tantum pars promittit, alterâ non repromittente, nec ex Sponsalibus conditionatis, pendente conditione, neque ex indeterminatis, donec facta sit determinatio, neque ex Sponsalibus, inquit Collet et P. Pauwels, in quibus quis se tantum vult obligare sub veniali; sed de hoc impedimento specialiter agetur infra.

II 2º. Impedimentum impediens Matrimonium contrahendum cum quacumque alia persona, stantibus Sponsalibus, de quo etiam specialiter infra.

III. 3º. Obligatio gravis, non solum fidelitatis, sed etiam justitiæ commutativæ, contrahendi Matrimonium cum illa persona, quacum Sponsalia contracta sunt: unde Authores docent cum S. Thoma, resilientem sinè legitima causa peccare mortaliter: nec sufficit loco Matrimonii filiam v. g. dotare, nisi ipsa in hoc consentiat; hinc sinè causa renuentibus implere Sponsalia, absolutio est deneganda, et à judice compelli possunt per pœnas, idque juxta Pastorale Mechliniense: "post 40 dies à contractis Sponsalibus."

Si tempus appositum fuerit, illud servandum est, sed tempore illo elapso, propterea non desinit obligatio, nisi adjectum fuerit ad finiendam obligationem. Non debet Pastor permittere, inquit Steyaert, ut circa tempus aut alias conditiones Sponsalibus quidquam addatur, quod eis non inest.

IV. Si ex Matrimonio, vel coactione ad illud, graviora timeantur mala et incommoda, persuaderi debet sponso aut sponsæ, ut à coactione desistat; adduntque Authores, quòd judex ad mala illa evitanda, possit aliquando nolentem absolvere: quo casu tamen ille condemnabitur, ut resar-

ciat damna, si quæ alteri inde parti fuerint causata, et sæpiùs etiam ad aliquam mulctam vel pœnitentiam.

An si sponsus aut sponsa fornicetur cum tertia persona, illa circumstantia Sponsalium addat malitiam mortalem in confessione exprimendam.

V. R. Affirmativè : cùm talis fornicatio rationem habeat imperfecti adulterii : nam sponsi habent jus ad rem in mutuum corpus : violantque id jus et fidelitatem in Sponsalibus datam, dum corpore promisso abutuntur contra fidem Matrimonii promissi : proinde dum sponsus aut sponsa confitetur fornicationem, desuper interrogari debet : circumstantiam illam etiam exprimere debet tertia persona, quæ cum alterius sponso aut sponsa fornicatur.

VI. Proponendum est desponsatis, quòd Sacramentum Matrimonii suscipere debeant in statu gratiæ ; demonstrando, indignè suscepto Sacramento, nec gratiam recipi, quâ aut bene vivant ipsi conjuges aut bene vivere doceant proles, quas suscipiunt, aut familiam suam christianè gubernent : unde et in posteros suos per proles et proles prolium, &c. impietatem suam propagant.

Monendi pariter sunt, ipsis post Sponsalia in materia carnali nihil plus esse licitum, quàm ante ; sed contra, abstinendum esse ab omni peccato, et instandum orationi, si velint à Deo impetrare benedictionem, et non maledictionem, si cupiant incipere cum Deo et non cum diabolo. Unde pessimè quidam Authores laxiores desponsatis permittunt amplexus et oscula, quæ utique inter desponsatos non minùs quàm inter alios, quin imò magis periculosa sunt, eo quòd inter eos crescat affectus, et spes sit brevè potiendi nuptiis, sicque magis absit periculum infamiæ ex actu venereo aliàs secuturæ. Ratione quorum Pastorale nostrum nequidem permittit, ut post Sponsalia simul habitent sub eodem tecto : hinc et ad frequentiore[m] confessionis usum adhortandi sunt, ut tempore tam periculoso, monitis Confessarii adversùs tentationes muniantur.

VII. Joannes contraxit Sponsalia valida et absoluta cum Anna, et postea Matrimonium init cum Catharina ; quid judicandum de facto Joannis ?

VIII. R. Si Anna et Catharina se non contingant in primo consanguinitatis gradu, Matrimonium quidem est validum, si aliud non obstat impedimentum ; sed si Anna in Matrimonium illud non consenserit, neque Joannes justam habuerit causam resiliendi à Sponsalibus, gravem facit Annæ injuriam, et si quæ inde Annæ secuta sint, vel

sequantur damna, tenetur illa resarcire : deinde commisit sacrilegium suscipiendo Sacramentum Matrimonii in peccato mortali ; et cum Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ præviè ad Matrimonium suscipi soleant, etiam ea suscipiendo commisit duo sacrilegia ; quia illa suscepit in affectu peccati mortalis : duravit autem ille affectus peccati mortalis à tempore, quo concepit intentionem, relictâ Annâ, Matrimonium ineundi cum alia, super quo proinde examinandus. Dein Sacramenta toto illo tempore suscepta sacrilegè recepit, &c. adeoque tenetur Joannes confessiones interea factas repetere, item se accusare de injuria facta Annæ, de sacrilegiis commissis, sicut generatim resolvitur de retinente affectum ad peccatum mortale. Si Catharina sit consanguinea Annæ in primo gradu, Matrimonium est invalidum ob impedimentum publicæ honestatis, nisi legitima fuisset obtenta dispensatio : et Joannes fit reus peccatorum jam enumeratorum, licèt impedimenti dirimentis non fuerit conscius : si autem illius conscius fuerit, sacrilegium committit, attentando Matrimonium quod novit esse invalidum : dein quoties Catharinam carnaliter cognoscit, committit fornicationem, imò imperfectum adulterium propter Sponsalia cum Anna.

N. 10. DE NECESSITATE SPONSALIIUM.

I. *Sponsalia Matrimonio non præmittenda de valore.* II. *Præmittenda ex consuetudine.* III. *Quandonam omitantur.* IV. *Oh quas causas præmittantur.* V. *Sponsalia sunt contrahenda coram Parocho sponsæ.* VI. *Coram duobus testibus in loco honesto.* VII. *Ante Proclamationes.*

An Sponsalia necessariò sint præmittenda Matrimonio ?

I. R. Non sunt præmittenda de valore Matrimonii, potest enim res tradi absque eo, quòd antea fuerit promissa.

Non extat etiam lex, aut consuetudo generalis Ecclesiæ Sponsalia Matrimonio præmittendi. II. In multis tamen diœcesibus, prout etiam in nostro Mechliniensi, consuetudo illa obtinet ; unde dicit Pastorale nostrum : “ Matrimonii Sacramentum justas ob causas, ex Ecclesiæ consuetudine præcedere debent Sponsalia,” idque sine dubio obligat.

III. Docet interim Braunman quòd, si in tribus proclamationibus fuerit dispensatum, non sint Sponsalia Matrimonio præmittenda ; quia cùm Ecclesia remittat obligationem sponsalium, utpote quæ principaliter sunt instituta,

ut inter illa et Matrimonium intercederet aptum tempus præmittendis proclamationibus, et debitis informationibus: si autem tantum partialiter sit dispensatum v. g. in una aut duabus proclamationibus, Sponsalia non omittuntur.

IV. Ob quas causas præmittuntur Sponsalia Matrimonio?

R. 1°. Ut Matrimonium tot oneribus et difficultatibus intricatum, non temerè, sed maturâ deliberatione contrahatur.

2°. Ut eâ, quâ decet Christianos, pietate sponsi se præparent ad Matrimonii Sacramentum.

3°. Ut cum quadam certitudine de successu se disponente possint, et præparare necessaria ad futuras nuptias.

4°. “ Ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatare:” ita S. Aug. lib. 8. Conf. cap. 3.

5°. Ut interea utrimque fiat inquisitio in mutuos mores, familiam, facultates, &c. priusquam ad perpetuam vitæ societatem perveniatur.

6°. Et præcipuè, ut tempore intermedio possint fieri proclamationes antenuptiales ad inquirendum, num Matrimonio contrahendo non subsit impedimentum.

Non omittuntur Sponsalia solemnia in facie Ecclesiæ, licèt antea clandestinè sint contracta.

V. Practicari consuetum est, inquit Pastorale nostrum, quod Sponsalia contrahantur coram Parocho sponsæ, ob majorem decentiam; honestius si quidem est, ut sponsus videatur sponsam quærere, quàm contra: monet tamen Steyaert, quòd Parochus sponsæ non debeat esse nimis difficilis ad aliud, ob rationes, permittendum: testes ad minus duos Pastorale requirit.

Contrahenda sunt Sponsalia in loco sacro, vel saltem, ut permittit Pastorale nostrum, in loco aliquo honesto, ut Parochi domo; non in Popinis aut aliis similibus locis. Admitti etiam ad Sponsalia possunt post meridiem, non tamen post dissolutas computationes. Matrimonium autem regulariter non administratur nisi ante meridiem, in loco sacro, et, ubi consuetudo id observat, inter Missarum Solemnia.

VII. Sponsalia, juxta Pastorale, contrahuntur antequam fiant proclamationes antenuptiales.

N. 11. DE MODIS, QUIBUS DISSOLVUNTUR SPONSALIA.

S. Thom. suppl. quæst 43. art. 3.

L. Sponsalia variis modis dissolvuntur aut solubilia red-

duntur. II. Mutuo consensu, III. Ingressu vel voto religionis, IV. Matrimonio cum alia persona. V. Defectu conditionis. VI. Fornicatione ignoratâ, VII. Mutatione notabili, VIII. Autoritate Judicis.

AN Sponsalia validè contracta dissolvi possint?

I. R. Affirmativè; quia non inducunt vinculum indissolubile, sicque ex praxi constat: quare ex aliquibus causis Sponsalia absolutè dissolvuntur; ex aliis solùm fiunt solubilia, sive rescindibilia, ex aliis vero obligatio eorum pro tempore aliquo tantùm suspenditur seu sopitur.

Quibùs modis Sponsalia dissolvuntur vel fiunt solubilia?

II. R. His præcipuè modis: 1°. Mutuo contrahentium puberum consensu libero, vel dissensu alterutrius ad pubertatem pervenientis.

III. 2°. Per ingressum vel votum religionis, item per votum non nubendi, castitatis et Ordinis sacri.

IV. 3°. Per Matrimonium cum alia persona, uti et per alia quædam Matrimonii impedimenta, Sponsalibus supervenientia.

V. 4°. per hoc, quòd conditio Sponsalibus adjecta vel subintellecta, non purificetur; uti et per nimiam temporis dilationem, aut discessum è patria, comparte inscia vel invitâ.

VI. 5°. Per subsequentem vel antecedentem ignoratam fornicationem carnalem aut spiritualem, sive hæresim, aut apostasiam.

VII. 6°. Per defectum vel mutationem notabilem animi vel corporis vel fortunæ innotescentem vel supervenientem.

VIII. 7°. Per auctoritatem Judicis vel Superioris. De singulis quædam particulariter sunt explicanda in sequentibus.

Observa, quòd præfatis modis dissolvi possint Sponsalia, etiamsi juramento sint confirmata; quando scilicet juramentum illud est (sicut solet) accessorium, quod sequitur naturam Sponsalium: non sic semper, dum est juramentum per se stans: sed et hoc juramentum cessat, remittente illo, in cujus favorem factum est.

N. 12. DE DISSOLUTIONE SPONSALIORUM PER CONSENSUM CONTRAHENTIUM.

I. *Solvuntur Sponsalia consensu mutuo contrahentium. II. Libero. III. Non tantùm impuberum. IV. Sponsalium solemnium dissolutio exigit auctoritatem Superioris. V. Secundùm aliquos de liceitate, non de valore. IV. Potest fides sponsalitia pecuniâ redimi.*

I. SPONSALIA puberum per mutuum consensum liberum dissolvuntur, simpliciter et absolute juxta cap. PRÆTEREA, “de Sponsalibus et Matrimonio lib. 4. tit. 1.” Ratio est, quòd omnis contractus naturâ suâ solubilis, possit per eas causas dissolvi, per quas potest fieri, nisi jus resistat ejus dissolutioni, quòd hìc non fit.

II. Dictum est: “per mutuum consensum liberum;” quia si quis per fraudem vel metum injustum violenter extorserit ab aliqua, ut consentiret in dissolutionem Sponsalium, non magis excusabitur, quàm si sic extorserit aliquam donationem: unde in conscientia tutus non est sponsus, si sponsam ad consensum adegerit minando, quòd alioquin in Matrimonio pessimè eam sit tractaturus, quòd eam sit infamaturus de impudicitiiis secum commissis, &c.

III. Dictum etiam est: “Sponsalia puberum,” &c. quia impuberes, tempore impubertatis, mutuo consensu non possunt a Sponsalibus resilire, sed tantùm intra triduum post pubertatem, ut latiùs diximus N. 5. Hinc, si pubes Sponsalia contraxerit cum impubere, potest hic, adeptâ pubertate, pro nutu resilire, non ille, nisi alter, pubes factus, liberè consentiat. Quid autem efficiat juramentum, vel copula carnalis, dictum est eodem N. 5.

IV. Quamvis ad Sponsalia mutuo consensu dissolvenda non requiratur de jure autoritas vel sententia judicis; nihilominus, Sponsalia solemnia puberum, juxta Synodos nostras et Pastoralia, non possunt dissolvi, nisi intervenerit autoritas Superioris. Unde dicit Pastorale Mechliniense: “non consentiant Parochi, ut qui..... Sponsalia contraxerunt, se mutuo ab ejusmodi promissione..... propriâ autoritate absolvant, &c.....” et meritò ita statutum est, ne lites et controversiæ oriantur inter partes, cùm una objicere posset, se non liberè, sed ex metu vel fraude consensisse in dissolutionem. V. Quia tamen nullum jus irritat mutuam Sponsalium, etiam solemnium, remissionem, dicunt Daelman et Billuart, quòd statutum illud sit prohibens, non irritans, adeoque Sponsalia puberum solemnia, privato consensu dissolvi validè, quamvis illicitè.

Petes, an v. g. sponsus possit licitè pacisci de certa pecuniæ summa, ut sponsam liberet à fide sponsalitia, supposito, quòd sponsa non habeat justam resiliendi causam?

R. Certum est posse, si sponsus ex dissolutione Sponsalium damnum aliquod patiat, ut v. g. quòd plures expensas fecerit, &c. VI. deinde, etsi nihil damni subeat, poterit citra ullam injustitiam, compensationem pecunia-

riam accipere, quantum prudentis viri arbitrio taxabitur, quia sine causa resiliens, gravem, eamque pretio stimabilem injuriam facit innocenti: deinde sponsus non tenetur gratis cedere juri, quod habet in sponsam compellendi eam ad Matrimonium.

N. 13. DE DISSOLUTIONE SPONSALIIUM PER VOTUM.

- I. *Dissolvuntur absolutè Sponsalia per votum solemne.* II. *Fiunt rescindibilia per ingressum religionis.* III. *Votum religionis prævium irritat Sponsalia.* IV. *Subsequens reddit ea solubilia.* V. *Irritantur Sponsalia per suspensionem Ordinis sacri,* VI. *Non minorum Ordinum.* VII. *An liceat sponsâ invitâ suscipere Ordines sacros?* VIII. *Sponsâ defloratâ non licet sponso ingressus religionis.* IX. *Votum non nubendi videtur validum.* X. *Votum simplex castitatis post Sponsalia non dissolvit ea ex parte voventis.* XI. *Et pro parte obligat.* XII. *Quomodo obliget votum non nubendi post Sponsalia factum?*

PER quæ vota et quomodo Sponsalia dissolvuntur?

I. R. Per votum solemne in religione approbatâ, Sponsalia præcedentia, etiam jurata, simpliciter et absolutè dissolvuntur: quia secundum Concilium Trid. sess. 24. can. 6. Matrimonium ratum per tale votum solvitur: ergo à fortiori Sponsalia; dein ex jure et privilegio divino semper subintelligitur in Sponsalibus hæc conditio: “ nisi statum perfectiorem elegero:” unde quòd Alexander III. “ Capitulo COMMISUM, de Sponsalibus lib. IV. tit. 1.” dicit tutius esse, religione juramenti servatâ, prius contrahere Matrimonium, quàm ingredi religionem: non debet intelligi de præcepto, sed de consilio, quo suadet Pontifex, tutius esse Sponsalia jurata implere, ad evitandum scandalum plebeiorum, et ob reverentiam juramenti. Addit Billuart, quòd agatur de illo, qui nondum plene resolutus adhuc deliberabat de religione ingredienda.

II. Per solum religionis ingressum ante professionem non dirimuntur simpliciter sponsalia, sed tantum ex parte illius qui in sæculo manet, rescindibilia fiunt: quia religionem ingrediens in actu exercito declarat se juri suo renunciare; igitur altera pars potest acceptare illam renuntiationem, et ita dissolvere Sponsalia; poterit etiam expectare eventum, si fortè iste è novitiatu ad sæculum revertatur, et tunc poterit eum cogere, vi Sponsalium, ad Matrimonium, quamvis non teneatur eis stare, quia pars illa, quæ fuit

monialis aut Monachus, per abjectionem veli vel cuculli, censetur iudicio prudentum pejoris conditionis effecta in ordine ad Matrimonium.

Quid facit votum ingrediendæ religionis circa Sponsalia?

III. Vel votum antecedit Sponsalia, et tunc ea, licet jurata, sunt invalida, quia sunt de re jam Deo obligata. Nec validum esse potest de eo juramentum, cum non possit esse vinculum iniquitatis; excipiunt Lessius, Sanchez, Bonac. &c. casum, quo quis post votum religionis, sub Matrimonii promissione, cognovit et imprægnavit puellam voti nesciam: sed Sylvius cum aliis illam exceptionem non admittit, licet justissimam esse causam fateatur, ut petatur voti dispensatio.

IV. Vel votum emissum est post Sponsalia, tunc que votum illud per se est validum, sic ut pars altera, quæ voti fuit inscia, possit, pro nutu, à Sponsalibus resilire. V. Per susceptionem Ordinis Sacri dissolvuntur Sponsalia simpliciter et absolutè, quia ordinatus redditur inhabilis ad Matrimonium per illius susceptionem. Vide Trident. sess. 24. can. 9.

VI. Non tamen dirimuntur absolutè Sponsalia per minorum Ordinum receptionem, licet sponsa, quæ insciâ vel invitâ sponsus eisdem suscepit, à Sponsalibus resilire possit, quia censetur sponsus per susceptionem minorum Ordinum tendere ad majores, sicque juri suo renunciare.

An post Sponsalia licitè Ordines sacri suscipiuntur, sponsâ invita?

VII. R. sunt qui negant, quia tametsi jure permittente, liceat ingressus religionis, nullum jus permittit sacri Ordinis, invitâ sponsâ, susceptionem.

Alii affirmant, eò quòd illa conditio: "Nisi statum perfectiorem elegero," comprehendat etiam statum sacerdotalem.

Hinc Henricus à S. Ignatio sustinet, votum suscipiendi Ordines sacros, post Sponsalia emissum, esse illicitum et invalidum: alii autem communiùs docent tale votum esse validum, sed facere Sponsalia rescindibilia ex parte sponsæ; quæ tamen expectare potest eventum.

An sponsus, invitâ sponsâ, licitè suscipit statum religiosum vel Ordines sacros, si eam sub spe Matrimonii deceperit, vel proles nata sit?

VIII. R. Per accidens, id communiter tunc esset illicitum, inquantum prolem legitimare et damna filiæ illata reparare, (prout de jure naturæ debet) communiter completè

non poterit, nisi contrahendo Matrimonium, quapropter, si voto simplici impediatur, dispensatio requiratur.

IX. Votum non nubendi, post Sponsalia emissum, secundum quod communiter docetur, est validum, sed reddit Sponsalia rescindibilia ad arbitrium alterius partis, non tamen ex parte voventis : si autem illud votum præcesserit Sponsalia, hæc nulla sunt.

Votum simplex castitatis, sive continentiae, invalidat Sponsalia subsequencia, etiam jurata; nisi fortè conditio castitatis servandæ adjecta foret, aut votum esset temporale, et Sponsalia referrentur ad Matrimonium tempore libero contrahendum; sed votum tale subsequens Sponsalia, reddit ea, ut communiter docent Authores, dissolubilia ex parte alterius : quia sic vovens censetur renuntiare ex parte sua juri Sponsalium; nisi forte sint contracta sub conditione castitatis servandæ in matrimonio.

X. An per votum simplex castitatis perpetuæ non dissolvuntur Sponsalia absolutè ex parte voventis?

R. Affirmant Estius, Sylvius, et alii; ita ut sponsa à sponso cogi non possit ad Matrimonium, si fiat Quesula vel Beggina, cum voto perpetuæ continentiae; quia, inquiunt, Sponsalibus inest hæc conditio : “nisi statum perfectiorem elegero;” sed negat communior sententia, quam sequuntur Sanchez, Steyaert, Neesen, uterque Pauwels et Daelman, quia Deus non acceptat promissionem rei alteri obligatæ : coli enim non vult cum alterius injuria : propterea, in foro externo, qui tale votum emisit, cogeretur ad Matrimonium vel ad ingressum religionis.

Obj. I. Sponsalibus inest hæc conditio : “Nisi statum perfectiorem elegero :” ergo, &c.

R. 1º. multi negant antecedens; quòd illa conditio neque ex natura rei, neque ex ullo jure positivo subintelligatur.

2º. Alii respondent, quòd illa conditio intelligatur de statu perfectionis propriè et strictè dicto, quem non continet votum simplex castitatis, uti nec votum non nubendi.

Obj. II. S. Thom. suppl. q. 53. a. 1. ad 1. dicit : “propter votum simplex sunt Sponsalia dirimenda.”

R. Loquitur S. Thom. de voto præcedente Sponsalia.

An ergo votum istud continentiae est nullum?

XI. R. Secundum communiorem sententiam, votum illud est invalidum, inquantum repugnat illis Sponsalibus præcedentibus, sed validum est quoad cætera, sive quantum fieri potest, absque præjudicio alterius partis : proinde, qui tale votum fecit, et sic init Matrimonium, petere non

poterit debitum, nec reddere primo bimestri; imò isto bimestri debet abstinere ab omni actu libidinoso interno et externo: deinde consummato Matrimonio, vel elapso bimestris tempore, tenetur reddere debitum, sed petere nequit; peccaturus etiam per actionem aut cogitationem obscœnam quæ non respicit redditionem debiti: ulterius si altera pars obligationem Sponsalium remittat, à Matrimonio abstinere debet; vel si Matrimonio contracto, ipsa jus debitum petendi amittat, v. g. ob adulterium, vel priùs moriatur, tenetur integram servare continentiam, ac si post votum nunquam nupsisset: quorum omnium ratio est, quòd votum illud obliget pro tempore et modo possibili.

XII. Similiter qui post Sponsalia emittit votum non nubendi, tenetur, sponsâ mortuâ vel obligationem Sponsalium remittente, a Matrimonio abstinere: stante tamen Matrimonio, potest petere et reddere debitum, quia huc usque, ut supponitur, ad castitatem se non obligavit.

Notandum igitur, quòd votum non nubendi, et votum continentiae perpetuæ, ita se habeant ad Sponsalia, ut id, quod prius est, validum maneat, et per se servari debeat. idem est de voto castitatis non perpetuæ pro tempore quo durat.

Votum autem ingrediendi religionem, sive præcedat, sive subsequatur Sponsalia, per se validum est et servandum. Idem dicunt multi de voto suscipiendi Ordines sacros: sed alii non minùs probabiliter docent, quòd vovens, post Sponsalia inita, suscipere Ordines sacros non possit, comparte invitâ eos suscipere.

Obiter nota, quòd qui vovit sacros Ordines, non teneatur ante eorum susceptionem, vi voti, servare castitatem; quia est tantùm quid annexum statui majorum Ordinum.

Observari etiam potest, quòd, si ex fornicatione secuta sit proles, parentes, licèt nulla Matrimonii promissio facta sit, per se tamen teneantur Matrimonium inter se contrahere, ad legitimandam et debitè educandam prolem.

N. 14. DE DISSOLUTIONE SPONSALIIUM PER FORNICATIONEM.

- I. *Fornicatio alia corporalis, alia spiritualis.* II. *Fornicatio Sponsalibus prævia et scita non reddit ea solubilia.* III. *Sed ignorata fornicatio reddit Sponsalia solubilia ex parte sponsi.* IV. *Non ignorata fornicatio sponsi per se loquendo.* V. *Ob fornicationem post Sponsalia factam potest pars innocens resilire.* VI. *Utroque post*

Sponsalia fornicante resilire potest sponsus. VII. Sponsus resilire potest, si sponsa ab alio admittat impudica. VIII. Non sià sponso, etsi facile admittat. IX. Licet resilire ob hæresim vel apostasiam alterius.

I. FORNICATIO hïc est duplex, una corporalis, quâ alteruter sponsorum cum tertio habet carnale commercium: altera spiritualis, quâ una pars â fide ad hæresim vel apostasiam deflectit: priùs agendum de fornicatione corporali, quæ potest antecedere vel subsequi Sponsalia.

Quid efficit fornicatio commissâ ante inita Sponsalia?

II. R. Quando illa fornicatio fuit alteri ante Sponsalia cognita, tunc pars innocens non potest ea rescindere, quia juxta Reg. 21. Juris in 6. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. Deinde, non obstante illâ scientiâ, contrahendo Sponsalia, censetur cessisse juri sui, et alteri parti remississe illum defectum.

III. 2°. Præcedens sponsæ fornicatio ignorata â sponso, reddit Sponsalia solubilia ad arbitrium sponsi, quia ipsa ob fornicationem illam juxta communem prudentum æstimationem, habetur notabiliter vilior et deterior in ordine ad Matrimonium: idem propter eandem rationem docent plures de casu, quo sponsa ante Sponsalia omnino violenter fuit oppressa: idem dicit Sanchez de Matrimonio, tom. 1. lib. 1. disp. 63. num. 3. de casu, quo sponsus putabat sponsam virginem, cum tamen sit vidua.

Si quis tamen sub spe Matrimonii cognoscat filiam, licèt non virginem, tenetur eam ducere, (saltem si se virginem ementita non sit) quia facto suo satis ostendit se velle eam ducere uxorem, licèt non virginem.

Sed an occultè corrupta, posset sine mendacio se affirmare virginem, si desuper interrogetur?

R. Affirmat P. Pauwels casu 54. de Sponsal. eò quòd verba puellæ dicentis se esse virginem, intelligi debeant secundùm communem sensum, et populi opinionem, juxta quam passim reputantur et vocantur virgines, quarum pudicitia non est prostituta, aut si ejus detrimentum passæ sint, tamen est occultum.

IV. 3°. Fornicatio sponsi præcedens, licèt ignorata â sponsa, secundùm communiorem sententiam, non reddit Sponsalia rescindibilia ad arbitrium sponsæ; quia homines non ita turpem et probrosam apprehendunt fornicationem respectu viri sicut feminæ: contrarium tamen dicendum, si probrosæ quædam circumstantiæ concurrant, v. g. enor-

mitas adulterii, actuum frequentia, proles nata, &c. quibus casibus sponsa etiam rescindere posset Sponsalia.

An fornicatio, Sponsalia subsequens non tantum sponso, etiam sponsæ, sit justa causa dissolvendi Sponsalia?

V. R. Affirmativè, quamvis Sponsalia essent jurata: quia secundùm cap. QUEMADMODUM, de jurejurando, Sponsalibus inest conditio, si sponsa contra regulam desponsationis non fecerit, et juxta S. Thom. suppl. quæst 43. art. 3. ad 6. per fornicationem redduntur sponsi sibi invicem suspecti de non servanda fide in posterum: hinc axioma illud: "Frangenti fidem, fides frangatur eidem."

VI. Si autem et sponsus et sponsa post Sponsalia fornicantur cum tertia persona, putant aliqui utrumque posse resilire: quia sibi invicem redduntur suspecti de non servanda fide in Matrimonio: alii putant neutrum posse resilire; quia est delictorum compensatio: alii iique plures existimant, sponsum posse resilire, non sponsam; quia licèt ex parte fidei fractæ sit compensatio, non tamen est ex parte totius criminis; eo quod fornicatio sponsæ sit magis probrosa, ac turpior apprehendatur, et in se et in ordine ad Matrimonium.

Pariter si sponsa à tertio post Sponsalia violenter opprimatur, secundùm quod docent communiter Authores, potest sponsus resilire; licèt etenim non fregerit fidem, inde tamen vilior facta est, et gravem subiit mutationem.

VII. Similiter docent Sanchez, Bonac. &c. sponsum dissolvere posse Sponsalia, si sponsa voluntariè admittat ab alio tactus impudicos, amplexus liberiores, &c. quia isti tactus ex parte sponsæ cedunt in magnum dedecus sponsi: aliter dicendum de sponso, qui similes tactus habuit cum alia, saltem si transeunter et rarè fiant.

An sponsus possit à Sponsalibus resilire, eò quòd expertus sit sponsam facilè sibi permittere impudica?

VIII. R. Negativè: non enim violat sponsa fidem erga eum, et quia sponsa facilè cedit ei, quem jam ferè pro marito habet, malè infertur eam cum alienis æquè indulgentem futuram.

An sponsus post Sponsalia clanculum fornicatus possit sponsam fornicationis ignaram cogere ad Matrimonium?

R. Affirm. Sanchez, l. 1. de Spons. disp. 68. quia, inquit, sicut conjux occultè adulterata potest exigere et compellere compartem adulterii ignaram ad reddendum debitum, ita et sponsus compellere sponsam ad Matrimonium.

Nota, quòd, dum dictum est, alterum sponsorum ob for-

nicationem alterius posse à Sponsalibus resilire; hoc verum sit respectu partis innocentis, non nocentis: unde si v. g. sponsa urgeat sponsum, post Sponsalia fornicatum, ad conjugium, tenebitur inire Matrimonium, aut saltem damnum compensare.

An propter hæresim vel apostasiam unius partis ignoratam vel supervenientem possit altera pars à Sponsalibus resilire?

IX. R. Affirmativè: quia notabilis mutatio superveniens, vel post Sponsalia innotescens, est justa causa dissolvendi Sponsalia: atqui nulla gravior fingi potest mutatio: ergo, &c. Idem dicit Pontas casu 44. de Spons. si alter factus sit magus vel veneficus.

N. 15. DE DISSOLUTIONE SPONSALIORUM PROPTER MUTATIONEM SUPERVENIENTEM AUT DEFECTUM INNOTESCENTEM.

I. *Ob notabilem mutationem supervenientem Sponsalia sunt dissolubilia.* II. *Licèt juramento confirmata.* III. *Possunt quandoque solvi sponsalia à parte defectuosâ.* IIII. *Non sufficit mutatio levis.* IV. *Sponsalia sunt rescindibilia ob notabilem defectum innotescentem.* V. *Non tamen si antea fuerit cognitus.*

I. SPONSALIA possunt dissolvi ob supervenientem notabilem mutationem in anima, corpore, moribus, famâ, bonis temporalibus, &c. quæ si tempore contractûs extitisset, aut si prævisa fuisset, Sponsalia contrahere alterutra pars absolutè nolisset. Ratio est, quòd talis censeatur rationabilis intentio contrahentium, ultra quam non obligat promissio, etiam in alia materia, unde inest Sponsalibus conditio illa: nisi notabilis mutatio superveniat; è qua tamen Sponsalia non possunt dici conditionata; quia per eam non suspenditur valor contractûs, sed tantùm jus tribuitur illum rescindendi, ubi mutatio illa supervenit; hinc superveniente mutatione, non est contractus de facto rescissus, aut nullus, sed tantùm rescindibilis; et inde, si v. g. sponsus fiat infamis, potest quidem sponsa rescindere Sponsalia: si tamen ipsa velit, tenetur sponsus cum ea contrahere Matrimonium.

Aliam dissolvendi rationem in casu allegat S. Thom. Suppl. quæst. 43. art. 3. ad 3. si sibi invicem displiceant et Matrimonium sic contractum malum sortiatur exitum.

II. Dicta locum habent, licèt Sponsalia sint jurata; ut

constat ex cap. 25. de Jurejur. vel etiam copula interceserit: hæc enim per se non adjicit robur Sponsalibus, licet efficiat, ut non ita facilè sit resiliendum.

Hinc si una pars, v. g. sponsus fiat hæreticus, vel infamis infamiâ juris aut facti, si fiat scortator: item si superveniat abhorrescentia, gravis aversio aut inimicitia inter eos, vel talis fundatè timeatur inter sponsorum parentes, redduntur Sponsalia dissolubilia.

Similiter redduntur Sponsalia rescindibilia, si alteruter sponsorum incidat in morbum gallicum, in epilepsiam, paralytim, lepram, si oculos, aures, nares amittat; et generatim si alterutri gravis superveniat deformitas. Notat tamen Pontas, non esse eandem rationem deformitatis in sponso prout in sponsa, quia inter homines forma mulieris, non viri inspicitur.

Pariter dissolvi possunt Sponsalia, si alteruter sponsorum incidit in pauperiem, aut sponsa promissam dotem adferre nequeat, aut nolit, &c. quod etiam verum esse docent plerique Authores, licèt sponsa, per merum infortunium, dotem promissam adferre non possit.

Si uterque sponsorum redigatur ad paupertatem, docet communior opinio utrique licitum esse resilire, quia multò graviora fierent onera matrimonii ob paupertatem utriusque, quàm ob paupertatem unius: atqui ob paupertatem unius supervenientem licet resilire, ergo, &c.

An si una pars post Sponsalia, inexpectato fiat longè ditior, possit ob eam rationem à sponsalibus resilire?

III. R. Negant Sanchez et Pontas, eò quòd altera pars per hoc non fiat deterioris conditionis: affirmant Bosco, P. Pauwels, &c. quia est notabilis mutatio ex parte illius, qui factus est longè ditior, vi cujus non contraxisset cum altero, si tempore contractûs, mutatio illa extitisset. Posset aliquando etiam pars defectuosa resilire, si per defectum supervenientem fieret v. g. incapax ad portanda matrimonii onera; ut si contraxerit infirmitatem, ratione cujus actus conjugalis foret ipsius sanitati nocivus, si sit depaupertata vel facta inepta ad laborem, et facultates alterius non sufficiant ad familiæ forsan orituræ sustentationem, &c.

IV. Mutatio circa rem levem non facit jus resiliendi, quia res levis momenti non debet mutare voluntatem hominis constantis.

V. Similiter sponsalia redduntur dissolubilia si similis notabilis defectus ante sponsalia ignoratus, innotescat

post sponsalia contracta, quia in jure idem est non esse et non apparere: atqui, dum sponsalibus notabilis mutatio supervenit, licet resilire à sponsalibus; ergo etiam dum, iis contractis, innotescit; quia etiam respectu ignorantis res sunt notabiliter mutatae.

VI. Sed si defectus ante sponsalia fuerit cognitus, non possunt rescindi sponsalia; prout etiam, si defectu jam cognito, sponsalia fuerint ratificata: hinc si v. g. juvenis nobilis sponsalia ineat cum puella ignobili, quam esse prænoverat mediocris conditionis, tenetur cum ea inire matrimonium; nisi fortè ex matrimonio timeantur gravia scandala, familiæ dedecus, perpetuæ discordiæ, &c.

N. 16. DE OBLIGATIONE DECLARANDI DEFECTUS OCCULTOS.

I. *Declarandi sunt defectus comparti injuriosi.* II. *Alii possunt occultari.* III. *Nisi postea timeantur manifestandi.* IV. *Cavendæ deceptiones.* V. *Casûs positio.* VI. *Resolutio.*

I. AN contracturus sponsalia vel matrimonium teneatur defectus, si occulti sint, patefacere illi personæ, quâcum contrahere intendit.

R. Distinguendo: si defectus sit perniciosus vel injuriosus alteri v. g. filia est imprægnata ab alio, sponsus laborat lue venereâ, leprâ, gravatur ære alieno, &c. tenetur defectum illum aperire, vel à sponsalibus et a fortiori à matrimonio desistere, vel ei est deneganda à Confessario absolutio; quia non licet commodum suum quærere cum injuria alterius; deinde ex talibus matrimoniis nati sunt sequi infaustissimi exitus.

II. Si occultus defectus non sit alteri injuriosus, v. g. sponsa est corrupta, non tamen ingravidata, quæ putatur virgo, sponsus post sponsalia cum alia peccavit, non tenetur defectum illum patefacere, imò eum occultare potest; quia nemo tenetur seipsum infamare, aut defectus suos propagare, quamdiu hi aliis non nocent, sed partis est de iis inquirere ac prospicere, quocum contrahat. III. Si tamen defectus ille videatur postea foras erupturus cum periculo gravium dissensionum, rixarum, &c. tenetur ex charitate illum aperire, si non sit diffamans, aut á sponsalibus vel matrimonio, meliori quâ potest viâ, abstinere.

IV. Bene observandum, quòd non liceat dicto aut facto contrarium significare, quia committeret mendacium nocivum ac fraudem: hinc non licet se fingere divitem, nobilem,

optimæ famæ, &c. cùm tamen omnia sint contraria. Ad-
dit Billuart, quòd nequidem liceat simulare comparte
inquirente; quia habet jus inquirendi, adeoque videtur
esse obligatio veraciter et sincerè respondendi, nisi foret
defectus infamans, quem, inquit Coninck, licet eatenùs
tegere, quatenùs ad conservandam bonam famam, ac ho-
nestum statum, præsertim justè acquisitum, necessarium est.

V. Joannes contraxit sponsalia cum Anna quam putabat
divitem; postea agnoscens non esse divitem, recusat eam
ducere, an rectè?

VI. R. 1°. Sponsalia illa sunt valida, quia error est
tantùm accidentalis.

2°. Si Anna fraude vel mendaciis se finxerit divitem,
Joannes potest rescindere sponsalia, et recusare matrimo-
nium ob fraudem commissam.

3°. Si nulla fraus aut deceptio intervenerit, videtur Jo-
annes adhuc posse rescindere sponsalia, si vel nullo modo
vel vix poterit sustinere onera familiæ, defectu divitiarum
Annæ, quibus putabat familiam intertinere, et ad matrimo-
nium determinabatur, alioquin illud, aut sponsalia non
contracturus.

4°. Si autem sine fraude vel deceptione erraverit circa
divitias Annæ, sed equidem eâ occasione non timeatur ex
matrimonio jam dictum vel aliud grave incommodum;
secundùm multos non potest rescindere sponsalia: sæpiùs
tamen in casu, amici litem intentabunt, allegantes juvenem
blanditiis fuisse seductum et matrimonium futurum in-
faustum cum odiis continuis in familia: unde aliquando
consulendum filiæ, ut cedat juri suo, acceptâ dote aliquâ.

N. 17. DE DISSOLUTIONE SPONSALIORUM RA- TIONE CONDITIONIS NON IMPLETÆ VEL TEMPORIS ELAPSI.

I. *Cessat obligatio sponsalium conditione non adimpletâ,*
II. *Nisi dolo vel fraude impediatur.* III. *Ratione tem-
poris elapsi non semper cessat,* IV. *Nisi adjectum sit*
ad finiendam obligationem. V. *Non tamen si adjectum*
sit ad urgendam obligationem. VI. *Ob nimiam dilationem*
sponsalia possunt rescindi.

I. CESSAT, vel potiùs non exoritur obligatio sponsa-
lium, quando conditio adjecta sponsalibus non ponitur,
modò per neutrum steterit, quominus conditio impleretur;
sed de conditione latiùs infra, ubi de matrimonio condi-
tionato. Vide etiam N. 7. supra.

II. Si autem dolo aut fraude alterutrius impedimentum ponatur, quominus impleatur conditio, tenetur impedimentum ponens servare fidem, conditione etiam non impletâ.

III. Quomodo dissolvi possunt sponsalia ratione temporis elapsi?

R. 1°. Si sponsalia sint contracta absolutè, sive absque temporis præfixione, neuter resilire potest ob communem temporis lapsum: si autem una pars urgeat, alterâ differente sine causa sufficiente, potest pars quæ non est in mora, resilire, non tamen altera.

IV. 2°. Si certum tempus adjectum sit ad finiendam obligationem, v. g. si quis promittat filiæ matrimonium, dummodo intra sex menses contrahatur, finitis illis mensibus, finitur obligatio, si scilicet per ipsum non steterit neque fraus intervenerit.

Sed quid, si in casu mora unius, v. g. sponsi, fuerit planè inculpabilis, an elapso tempore etiam expiret obligatio sponsalium?

R. Negant multi, ut Sanchez, Coninck, &c. affirmant alii, inter quos P. Pauwels vult eam expirare sive quis culpabiliter sive inculpabiliter in mora fuerit: res videtur ex circumstantiis metienda; si enim mora sit brevis, non videtur, inquit Billuart, præcisè cessare obligatio; si autem sit tanta, ut ad eam se non censeatur voluisse obligare altera pars, extinguitur obligatio: optimum est in talibus circumstantiis, ait Coninck, implorare iudicis auctoritatem, qui ponderatis omnibus rem determinabit.

N. 3°. Si tempus adjectum sit ad urgendam obligationem, seu sollicitandam executionem, veluti si quis promittat inire matrimonium intra mensem, elapso mense perseverat obligatio; quia in illo modo contrahendi duæ obligationes includuntur, una matrimonium contrahendi, altera intra tale tempus adimplendi; et licèt hæc, termino elapso, sit impossibilis, non tamen definit prior. Secundum hæc intelligendum, quod diximus N. 9.

VI. Verùm tamen per nimiam temporis dilationem vel per discessum in regionem longinquam aut absentiam diuturnam unius, sine consensu alterius, possunt sponsalia rescindi ex parte alterius, quia pars differens, discedens, vel absens censetur sponsalibus renuntiare, vel fidem datam non servare. Vide cap. 5. DE ILLIS, de Sponsalibus et Matrimonio.

Circa tempus quo altera pars expectare debet, priusquam a sponsalibus resilire queat, varia quidem statuta sunt jure

civili, ut L. 2. cod. de sponsalibus, sponsum per biennium esse expectandum; prout potest videri apud Sanchez, de matrim. lib. 1. disput. 54. Sed nullum tempus determinat jus canonicum. Imò, dicunt multi jus civile esse correctum per jus canonicum, cap. DE ILLIS, citato; ubi dicitur: "Si quis juraverit se aliquam ducturum, et postea dimittit terram, se ad alias partes transferens, liberum fore mulieri cum alio contrahere." Interim videtur hoc moraliter prudentum iudicio determinandum, pro circumstantiis occurrentibus.

N. 18. DE DISSOLUTIONE SPONSALIORUM PER IMPEDIMENTUM DIRIMENS MATRIMONII SUPERVENIENS.

I. *Ob impedimentum dirimens matrimonii superveniens dissolvuntur sponsalia.* II. *Aliquando absolutè.* III. *Aliquando alterutra pars tenetur petere dispensationem.* IV. *Cessante impedimento reviviscit obligatio sponsalium.*

I. PER impedimentum dirimens Matrimonii Sponsalibus superveniens, dissolvuntur Sponsalia, cum inter eos Matrimonium consistere nequeat. Imò per impedimenti famam dissolvi possunt, conformiter ad. cap. SUPER EO, lib. 4. decret. tit. 14. ubi dicitur, quòd si fama loci habeat, sponsum carnaliter cognovisse sponsæ suæ consanguineam, debeat ab ejus impletione absolvi. Interim observa sequentia:

II. Si impedimentum superveniens sit tale, per quod Matrimonium fit sponsis absolutè impossibile, Sponsalia absolutè dissolvuntur, v. g. si superveniat Sponsalibus impotentia perpetua.

III. Si autem impedimentum superveniens sponsalibus, sit tale, quod tolli potest per dispensationem, v. g. cognatio spiritualis; tenetur pars illa, cujus culpâ impedimentum supervenit, procurare dispensationem, si altera pars ita vult; quia ponens culpâ suâ impedimentum Matrimonii, violat graviter jus alterius, quod proinde resarcire debet, si possit; potest autem per dispensationem: liberum tamen est parti innocenti resilire, si velit.

Si impedimentum sit tale, in quo dispensatio non datur, vel sumptibus, eorum conditioni proportionatis, acquiri nequit, censetur dispensatio obtentu moraliter impossibilis, et sufficit satisfacere injuræ illatæ alteri parti.

Si impedimentum supervenerit per culpam utriusque, neutra pars jus habet ad exigendam dispensationem procurandam ab altera.

IV. Si impedimentum superveniens sit tale, quod de se non est perpetuum, sed cum tempore cessare potest, pars illa, cujus culpâ impedimentum supervenit, potest teneri ligata ad arbitrium alterius, pro tempore quo impedimentum fortè cessabit.

Hinc si Joannes, post Sponsalia cum Anna, validè contrahat Matrimonium cum Catharina, potest Anna, si velit, Joannem tenere ligatum, pro tempore quo fortè Catharina ante Joannem morietur; ita ut stante illo Matrimonio; solùm suspendatur obligatio, et Matrimonio illo soluto, reviviscat, et ita Joannes teneretur inire Matrimonium cum Anna, prout communiter sustinetur contra Neesen. Anna tamen, si velit, dissolvere potest Sponsalia.

Quòd si Joannes et Anna in casu sine mutuo consensu, utrimque ineant aliud Matrimonium, obligatio Sponsalium omnino perit; ita ut non reviviscat, si postea utriusque respectivè compars moriatur. Nota, quòd dentur impedimenta, quæ Sponsalibus intervenire nequeunt; v. g. cognatio càrnalis.

N. 19. QUID SPONSALIA POSTERIORA FACIUNT CIRCA PRIORA.

I. *Posteriora sponsalia reddunt priora solubilia ex parte unius.*
 II. *Sunt invalida licèt jurata.* III. *Nec dissolutis prioribus convalescunt.* IV. *Nec convalescunt per copulam.* V. *Quo casu tamen suadendum priori, ut cedat juri suo.*

I. CASUS est hic: Joannes habens Sponsalia valida cum Anna, postea contrahit vel attentat Sponsalia cum Catharina.

R. Priora Sponsalia redduntur dissolubilia ad arbitrium Annæ, non Joannis, quia Joannes attentando secunda sponsalia, fidem Annæ datam fregit, et facto suo prioribus Sponsalibus renuntiavit.

II. Deinde, Sponsalia cum Catharina, quamvis jurata, sunt nulla; nisi dum hæc contracta sunt, justa subesset causa resiliendi à prioribus, quia res uni promissa, invalidè promittitur alteri; et juramentum, cùm sit de re illicita, non obligat: imò, licèt priora Sponsalia contracta essent sub conditione honesta suspensiva, et posteriora absolutè, adhuc forent invalida; quia contrahens conditionatè expectare debet eventum conditionis antequam contractum novum, priori repugnantem, ineat.

III. Petes, quid si Anna moriatur, an Joannes, vi posteriorum Sponsalium, teneatur ducere Catharinam?

R. Negativè: quia cùm de jure nulla sint, nullam pa-

riunt obligationem: jam autem, "juxta regulam 18. juris in 6." "Non firmatur tractu temporis, quod de jure "ab initio non subsistit:" unde non erit obligatus Joannes ducere Catharinam; nisi subesset ratio scandali vitandi, vel damnum illatum resarciendi.

Excipiunt aliqui casum, ubi Sponsalia essent saltem implicitè conditionata: v. g. subintelligendo conditionem hoc modo: "Promitto tibi Matrimonium, inquantùm "Sponsalia cum Anna non impediunt:" tunc Sponsalia secunda fient, inquit, absoluta, et Joannes tenebitur ducere Catharinam. Addunt quòd in dubio, secunda Sponsalia præsumentur fuisse conditionata: proinde quòd Joannes judicetur obligatus ad ducendam Catharinam, moriente, vel consentiente, aut resiliente Anna.

IV. An equidem priora Sponsalia non cessant, quando subsecuta est copula cum Catharina, ignorante priora Sponsalia cum Anna, et proles concepta est?

R. Negativè: nam jus prioris sponsæ non extinguitur per injuriam vel damna illata secundæ; habet quidem secunda jus, ut sibi fiat reparatio injuriæ et damnorum, sed salvo jure prioris.

V. Obj. Prior sponsa tunc est irrationabiliter invita, cum ipsa nullum aut saltem mediocre damnum sit passa: ergo, &c.

R. Distinguendo assumptum: est irrationabiliter invita, spectando justitiam, nego assumptum: spectando charitatem, concedo assumptum; dictat enim charitas, et etiam priori sponsæ est persuadendum, ut cedat juri suo, cum nihil aliud damni subeat, quàm quod rem promissam non acquirat; ubi posterior magnum damnum et honoris jacturam pateretur ex suâ defloratione.

Si prior sponsa nolit, poterit judex superior, tanquam procurator boni communis, ad vitanda mala et scandala, decernere Matrimonium cum secunda, et eatenus dissolvere seu impedire obligationem Sponsalium priorum, ut latius dicetur numero sequenti.

An Sponsalia clandestina valida dissolvantur per sequentia solemnia cum alia persona?

R. Negativè: quia obligatio eorum est ejusdem rationis, adeoque quæ priora sunt tempore, prævalent.

N. 20. DE DISSOLUTIONE SPONSALIIUM PER AUTHORITY JUDICIS.

I. *Sponsalia dissolvi possunt per auctoritatem judicis, II. Quæ non semper requiruntur ad eorum dissolutionem.*

I. CUM particulari bono et commodo privato præferendum sit commune bonum et tranquillitas publica, eique bono communi prospicere spectet ad Judicem superiorem; hinc fit, quòd Sponsalia quandoque dissolvere possit, dum matrimonium secuturum cederet in detrimentum boni communis, et tranquillitatis publicæ, putà dum prævidentur infaustæ sequelæ, publica scandala, discordiæ, inimicitæ, divortia, homicidia, &c. et sic quidem providetur etiam bono ipsorum sponzorum, quandoquidem à gravibus periculis liberentur.

II. An ad dissolvenda Sponsalia ex causis ante allegatis, semper intervenire debeat authoritas judicis?

R. Negativè: quia id nullibi requiritur, et Sponsalibus semper subintelligitur conditio: nisi occurrat justa ratio resiliendi: unde Sponsalia privata, per se loquendo, possunt propriâ authoritate dissolvi, si causa evidens sit.

Si dubitetur, an causa resiliendi sit sufficiens, recurrendum ad judicium superioris.

Si causa sit talis, quæ ipso facto irritat Sponsalia, ut si unus desponsatorum ineat matrimonium cum alia, aut profiteatur religionem, non est opus sententiâ judicis, licèt Sponsalia sint solemnia: in cæteris tamen casibus, dum Sponsalia sunt solemniter, seu in facie Ecclesiæ contracta, ad superiorem est recurrendum, secundùm dicta N. 12.

Item, dum ex privata dissolutione aut rescissione timeantur scandala, &c.

Quinam potest dissolvere Sponsalia per sententiam?

R. Solus Judex competens; quia Sponsalium dissolutio exigit forum externum; ideo propriâ authoritate hic nihil potest Parochus, imò, conformiter ad Num. 12. non videtur Parochus posse, ex mutuo partium consensu, dissolvere Sponsalia solemnia. Similiter de valore Sponsalium judicare solius est judicis. Dum autem Sponsalia certò sunt contracta et valida, potest, juxta Sanchez, "de Matrim. lib. 1. disput. 29. Num. 9." ad eorum cogere impletionem, non tantùm judex ecclesiasticus, sed etiam sæcularis, sicut cogit ad aliorum contractuum impletionem.

N. 21. DE IMPEDIMENTIS SPONSALIIUM.

I. *Impedimenta impediencia sponsalia.* II. *Impedimenta dirimentia.*

I. IMPEDIMENTA impediencia Sponsalia sunt varia, v. g. defectus consensûs parentum, instructionis in fide, scandala oritura, &c.

Recense impedimenta, quæ dirimunt Sponsalia subsequencia?

II. R. 1°. Sponsalia præcedentia valida dirimunt sequentia. "Vide num. 19." Similiter simplex promissio Matrimonii uni facta dirimit promissionem faciendam alteri; aut Sponsalia sequentia cum altero: quod etiam verum est, inquit P. Pauwels, etsi prior ista promissio esset sub conditione honesta adhuc pendente.

2°. Votum simplex continentię perpetuę dirimit sequentia Sponsalia absoluta, sive non contracta sub conditione servandę continentię in matrimonio: pariter votum continentię ad tempus dirimit Sponsalia implenda, tempore quo votum durat. "Vide Num. 13."

3°. Votum non nubendi, dirimit Sponsalia subsequencia; quia directè eis opponitur, et ea excludit.

4°. Votum suscipiendi Ordines Sacros, dirimit Sponsalia subsequencia absoluta inquantùm in executione sunt impossibilia.

5°. Votum ingrediendi religionem, similiter dirimit Sponsalia sequentia absoluta, contracta ordinario modo, cum intentione consummandi matrimonium. Quod dictum est de quatuor istis votis, idem dic de juramentis in eadem materia; v. g. juramentum continentię perpetuę, est impedimentum dirimens Sponsalia subsequencia.

Nota 6°. quòd hæc sint impedimenta, quæ dirimunt Sponsalia subsequencia, non tamen matrimonium subsequens.

Quinque impedimenta dirimentia matrimonium dirimunt etiam Sponsalia absoluta, exceptis paucis; quia non datur obligatio ad impossibile vel illicitum.

Ponunt aliqui regulam generalem hanc: Omne impedimentum perpetuum matrimonii, etiam impediens tantùm respectu Sponsalium, fit dirimens: cui addi potest, quòd etiam impedimentum temporale sit dirimens respectu Sponsalium implendorum tempore quo durat.

N. 22. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM, NON SPONSALIA.

I. *Impedimenta dirimentia Matrimonium, non Sponsalia.*

I. ASSIGNA impedimenta illa quæ dirimunt matrimonium contrahendum, non tamen Sponsalia contrahenda?

R. 1°. Defectus pubertatis ab anno septimo; nam post septennium validè Sponsalia contrahuntur, non autem matrimonium.

2°. **Clandestinitas respectu personarum, quas afficit Lex Concilii Tridentini.**

3°. **Impedimentum raptûs : ratio est quòd hæc tria ex statutis Ecclesiæ matrimonium irritent, quæ statuta non loquuntur de Sponsalibus, nec ad ea extenduntur.**

4°. **Impedimentum conditionis servilis dirimens matrimonium, non dirimit Sponsalia absolutè, sed illa redduntur rescindibilia ex parte personæ liberæ.**

5°. **Similiter impedimentum vis, seu metûs, dirimens matrimonium de præsentî, reddit quidem Sponsalia ex tali metu contracta irritabilia ad arbitrium partis quæ metum passa est ; sed ea, juxta communiorem sententiam, absolutè non dissolvit : idque etiam in supposito, dicit Daelman, quòd vis, seu metus, dirimat matrimonium jure naturæ ; quia Sponsalia non inducunt vinculum indissolubile, ut matrimonium. Si additum sit juramentum per se stans, id obligabit absolutè ex virtute religionis, nec erit irritabile ad arbitrium metum passi ; quia observatio juramenti licita est ; adeoque ob reverentiam divini nominis servanda ; idque videtur doceri “ canon. INTER CÆTERA, caus. 22. quæst. 4.” Poterit enim postea liberè contrahere matrimonium, vel dispensationem postulare super juramento.**

6°. **Impedimenta dirimentia matrimonium quæ sunt amovibilia, non dirimunt Sponsalia contracta sub conditione amovendi illa impedimenta per dispensationem vel aliter ; hinc docet S. Thom. suppl. quæst. 59. art. 1. ad 3. inter fidelem et infidelem valere Sponsalia sub conditione futuræ conversionis.**

Similiter videntur valida Sponsalia inter consanguineos, v. g. quarti gradûs, sub conditione petendi dispensationem, modo sponsi legitimam causam habeant ; quia est promissio de re honesta et possibili : est enim de matrimonio ineundo post legitimam dispensationem, quâ obtentâ, matrimonium indubiè inter eos est licitum : est etiam de re possibili : quia matrimonium in quarto gradu lineæ transversæ est satis frequens.

Pastor interim in Sponsalibus solemnibus conditiones similes non admittat.

Obj. Illi, inter quos est impedimentum dirimens, sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, ergo sunt inhabiles ad idem promittendum.

R. Distinguendo consequens : ergo sunt inhabiles ad promittendum matrimonium contrahendum tempore quo durat impedimentum, concedo totum : ad promittendum ma-

trimonium contrahendum eo tempore, quo impedimentum erit sublatum, nego consequentiam: nam lex tempore impedimenti tantùm irritat matrimonium, non Sponsalia ita conditionata.

Breviter distingui potest consequens hoc modo: sunt inhabiles ad absolutè promittendum matrimonium, concedo totum: conditionatè, nego consequentiam: per appositam enim conditionem consensus fertur in objectum, quatenùs ab impedimento separatum. Si impedimentum non possit amoveri, vel Pontifex in eo dispensare non soleat, aut justa causa dispensationis non habeatur; Sponsalia, licèt conditionata, erunt invalida; quia tunc illa conditio censetur impossibilis. Hujusmodi impedimenta sunt impotentia perpetua, consanguinitas primi gradùs, &c.

Ex dictis colligi potest responsio ad sequentes quæstiones:

1º. Assigna impedimenta dirimentia matrimonium, non Sponsalia.

2º. Assigna impedimenta dirimentia Sponsalia, non matrimonium.

3º. Assigna impedimenta dirimentia matrimonium simul et Sponsalia.

N. 23. QUOMODO PROCEDENDUM PASTORICUM PAROCHIANO QUI CUPIT MATRIMONIO JUNGI.

I. *Jungendus Matrimonio examinandus circa libertatem.* II. *Circa consensum parentum vel tutorum.* III. *Circa impedimentum quod fortè latere posset.* IV. *Circa fidei rudimenta.* V. *Ob quorum ignorantiam a Matrimonio arceri possunt.* VI. *Admonitio ad desponsatos.* VII. *Contractus matrimonii an notandus in registro.*

I. RESP. Pastor præcipuè eum examinabit circa sequentia:

1º. An sit liber, et nulli alteri sit obligatus, vel matrimonium promiserit, aut falsâ spe illuserit. Si autem is sit Pastori ignotus, prout facilè accidit in magnis civitatibus, Pastor testes requiret, et etiam in vicinia inquiret, utrùm talis persona in Parochia habitet, et cognoscatur esse libera.

II. 2º. Pastor inquiret, an sit sui juris, an verò habeat parentes, vel tutores, et an illi consentiant quo casu iidem consensuum suum debent Pastori manifestare: neque facilè acquiescendum declarationi in scriptis habitæ, dum parentes vel tutores commodè possunt consensum personaliter declarare Pastori; quia fraudi et deceptioni res hæc subjecta est.

III. 3°. Pastor scrutabitur, an aliquod impedimentum inter eos lateat, etiam aliquando inquirendo de particulari impedimento, quod secundum circumstantias personarum latere posset; v. g. si sponsa habeat sorores nobiles, inquiret super impedimento publicæ honestatis: si recenterviduus petat jungi ancillæ suæ, erit ratio indagandi super impedimento criminis; aliquando inquiret circa impedimentum cognationis spiritualis, quandoque etiam circa impedimentum affinitatis, monendo v. g. sponsum signanter inferioris conditionis, ut, si fortè, (quod Pastor dicet se non existimare) familiaritas habita fuisset cum consanguineis futuræ sponsæ; id Confessario suo declaret; quia subesse posset impedimentum super quo, si id declaret, prius petenda est dispensatio, quæ facilè obtinebitur.

IV. 4°. Pastor examinabit, an in primis fidei principiis sufficienter sit instructus, prout requirit Synodus prima Provincialis Mechliniensis *tit. de Schol. Dominicali, cap. 5.* et Pastorale.

Interrogationes instituere poterit, v. g. hoc modo: quæ sunt illa fidei mysteria, quæ parentes debent docere pueros suos? An aliquid retinuisti de Catechismo? &c.

Deindè jubebit, ut recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogum et Præcepta Ecclesiæ.

Huic examini, ut ad aliorum exemplum se libenter subjiciant, etiam inducendi qui notoriè ea sciunt, inquit Steyaert, “in conclusionibus practicis de matrim, num. 4.”

V. An sponsus vel sponsa à Matrimonio contrahendo prohiberi possit, quia ignorat rudimenta fidei?

R. Affirmativa certa est contra Sanchez: dicit enim Rituale Romanum, loquens de Matrimonio jungendis: “Uterque sciat Rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant:” et S. Carolus *in Concil. 5. Provinc. Mediolanensi*, prohibet, ne Parochus Matrimonio jungat sponso rudimenta fidei ignorantes, antequam ea didicerint; ac Benedictus XIV. *constit. 42.* scribit ad universos Episcopos in hunc modum: “cum Matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit marem seu feminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare, &c.”

Obj. Synodus Diœcesana Mechlin. *tit. 9. cap. 12.* sic loquitur: “Etsi desponsandi, Doctrinæ Christianæ rudimenta planè ignorantes, ob id à matrimonio contrahendo arceri non debeant, Parochi tamen suaviter, et bono modo,

“ quando contrahentes non instabunt, brevi tempore eos
 “ retinere poterunt; donec doctrinam necessariam addis-
 “ cant, et ita fieri expedit:” ergo si arceri non debeant,
 potest Pastor eos conjungere, prout etiam si contrahentes
 instent.

R. Certum est, verba illa non posse crudè accipi; seque-
 retur enim, quòd ignorantes etiam necessaria necessitate
 medii, possent matrimonio conjungi, quod nullus admittet:
 deinde Synodus prima Provinc. Mechliniensis, loco mox
 citato, docet, quòd Pastores ad matrimonii Sacramentum
 admittere non possint, nisi in primis fidei principiis suffi-
 cienter instructos: et Pastorale Mechliniense requirit, ut
 desponsandi sciant fidei nostræ rudimenta: dici autem
 nequit, quòd his repugnet Synodus Diœcesana.

Unde dicendum cum Van Roy, quòd prædicta Synodus
 tantùm velit in quibusdam casibus, urgente scilicet neces-
 sitate, ignorantes à matrimonio arceri non debere: quod
 dictis non adversatur.

Quod autem dicit: “ Quando contrahentes non insta-
 bunt,” non sic intelligendum est, quasi dum ignorantes
 doctrinam Christianam instant, semper matrimonio jun-
 gendi sint; sed quòd tunc saltem, dum non instant, à
 matrimonio retineri debeant: quid agendum sit, quando
 instant, Synodus non definit; sed prudentiæ Parochorum
 reliquit.

Et sanè matrimonium est Sacramentum vivorum, quod
 sine sacrilegio contrahi nequit in peccato mortali: jam
 autem, qui fidei rudimenta ignorat, quæ sub gravi scire
 tenetur, quamdiu illa non addiscit, cùm potest, versatur
 in peccato mortali.

Postremò Pastor eundem exhortabitur, ut precibus
 instet apud Deum, ut cognoscere possit vocationem suam,
 et sana consilia exquirat, seriòque meditetur, an status
 matrimonialis futurus sit sibi magis salutaris et fuga pec-
 cati; an verò contra, &c.

Si sponsa sit ejusdem Parochiæ, Pastor idem circa eam
 instituet examen. Proponit quidem Steyaert loco citato,
 ut simul examinentur ob honestatem: sed seorsim exami-
 nandos esse insinuat, in Aphorismis de Matrim. §. 13.
 num. 2. sicque practicandum videtur (patente tamen
 cubiculi janua) ne ob verecundiam non audeant, præsentem
 altero, revelare impedimenta quædam. His peractis,
 quærat Pastor, quo tempore cupiant sponsalia contrahere.

Si autem sponsa sit alterius Parochiæ v: g. de A, tunc

Pastor sponsi Parochiæ de B. ad Pastorem de A. scribat testimonium hoc aut simili modo :

“ Reverende Domine Pastor,

“ Joannes N. parochianus noster, intendens contrahere
 “ Sponsalia cum Catharina N. parochiana vestra, ad illa
 “ liber est, et reliqua requisita adsunt, ita ut ad præfata
 “ Sponsalia tutò, quantum est ex parte nostra, liceat pro-
 “ cedere. Dabam 17 Octobris anni 1775.

“ Famulus vester Joannes N.

“ Pastor in B.”

VI. Pastor in A., qui debitè examinavit suam parochianam juxta supra dicta, præfatum Joannem cum illis litteris testimonialibus, admittit ad Sponsalia, cum parochiana sua, inscriptis in libello nominibus eorum et testium. Sponsalibus contractis, Pastor desponsatos admonet, ut per pietatis opera sese præparent ad Sacramentum Matrimonii, idque studeant suscipere intentione sanctâ, prout Christianos decet ; ne habitent sub eodem tecto ; sciantque nihil hucusque licere in materia carnali ; sed abstineant ab omni peccato, ut benedictionem à Deo impetrent : præterea ut, juxta monitum Pastoralis, triduo ante Matrimonium peccata sua confiteantur, et ad Eucharistiam se præparent, ita tamen ut eodem die, quo Matrimonium contracturi sunt, iterum accedant Confessarium, si fortè aliquid occurrerit, ut in statu gratiæ Sacramentum illud vivorum suscipiant.

Deinde Pastor in A. rescribet Pastori in B. hæc vel simili formâ :

“ Reverende Domine Pastor,

“ Joannes N. parochianus vester, et Catharina N. parochiana nostra, contraxerunt inter se Sponsalia solemnia
 “ hæc die 20 Octobris anni 1775, rogo Dominationem
 “ vestram, ut unà mecum ad proclamationes ordinarias
 “ procedere dignetur.

“ Famulus vester humillimus

“ Petrus N. Pastor. in A.”

Proclamationibus factis eo modo, quo dicetur Num. sequenti, Pastor in B. rescribet hoc modo :

“ Reverende Domine Pastor,

“ Factæ sunt in Ecclesia nostra tres proclamationes ordinariæ, in ordine ad matrimonium contrahendum inter
 “ Joannem N., parochianum nostrum, et Catharinam N.,

“ parochianam vestram, et non innotuit ullum impedimen-
 “ tum: insuper præfatus Joannes sacramentaliter confessus
 “ est; quare Dominatio vestra tutò, quantum est ex parte
 “ nostra procedere potest ad matrimonium præfatum. Da-
 “ bam 2 Novembris anni 1775.

“ Humillimus famulus vester
 “ Joannes N. Pastor in B.”

Consuetudo hujus Diœcesis observat, quòd nupturientes, si alteri quàm Pastori confessi sint, ab eo adferant testimonium factæ confessionis.

Obj. Juxta Pastorale Meehl. “ can. 11. de Sacram. Matrim. administratione,” tantum hortandi sunt desponsati, ut confiteantur antequam contrahant Matrimonium ergo hoc est tantum consilii, non præcepti.

R. 1°. Quòd Pastorale canonem illum ex Concilio Tridentino *Sess. 24. c. 1.* desumptum tantum relativè exprimat; sed in rubricis suis præceptum confitendi exprimit; cui Tridentinum non repugnat, sed favet; quandoquidem ibidem exoptet ut consuetudines laudabiles Provinciarum retineantur. Hinc Steyaert, in conclusionibus practicis de matrim. num. 6. docet quempiam publicè repelli posse in vim Pastoralis, vel consuetudinis introductæ, si triduo ante confessus non fuerit.

2°. Evidens est dari præceptum pro hac Archidiœcesi et Suffraganeis: etenim Synodus Provincialis Mechliniensis celebrata Lovanii anno 1574 sic loquitur: “ Non admittatur ad matrimonium, nisi confessus et confirmatus.”

Tandem litteris his acceptis, poterit Dominus Pastor in A. desponsatos admittere ad Matrimonium. Si Pastores mutuas signaturas non noverint, easque de falso suspectas habeant, exigant super eis testimonium personæ fide dignæ, aut si testimonium illud haberi non possit, exigant juramentum, ait Synod. 2. Provinc. Mechliniens. *tit. 10, cap. 3.* atque ita per hanc Synodum et praxim, videtur esse moderatum statutum Synodi primæ, *tit. de spons. et matrim. cap. 4 & 5*, ac ipsius Pastoralis, quo exigebatur attestatio Decani vel Episcopi, dum desponsati sunt diversorum Decanatum vel Episcopatum.

Deinde fraus facilè detegi potest, si unus Pastor directè scribat alteri Pastori super veritate signaturæ et epistolam mittat per nuncium.

Quando nupturientes cupiunt contrahere matrimonium sine proclamationibus, mediante dispensatione super om-

nibus tribus; tunc Pastor facto examine superiùs præscripto, sed omissis sponsalibus, scribit litteras testimoniales pro obtinenda dispensatione ab Episcopo: formulam scribendi subministrabimus Num. sequenti.

VII. Finaliter contractum matrimonium, Pastor annotabit in registro matrimonialii, hoc vel simili modo:

“Anno Domini 1832, die 4. mensis Novembris factis
 “tribus proclamationibus ordinariis (vel obtenta dispensatione super tribus proclamationibus) matrimonio juncti
 “sunt Joannes N. oriundus ex Parochia B. et Catharina
 “N. oriunda ex Parochia A. coram me Petro N. Pastore
 “de A. proprio Parocho præfatæ Catharinæ; præsentibus
 “testibus Josepho N. & Paulo N.”

Si autem alius Sacerdos, ex licentia Pastoris eos matrimonio junxerit, in registro id exprimat hoc modo:

“Matrimonio juncti sunt, &c. coram reverendo Domino
 “Francisco N. Sacerdote, de speciali licentia et commissione Pastoris in A. Parochi proprii præfatæ Catharinæ,
 “præsentibus testibus, &c.”

Reliqua notanda et observanda satis dilucidè exprimit Pastorale Mechliniense.

N. 24. DE PROCLAMATIONIBUS ANTENUPTIALIBUS.

I. *Proclamationes antenuptiales.* II. *Earum finis.* III. *Sunt ex præcepto faciendæ.* IV. *Non de matrimonii valore.* V. *Præceptum obligat Parochos sub gravi, VI. Et etiam populum, denunciandi impedimentum.* VII. *Proclamationes ter fieri debent.* VIII. *Post sponsalia contracta.* IX. *In Ecclesia inter Missarum solemnias,* X. *Vel in concione.* XI. *In Parochia utriusque.* XII. *Proclamationes aliquando iterandæ.* XIII. *Impedimentum denunciatum referendum ad Episcopum.* XIV. *Ante denuntiationem impedimenti, quandoque adhibenda monitio fraterna.* XV. *In proclamationibus dispensat Ordinarius loci.* XVI. *Dispensatio petenda per Pastorem.* XVII. *Formula petitionis.*

I. PROCLAMATIONES antenuptiales, quæ alio nomine vocantur denuntiationes, item banna, sunt publicæ denuntiationes futuri matrimonii inter certas personas nominatas; ut si quis inter eas impedimentum cognoverit, id declaret.

II. Colligitur finis proclamationum; ut scilicet impedimentum, sive prohibens, sive dirimens, si quod fortè sub-

sit, detegatur, et ita caveri possint, tum nullitas contractus, tum sacrilegium contrahentis, tum irreverentia Sacramenti.

III. Præceptum faciendi dictas proclamationes latum est in magno Concilio Later. sub Innoc. III. et reperitur cap. CUM INHIBITIO, lib. 4. Decret. tit. 3. quod innovavit et determinavit, quoad circumstantias numeri, loci, et temporis, Conc. Trid. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.

IV. Non sunt tamen de substantia Matrimonii, unde Matrimonium sine illis et sine dispensatione in eis initum, subsistit, prout sæpius declarasse S. Congregationem, dicit Pontius, et etiam constat ex Tridentino.

V. Præceptum faciendi dictas proclamationes sub gravi obligat, cum sit de materia gravi et quod statuitur ad multa incommoda vitanda: unde Parochus extra casum dispensationis eas omittens, imò, secundum Coninck et Pontium, vel unam prætermittens mortalis peccati reatum incurrit, nisi foret casus necessitatis, qui non patitur moram pro acquirenda dispensatione, v. g. si proles sit legitimanda per Matrimonium infirmi brevi morituri: si tamen is supervivat, fiant proclamationes ante matrimonii consummationem, ut significat Concilium Tridentinum loco citato. Verùm, docet Zypæus, Archidiaconus Antuerpiensis, lib. 4. Juris Pontificii novi, quòd hic mos relaxaverit, ut non audierit unquam, inquit, post contractum jam matrimonium proclamationes fuisse factas.

VI. Ex eodem præcepto oritur gravis obligatio pro populo et quolibet ejusdem, denunciandi impedimentum, cujus conscius est sive illud sciant contracturi, sive ignorant, tum quia ex jure divino debemus impedire peccatum proximi, tum quia hoc exigit reverentia Sacramenti et præceptum Superioris Ecclesiastici. Quod etiam verum est, quamvis illud impedimentum sub secreto naturali vel juramento recepisset occultandum: aliud dicendum est, si impedimentum sciatur ex sola confessione sacramentali; tum enim nullo modo id revelari potest. Vide latius Neesen de Matrim. q. 6. dub. 5. Interim frustra, ut observat Steyaert, in conclusionib. practicis de Matrim. Num. 12. fiunt proclamationes, nisi populus sæpe de impedimentis matrimonii, deque obligatione ea denunciandi, instruatur.

Quoties et quando proclamationes hæ fieri debent?

VII. R. Secundum Trid. loco citato fieri debent ter, tribus continuis diebus festivis.

Quid hinc intelligitur per diem festivum?

R. Sanchez, Bosco, &c. censent per dies festivos, posse

intelligi omnes illos, quibus ad ecclesiam convenire solet magna populi multitudo, licet sint dies feriales; eò quòd finis decreti etiam tunc perfectè obtineatur: alii autumant diem festivum strictè hìc sumi pro eo, qui est de præcepto; saltem in hoc loco, pro quo Pontius, lib. 5. cap. 30. num. 3. adfert declarationem Cardinalium.

Possunt fieri diebus festivis, quibus est obligatio audiendi Missam; sed licet operari serviliter; ut patet ex praxi.

Cùm dicatur in Tridentino, tribus continuis diebus, &c. petitur, an si tria festa immediatè se continuant, v. g. in Pentecoste, debeant tunc banna fieri?

R. Negativè: nec hoc sequitur ex Tridentino, quod tantùm vult, ne matrimonium multo spatio separetur à proclamationibus: imò plerique improbant, quòd illæ tribus diebus immediatè sequentibus fiant; saltem, si statim post celebraretur matrimonium; quia tunc vix datur tempus ad ad impedimenta denuntianda. Notat Steyaert, quòd proclamationes fieri possint tempore clauso, et pro eo aliqui adducunt declarationem Cardinalium.

VIII. Fiunt proclamationes post contracta Sponsalia, ut colligi potest ex dictis Num. 10.

An liceat contrahere matrimonium eo die, quo ultima proclamatio facta est?

R. Affirmat Van Roy; quia nullum jus prohibet: verùm consuetudo loci inspicienda est. Id prohibet Synodus Diocesana Mechliniensis tit. 9. cap. 7. in casu, quo super una vel duabus proclamationibus est dispensatum.

Ubi fieri debent denuntiationes?

IX. R. Juxta Tridentinum, loco citato, debent fieri in Ecclesia (Parochiali scilicet) inter Missarum solemnias; quia tunc frequentior est concursus: addit Pastorale Mechl., aut in concione antemeridiana: X. et Synodus secunda Provincialis Mechliniensis tit. 10. cap. 2. "Sub summo Sacro vel concione, aut alioquin sub frequenti populi concursu:" unde deducunt Authores in alio etiam loco proclamationes fieri posse secundum consuetudinem alicubi notam.

XI. Insuper si desponsati sint diversarum Parochiarum, in utraque fieri debent proclamationes juxta Tridentinum et Pastorale Mechliniense.

Imò si non diu in Parochia habitaverint, proclamationes fieri debent in Parochia, in qua prius habitaverint, ut mandat Synodus Mechliniensis tit. 9. c. 8. ubi et in margine notatur, Congregationem Concilii Tridentini ita declarasse.

XII. Utrùm proclamationes aliquando sint iterandæ?

R. Rituale Romanum ita statuit; ut “si infra duos menses, post factas denuntiationes, Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur:” et Pastorale Mechliniense instruit Parochos, ut serio moneant desponsatos, ne ultra quadraginta dies matrimonium differant.

XIII. Pro casu, quo impedimentum denuntiatur, observa statutum Synodi secundæ Provincialis Mechliniensis, tit. 10. cap. 4. “impedimento aliquo denuntiato, vel Matrimonio desponsatorium oppositione aliquâ factâ, non priùs ad ulteriores proclamationes, aut matrimonii solemnizationem Parochus procedat, quàm re ad Ordinarium vel Vicarium ejus aut officialem delatâ, ab eodem intellexerit quid facere debeat.”

XIV. Observa pariter, quòd si impedimentum denuntiandum sit infamans, v. g. affinitatis ortæ ex fornicatione cum consanguinea sponsæ intra secundum gradum; debeat priùs fraternè moneri contracturus, tali impedimento laborans, additis etiam minis, deferendum esse Pastori, ni desistat à matrimonio: quòd si nihilominus velit procedere ad matrimonium contrahendum, impedimentum, ait Braunman, omnino denuntiandum est.

XV. Quis potest proclamationes remittere, seu in his dispensare?

R. Juxta Tridentinum, Ordinarius loci, sed non nisi ex juxta causa: unam tantùm causam allegat Tridentinum, nimirum “Si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse.” Aliæ tamen esse possunt, juxta Rituale Romanum, et hodiedum plurimæ admittuntur; ut vicinia temporis clausi, femina prægnans, verecundia in concubinariis vulgi opinione junctis, &c. Vide Zypæum, Neesen, Daelman, Braunman, &c.

XIV. Quamvis in Diæcesi Mechliniensi debeant ipsi Pastores scribere pro dispensatione obtinenda: providè tamen monet Steyaert, quòd non deceat Parochos, impetrandis ejusmodi dispensationibus se passim immiscere, nisi spiritualis suorum necessitas id quandoque exigat. Scribendi formulam subministrat Manuale Pastorum, quæ abbreviari potest in hunc modum:

XVII. “Joannes N. et Joanna N. parochiani Parochiæ de N. intendentes inter se contrahere Matrimonium, ad hoc liberi sunt et sui juris, in fide Catholica sufficienter sunt instructi, et non innotescit ullum impedimentum:

“recurrunt ad Excellentiam suam pro dispensatione super
 “tribus proclamationibus, allegantes pro causa, quòd
 “sponsus sit viduus, habens parvam prolem, indigens,
 “absque dilatione, adjutorio uxoris.

“Quod attestor, hâc 20 Octobris, 1832.

“Petrus N. Pastor de N.”

Si non sint sui juris, loco istius sui juris, substituitur,
 adest consensus quorum interest. Si sint diversæ Paro-
 chiæ, uterque Pastor scribet hoc modo :

“Joannes N. parochianus Parochiæ de N. intendens
 “contrahere matrimonium cum Joanna N. parochiana
 “Parochiæ de N. ad hoc liber est,” &c. ut supra.

Dispensatio in bannis, in scriptis haberi debet, juxta
 Synodum secundam Provinciam Mechliniensem tit. 10.
 c. 2.

Dum data est dispensatio pro una aut altera proclama-
 tione, oportet, inquit Steyaert et Braunman, eam quæ
 superest, facere cum expressione partialis dispensationis.

PARS SECUNDA.

TRACTATUS

DE

MATRIMONIO.

N. 25. DE VARIA ACCEPTIONE ET DEFINITIONE MATRIMONII.

S. Thom. suppl. quæst 44. art. 2.

I. *Varia nomina matrimonii.* II. *Matrimonium sumptum in officium naturæ.* III. *Sumptum ut Sacramentum.* IV. *Definitio matrimonii ut contractûs.* V. *Ut Sacramenti.*

I. MATRIMONIUM à matre dicitur, quia potiore in eo partem habet, et quia mulier nubit, inquit S. Augustinus, ut mater fiat. Nuncupatur etiam “conjugium”; à communi conjugum jugo. Item “nuptiæ et connubium” à nubendo seu velando, eò quòd pudoris gratiâ puellæ nubentes se velarent: tandem, in jure Matrimonium ratum non consummatum sæpe accipitur pro “Sponsalibus de præ-senti.”

II. Prænotandum, quòd Matrimonium dupliciter considerari possit: 1^o. tanquam contractus civilis et in officium naturæ, ad propagandum genus humanum; et ita consideratum, fuit Matrimonium omni tempore.

III. 2^o. Considerari potest, prout est Sacramentum, et eatenus solùm invenitur in nova lege, in baptisatis.

Quid est Matrimonium prout est in officium naturæ?

IV. R. Est viri et mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuum vitæ societatem retinens.

Dicitur, "viri et mulieris," ut significetur subjectum Matrimonii, et excludatur polygamia.

Dicitur, "conjunctio maritalis," quæ mutuam corporis traditionem includit; et sic distinguitur ab aliis conjunctionibus.

"Inter legitimas personas," id est, nullo juris naturalis, divini vel humani impedimento affectas.

Dicitur, "individuanam vitæ," &c. id est, de se perpetuam et indissolubilem.

Quid est Sacramentum Matrimonii?

V. R. Est Sacramentum novæ legis, in quo vir et mulier, legitimè contrahentes, maritaliter junguntur, et gratiâ divinâ donantur.

Colligitur aliud Matrimonium esse legitimum, quod inter personas legitimas contrahitur, ut conjugium infidelium: aliud esse ratum, quod inter baptisatos contrahitur, et ideo majorem firmitatem habet. Hinc Matrimonium ratum esse non potest inter infideles ut expressè declarat Innocentius III. lib. 4. decret. tit. 19. Aliud autem Matrimonium est consummatum, quod per copulam carnalem completur.

Sumitur aliquando Matrimonium pro contractu aut Sacramento transeunte; aliquando verò pro vinculo matrimoniali permanente, sive pro statu matrimoniali.

N. 26. DE INSTITUTIONE MATRIMONII.

I. *Institutio matrimonii in officium naturæ.* II. *In remedium concupiscentiæ.* III. *Ante Christum matrimonium non fuit Sacramentum.*

A QUO, et quandonam institutum est Matrimonium?

I. R. S. Th. sup q. 42. a. 2. distinguit quinque institutiones, quarum has tres præcipuè juvat notare: 1^o. quatenus Matrimonium est in officium naturæ, institutum est à Deo ante peccatum primorum parentum; dum eis dixit. "Gen. 1. v. 28. Crescite et multiplicamini." Ita S. Thom. loco citato, ad 4.

II. 2^o. Post eorum peccatum dicitur institutum in remedium contra vulnus peccati, inquantum Deo volente, tum accessit Matrimonio, quod foret concupiscentiæ remedium: est institutio minùs rigorosè dicta.

3^o. Prout est Sacramentum, institutum est à Christo Domino, ut definivit Concilium Tridentinum sess. 24. de Sacramento Matrimonii, can. 1. sed quandonam, non ita constat. Alii institutum esse dicunt, quando Christus,

Joannis 2. interfuit nuptiis in Cana Galilææ, quas suâ præsentia cohonestavit, eisque dicitur benedixisse. Juxta alios, dum Christus, Matth. 19. Matrimonium revocans ad primævam suam unitatem et indissolubilitatem, sublato repudii libello, dixit; "Quod Deus conjunxit, homo non separet." Alii autem institutionem ejus referunt ad tempus quadraginta dierum inter Resurrectionem et Ascensionem, quibus Apostolos frequenter instruxit Christus de regno Dei, sive Ecclesiâ. Alii dicunt tempus esse incertum, nec id mirum videri debet, cùm nequidem inter Authores conveniat, quando sit Baptismus institutus.

III. Matrimonium in lege naturæ, et in lege veteri, non fuit propriè dictum Sacramentum; quod colligitur ex Tridentino, sess. 24. cap. unico de Matrim. dicente, Matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstare: dein non connumerabatur inter Sacramenta legis naturæ vel veteris; qui non ut ritus sacer frequentabatur: erat tamen Sacramentum latiori sensu, quatenûs aliquo modo significabat futuram conjunctionem Christi cum Ecclesia: tum physicam per Incarnationem, tum moralem per gratiam.

N. 27. DE PRÆCEPTO MATRIMONII.

I. *Ad matrimonium non obligantur singuli homines.* II. *Præceptum matrimonii obligat communitatem secundum S. Th.* III. *Matrimonium potest esse alicui in præcepto per accidens.*

AN Matrimonium sit in præcepto?

I. R. De fide est quòd in nova lege singulis hominibus non insit obligatio ineundi Matrimonium; quia Christus Matth. 19. continentiam dedit in consilio, eamque Paul. 1. ad Corinth. 7. commendat et extollit, ac religiosè observata est à plurimis Sanctis.

Unde hæretici moderni, dum continentia observantiam impossibilem dicunt, toti orbi contradicunt, et seipsos defamant, dum aliquando inviti coguntur manere inuupti. Vide latius Steyaert et Daelman.

Obj. I. 1. ad Corinth. 7. v. 2. dicit Apostolus: "Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat:" ergo Matrimonium est omnibus in præcepto.

R. Negando consequentiam: quia Apostolus non alloquitur ibidem cælibes, sed Matrimonio junctos, quibus, ad vitandam fornicationem et alias immunditias, permittit

Matrimonii usum: ita ut verbum *habeat* sumatur *pro utatur*; estque verbum permittentis, non pæcipientis.

Obj. II. Deus præcepit Matrimonium, Gen. 1. v. 28 et 9. v. 1. his verbis: “Crescite et multiplicamini:” atqui illud præceptum non est revocatum; ergo omnes obligantur.

R1. °. Negando majorem; quia verba illa tantummodo continent benedictionem fœcunditatis; nam eadem ad pisces, præcepti incapaces, dicta leguntur.

2°. Alii, inter quos Pontius, admittunt, verba illa concernere quidem præceptum legis naturæ de Matrimonio datum unicuique in particulari, sed ejus obligationem cessare multiplicato sufficienter genere humano: ut probant exempla Josue, Eliæ, Elisei, Jeremiæ, &c. qui vitam cœlibem duxerunt.

Insinuant SS. Hieronymus et Augustinus, in veteri lege, Matrimonii præceptum fuisse saltem pro fœminis, juxta illud “Exod. 23. v. 26.: Non eris infœcunda, nec sterilis “in terra tua:” sed verba illa non exprimunt præceptum, at tantum promissionem fœcunditatis: cùm enim sterilitas sit defectus naturalis, non est in potestate hominum, ut non sint steriles. Ad SS. Patres citatos responderi potest, quòd præceptum usurpaverint impropriè pro consuetudine, quæ tunc vigeat.

Admittunt interim Pontius et alii, quòd, licèt sit præceptum naturale de Matrimonio singulis datum, hoc tamen tempore ejus obligatio cesset, et hoc certum est, cum Christus, Matth. 19. v. 12. laudet Eunuchos, qui seipsos spiritualiter castraverunt, omnimodà veneris abdicazione per inviolabile propositum et votum continentia.

II. 3°. Alii, cum S. Thom. 2. 2. q. 152. a. 2. ad 1. agnoscunt præceptum Matrimonii obligans communitatem generis humani, ut curet aliquos Matrimonium inire (sicut idem obtinet, v. g. in agricultura, &c.) sed nullum obligans in particulari, nisi necessitas et paucitas conjugatorum ita exigerit: alii tamen dicunt, quòd neque tale præceptum hodie admittere necesse sit; sed si totus orbis abstinere vellet à Matrimonio, supponendum esset, quòd genus humanum ex voluntate Dei non ampliùs esset multiplicandum.

III. Nota, quòd Matrimonium alicui possit esse in præcepto per accidens; v. g. quia Sponsalia sunt contracta, vel quia proles est legitimanda, vel quia per Matrimonium illud, pax inter principes est servanda, vel Fides Catholica in regno conservanda vel propaganda, &c.

N. 28. DE MATRIMONIO UT SACRAMENTO.

S. Thom. Suppl. quæst. 42.

I. Matrimonium est novæ legis Sacramentum.

I. PROBA Matrimonium esse unum ex septem novæ legis Sacramentis?

R. Id contra Lutheranos et Calvinistas definivit Tridentinum Sess. 7. Can. 1. et Sess. 24. Can. 1. idem probatur ex decreto Concilii Florentini ad Armenos.

2°. Probatur ex traditione, pro qua demonstranda, varia SS. Patrum et Conciliorum testimonia adferunt Bell. de Matrim. cap. 3. Estius in 4. Dist. 26. §. 7. Sylvius suppl. q. 42. a. 1, &c. et hinc formatur argumentum præscripti-
onis, scilicet: ante Lutherum et Calvinum, utraque, tam orientalis, quàm occidentalis Ecclesia, admittebant Matrimonium esse Sacramentum; atqui non potest probari quandonam hoc sit inductum: ergo debet esse traditionis Apostolicæ.

3°. Idem probabiliter eruitur, ut insinuat Tridentinum sess. 24. *in præmio*, ex hac Apostoli sententia ad Ephes. 5. v. 32. "Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia;" ubi docet Apostolus: quòd Matrimonium fidelium non tantum sit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem, sed etiam per gratiam sanctificantem, et proinde Matrimonium est ipsius gratiæ sanctificantis à Christo signum institutum: sed quod est à Christo tanquam signum gratiæ permanentem institutum, est ejusdem signum efficax et collativum: ergo et Sacramentum.

Obj. I. Matrimonium Adami et Evæ erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; atqui non erat Sacramentum: ergo Matrimonium fidelium non est ideo Sacramentum.

R. Negando consequentiam: quamvis Matrimonium primorum parentum esset signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, non tamen erat propriè Sacramentum, quia non ponit Apostolus Sacramentum in conjugio, nisi ut ad conjugium Christianorum refertur: cum dicat: "Sacramentum hoc magnum est in Christo et in Ecclesia."

Obj. II. Pro Matrimonio contrahendo licet pacisci de dote: atqui si Matrimonium esset Sacramentum, hoc pactum esset simoniacum: ergo, &c.

R. Negando minorem: quia dos illa non datur, nec

exigitur pro Sacramento; sed pro sustinendis matrimonii oneribus.

Deinde Matrimonium considerari potest ut est contractus civilis, et ut est Sacramentum. Potest autem contractus ille iniri certâ dotis pactione, absque injuria Sacramenti, sicut calix consecratus recte pretio venditur, sine consecrationis injuria.

N. 29. DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

I. *Probabilis est sententia, quæ dicit contrahentes esse ministros Sacramenti Matrimonii.* II. *Nec minùs probabilis, quæ dicit Sacerdotem Ministrum.* III. *Solvuntur argumenta prioris sententiæ.* IV. *Secundùm hanc sententiam practicè agendum.*

I. **QUIS** est Minister Sacramenti Matrimonii?

R. Duplex desuper est sententia, utraque probabilis, et suos habet fautores magnæ notæ; una, quæ est Sanchez, Bellarmini, Billuart et plerorumque antiquorum, sustinet solos contrahentes esse hujus Sacramenti Ministros, probantque suam sententiam:

1°. Secundùm Concilium Florentinum in decreto ad Armenos: "Causa efficiens Matrimonii est Mutuus consensus;" atqui causa efficiens Sacramenti Matrimonii est illius Minister; ergo contrahentes sunt Ministri.

2°. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonii, declarat Matrimonia clandestina fuisse vera et rata; ergo credidit fuisse vera Sacramenta.

3°. Si Sacerdos esset Minister, deberent hæc verba, ego vos conjungo, &c. constituere formam essentialem; atqui non constituunt; quia antiqua quædam ritualia habent formam nullo modo æquivalentem: sic refertur alicubi hæc verba tantùm fuisse a Sacerdote pronunciata; Quod Deus conjunxit, homo non separet.

4°. Christus contractum Matrimonii elevavit ad rationem Sacramenti: atqui contrahentes sunt Ministri contractûs: ergo et Sacramenti.

5°. Juxta S. Thom. suppl. q. 42. a. 1. ad 1. "Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio sacerdotalis, quæ est quoddam Sacramentale."

II. Altera sententia nec minùs probabilis, quam amplectuntur Melchior Canus, de locis theologicis lib. 8. cap. 5. Estius, Sylvius, Tourn., Daelman, &c. statuit Sacerdotem

hujus Sacramenti Ministrum, cujus præcipua fundamenta sunt :

1°. Secundùm Concilium Florentinum, Sacramenta perficiuntur verbis tanquam formâ, atqui verba, quæ sunt forma alicujus Sacramenti, non possunt suppleri per nutus, scripturam aliudve signum, prout liquet alia Sacramenta consideranti; atqui in alia sententia posset Sacramentum Matrimonii perfici sine verbis propriè dictis, per nutus, aliave signa; ergo, &c.

2°. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. et ritualia exigunt ut Sacerdos intellecto contrahentium consensu, proferat verba: Ergo vos in Matrimonium conjungo, &c. et in Pastoralis Mechliniensi præscribitur ut dicat: Ego, tanquam Dei Minister, vos in Matrimonium conjungo; atqui illorum verborum, ego vos conjungo, &c. proprius sensus assignari nequit in aliorum opinione. Quòd enim dicunt verba illa habere hunc sensum: Declaro vel attestor vos esse conjunctos, videtur non posse admitti; quia est contra propriam et nativam eorum significationem; sicut repugnat sensui formæ Sacramenti Pœnitentiæ, si quis hunc vellet effingere: Declaro vel attestor te esse absolutum.

3°. Omnia alia Sacramenta habent Ecclesiæ Ministrum: licèt enim Laïcus validè baptizare possit, ordinarius tamen Sacramenti Baptismi Minister solus est Sacerdos: ergo etiam Sacramentum Matrimonii ab Ecclesiæ Ministro dispensatur.

4°. Sacramentorum, quæ in actione transeunte consistunt, Minister est distinctus á suscipiente, sic nullus potest seipsum baptizare, absolvere, &c.

III. Ad argumenta prioris sententiæ respondent hujus sententiæ patroni, nimirum; ad primum, negando consequentiam; quia per Matrimonium, Florentinum intellexit, non Sacramentum Matrimonii, neque contractum Matrimonii, sed vinculum contractûs matrimonialis. Consensus enim contrahentium est causa efficiens istius vinculi non propriè ipsius contractûs; sed causa formalis est contractus ipse. Causa verò efficiens contractus sunt ipsi contrahentes.

Nec obest, quòd ulteriùs dicant, quòd Concil. immediatè ante agat de Sacramento, dicens: septimum est Sacramentum Matrimonii: ergo etiam præcedentia intelliguntur de Sacramento: negatur enim consequentia: quia in præcedentibus mutat modum loquendi, cùm non dicat: Causa efficiens Sacramenti, prout de aliis Sacramentis dixerat; sed Causa efficiens Matrimonii: sicque videtur Concilium

posuisse de industria, ne sententiam hanc inter Catholicos controversam definiret.

R. Ad secundum negando consequentiam; quia Tridentinum tantum vult, quod fuerint vera et rata in ratione contractus, non in ratione Sacramenti: speciali autem ratione rata dicebantur, et hodie dicuntur Matrimonia fidelium sive baptizatorum; quia ratione Baptismi eis accedit quaedam firmitas et indissolubilitas præ matrimoniis infidelium; scilicet in casu Apostoli I. ad Corinth. 7. v. 14. de quo latius infra. His conformiter intellige Innocent III. cap. 3. cit. num. 25.

R. Ad tertium negando minorem; eò quod omnes formæ, quibus utuntur Sacerdotes in administrando Matrimonio, licet quoad verba diversæ sint, æquivalent tamen quoad sensum, etiam hæc: Quod Deus conjunxit, homo non separet; quia videri debet, in quibus circumstantiis et à quo proferantur: proin, cum à Sacerdote, Ministro Christi proferantur, habent sensum quod jungat causando gratiam per suum ministerium.

R. Ad quartum negando consequentiam; quia Christus elevando contractum ad dignitatem Sacramenti, tantummodo efficit, ut contractus Matrimonii posset esse materia Sacramenti Matrimonii; sed ut sit Sacramentum simul, alia adesse debent à Christo essentialiter requisita simili modo, quo dicitur virtus pœnitentiæ elevata ad rationem Sacramenti.

R. Ad quintum, quod S. Thom. junior, ob doctrinam magistri sententiarum fluctuans, in utramque partem aliqua scripserit: nam supple. q. 22. a. 2. in Corp. dicit: "Sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet:" et q. 31. a. 1. "Nullius Sacramenti dispensatio Laïcis ex officio competit:" deinde S. Thom. senior pro secunda sententia fundamentum posuit in summa, part. 3. q. 83. a. 3. ad 8. dicens: "Dispensatio Sacramentorum pertinet ad Ministros Ecclesiæ:" unde conjicit Sylvius, quod S. Thom. si summam suam perfecisset, juxta principia sua posita, Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Matrimonii, agniturus fuisset.

IV. Observa, practicè agendum esse secundum hanc posteriorem sententiam: proinde Sacerdos assistens Matrimonio, debet esse in statu gratiæ et proferre præfatam formam: Ego vos in Matrimonium conjungo, &c. cum intentione conditionata perficiendi Sacramentum; sive, quod satis est et melius, secundum intentionem Ecclesiæ.

N. 30. DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI
MATRIMONII.

I. *Materia et forma in sententia, quòd contrahentes sint ministri.* II. *In sententia quòd Sacerdos sit minister.* III. *Sensus verborum Ego vos, &c. secundùm utramque sententiam.*

I. ASSIGNA materiam et formam Sacramenti Matrimonii?

R. Assignatio materiæ et formæ hujus Sacramenti dependet à quæstione, quis sit illius minister? de qua numero præcedenti.

In quacumque sententia materia remota, sive circa quam, sunt corpora contrahentium, quæ sub mutuam potestatem transferuntur: in sententia, quæ ipsos contrahentes statuit hujus Sacramenti Ministros, non convenit inter Authores, quænam sit materia hujus proxima et forma, ut videre est apud Benedict. XIV. lib. 8. de Synodo Diocesana cap. 13. Communior tamen inter eos sententia habet, quòd materia proxima, sive ex qua sint verba, seu alia signa consensum exprimentia, quatenùs significant traditionem juris in mutua corpora. Forma vero, eadem verba vel signa, quatenùs mutuam exhibent istius traditionis acceptionem.

II. In sententia, quæ Sacerdotem ponit hujus Sacramenti Ministrum, materia proxima est contractus matrimonialis, quatenùs scilicet importat dictam traditionem et æceptionem; forma sunt verba Sacerdotis: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, &c. aut similia æquivalentia juxta locorum consuetudinem.

Bene observandum est, quòd ipse contractus transiens actualis, vel saltem virtualiter existens, dicatur materia Sacramenti, non autem vinculum inde resultans.

Circa consensum ad contractum matrimonialem requisitum, plura dicentur infra.

III. Quis est sensus verborum: Ego vos in Matrimonium conjungo, &c.?

R. Juxta eos, qui putant contrahentes esse Ministros, sensus est; Ego Matrimonium vestrum, autoritate Ecclesiæ, ratum habeo et confirmo, sive approbo.

Secundùm eos qui tenent Sacerdotem esse hujus Sacramenti Ministrum, adeoque dicta verba esse illius formam, sensus est hic: Ego Sacramentum conjunctionis vobis impertior: sive: Ego vos supernaturaliter conjungo per gratiam

Sacramenti. Sacerdos in administratione plures benedictiones adjungit, quæ non pertinent ad essentiam Sacramenti, sed merè sunt cæremoniales: similiter benedictio vel traditio annuli non est essentialis.

N. 31. DE DISPOSITIONE AD SUSCEPTIONEM SACRAMENTI MATRIMONII.

I. Suscipiens matrimonium debet esse in statu gratiæ. II. Qui ex sola Confessione noscitur indignus, debet admitti ad matrimonium. III. Quomodo peccator occultus admittitur ad matrimonium. IV. Publicus admittitur in 2 casibus. V. An proferenda sit forma.

I. QUALIS dispositio requiritur in suscipientibus Sacramentum Matrimonii?

R. Status gratiæ; quia est Sacramentum vivorum. Pastorale Mechliniense præscribit, ut triduo ante Matrimonium peccata sua confiteantur: tum ut interea temporis disponi possint, si fortè indispositi reperiantur; tum ut, si impedimentum detegatur, tempestivè dispensatio vel remedium afferri possit. Vide num. 23.

An Pastor ad Matrimonium admittere possit peccatorem, sive eum, quem novit esse extra statum gratiæ?

II. R. 1º. Si id noscat ex sola confessione sacramentali, debet quidem eum in ipsa confessione à sacrilegio deterrere; sed si eo non obstante, se ad Matrimonium præsentet, eum admittere debet; ut docetur n. 171. de Sacram. Pœnit.

Quòd Matrimonium contrahendum aliquando præbeat Confessario rationem absolvendi, ubi aliàs non absolveret, colligitur ex num. 139. de Sacram. Pœnit.

Notat Van Roy, cap. ult. quod dum gravis necessitas ad Matrimonium celebrandum compellit, liceat quandoque absolvere dubiè dispositum; sed generatim, inquit, tenendum, quòd ad conjungendos sponso dubiè dispositos, tantò major verisimilitudo de bona dispositione requiratur, quantò minor est necessitas: interim dum in casu, ob graves rationes, absolvimus dubiè dispositum, permittenda ipsi non est S. Communio: et reliqua servari debent, quæ docentur, n. 157. de Sacram. Pœnit.

III. 2º. Si id noscat aliunde, et sit peccator occultus, Pastor eum fraternè corripiet et deterrebit à sacrilegio, ac à Matrimonio impedire conabitur: si equidem publicè petat Matrimonio jungi, eundem admittet, si non habeat alias causas vel prætextus repellendi; sicuti eundem publicè petentem ad sumptionem Eucharistiæ admitteret.

IV. 3°. Si sit peccator publicus non admittet eum Pastor ad Matrimonium nisi in his duobus casibus: 1°. quando Pontifex vel Episcopus ex altioribus rationibus id permittit; quomodo aliquando permittitur Catholico contrahere Matrimonium cum comparte hæretica: ita Urban. VIII. dispensationem concessit, ut soror Regis Galliaë nuberet Carolo Regi Anglorum, hæretico.

Secundus casus est, quando id exigit gravis necessitas, quæ non patitur moram recurrenti ad Superiores Ecclesie; v. g. si proles nata sit legitimanda per Matrimonium moribundi, vel gravissima mala sint avertenda, &c.

Obj. Nunquam dantur justæ causæ dandi Sacramentum Pœnitentiæ indispositis: ergo nunquam dantur justæ causæ admittendi indispositum ad Matrimonium?

R. Negando consequentiam: disparitas est, quod absolutio sacramentalis solùm ordinetur ad justificationem istius hominis; sed contractus Matrimonii ordinatur ad bonum externum Reipublicæ, etiam temporale, prout etiam ordinari potest ad avertenda mala, inimicitias, &c. Vide ulterius num. 156. de Sacram. Pœnit.

V. An Sacerdos assistens præfatis Matrimoniis publicorum peccatorum, possit proferre formam Sacramenti: Ego vos conjungo, &c.

R. Steyaert aliquando, in appendicibus de matrimonio num. 19. resolvit pro responsione negativa; quia nulla necessitas id exigit, cum matrimonium possit esse validum in ratione solius contractûs, sicque evitabitur ex parte Sacerdotis irreverentia Sacramenti,

Verumtamen postea in aphorismis resolvit formam à Sacerdote esse regulariter proferendam, habendo se permissivè ad irreverentiam Sacramenti; quia non licet violentè contractum separare à ratione Sacramenti et quia aliàs incommoda nata sunt sequi, dum unicuique Pastori relinquatur libertas negandi gratiam Sacramenti illis, quos ipse falsò sæpe putaret indispositos: huic resolutioni à fortiori insistendum, quando indispositio non est certa, sed dubia; vel quando una pars est ritè disposita, quæ non debet privari Sacramento ob malitiam alterius: justa tunc causa necessitatis faciet, ut se permissivè habeat ad alterius peccatum, Denique Pastor facilè mutare non debet ritum sui pastoralis, inconsulto loci Ordinario.

Quòd si Superior aliter statuerit, servandum est. Hinc Clemens VIII. permittens, ut Dux Bavariensis duceret Catharinam, Henrici IV. Galliaë Regis sororem, hereti-

cam, teste Tourn. fol. 106. prohibuit ne Sacerdos nuptiis illis benedictionem sacerdotalem impertiret : deinde docet Collet, in Galliis moris non esse, ut Catholico et hæretico nuptias celebrantibus impendatur benedictio.

N. 32. DE EFFECTIBUS MATRIMONII.

I. *Effectus matrimonii ut contractûs.* II. *Ut Sacramenti.*
III. *Exhortatio ad conjungendos.*

I. QUINAM sunt effectus Matrimonii ?

R. Effectus Matrimonii, prout est contractus in officiam naturæ, sunt sequentes, 1^o. Potestas matrimonialis in mutua corpora. 2^o. Vinculi indissolubilitas : 3^o. obligatio mutua fidelitatis et educationis prolis : 4^o. quædam obligationes civiles, scilicet, cohabitandi invicem, adjuvandi, &c.

II. Effectus ultiores Matrimonii, quatenus Sacramenti, sunt : 1^o. Augmentum gratiæ sanctificantis, sive gratia sanctificans secunda, cum sit Sacramentum vivorum ; an autem per accidens conferat gratiam primam, non est certum : negat Pontius lib. 1. de matrim. cap. 6. sed videtur probabilius cum pluribus affirmandum. Porrò, gratia illa de se inducit indissolubilitatem quamdam supernaturalem confortantem indissolubile vinculum naturale ; tenditque ad sanctam et castam dilectionem conjugum mutuam, sicut Christus dilexit Ecclesiam.

2^o. Gratiæ Sacramentales, sive actuales suo tempore dandæ, ad amorem conjugum perficiendum, ad libidinem refrænandam, ad mutuas infirmitates supportandas, ad religiosè prolem educandam, ad mutuam fidelitatem tenendam, &c. Proinde per hoc Sacramentum præcipuè augentur virtutes charitatis, fidelitatis, patientiæ et religionis.

Quòd autem effectus isti gratiæ non frequenter habeantur, fit eo, quòd multi indignè Sacramentum hoc suscipiant, unice libidini intenti, &c. vel etiam si fructuosè id susceperint, tamen per peccatum mortale gratiâ excidentes, pariter jus ad gratias Sacramentales amittunt ; unde fidelibus inculcandum, ut non nisi cum legitima dispositione Sacramentum hoc suscipiant, et gratiam acceptam cautè custodiant, ne magno suo periculo gratiis se privent tam necessariis ; attento quòd sit valdè incerta, imò, minùs probabilis hujus Sacramenti reviviscentia : ideoque, si in dispositione defecerint conjuges, monendi sunt ut orationibus bonisque operibus damnum istud resarcire studeant.

III. Exhortatio ad conjungendos, de qua Pastorale, fieri potest hoc aut simili modo :

“ Jam inibitis Matrimonium, quod inducit vinculum indissolubile, et multas secum affert onera; sed Deus, per hoc Sacramentum, dabit gratias ad ea ferenda: formate igitur intentionem suscipiendi hoc Sacramentum juxta Christi institutionem: finis vester non potest merè esse temporalis. Mementote Verborum Apostoli, 1. ad Cor. 7. v. 14. Sanctificatus est vir...per mulierem, et contra: hoc ergo intendite, ut invicem perducatis ad salutem, retrahatis à peccatis et occasionibus peccatorum; ut vos invicem adducatis ad bonum, ad pietatem, ad Sacramenta frequentanda, ad conciones, &c. Ut, qui hic juncti fueritis in terra, etiam simul sociemini in Cœlis: nisi id optatis, præstaret non jungi Matrimonio.”

N. 33. DE MATRIMONIO VALIDO IN RATIONE CONTRACTUS, NON SACRAMENTI.

I. *Potest contractus matrimonii separari à Sacramento.*

II. *Matrimonium non potest claudicare ratione contractus.* III. *Quæstio an possit ratione Sacramenti.*

AN Matrimonium possit esse validum in ratione contractus, et non in ratione Sacramenti?

Quæstio non est de infidelibus et non baptizatis; ii enim, defectu baptismi, incapaces sunt aliorum Sacramentorum; adeoque contrahentibus Matrimonium, separatur ratio contractus et Sacramenti.

Admittunt etiam omnes, quòd Sacramentum Matrimonii non possit subsistere sine contractu; quia Christus contractum legitimum elevavit ad rationem Sacramenti.

I. Sed quæstio est, an contractus matrimonialis inter fideles, sive baptizatos, subsistere possit sine Sacramento Matrimonii?

R. Aliqui inter eos, qui sustinent contrahentes esse ministros Sacramenti Matrimonii, ut Sanchez, P. Antoine, &c. negant: sed communiùs affirmatur; quia si quis vellet Matrimonium contrahere et non suscipere Sacramentum, talis validè contraheret; cùm Christus, elevando ad rationem Sacramenti contractum, ejus vim non minuerit, et tamen non erit Sacramentum.

Deinde in sententia quòd Sacerdos sit hujus Sacramenti Minister, valet Matrimonium in ratione contractus, non Sacramenti, si fideles contrahant clandestinè in locis, in quibus eos non ligat lex Tridentini, vel contrahant furtivè coram Parocho invito, nec proferente formam, &c.

An Matrimonium possit claudicare?

II. R. Certum est quòd in ratione contractûs non possit claudicare, sive ab una solùm parte subsistere ; quia Matrimonium est contractus importans inter duos indissolubile vinculum.

Utrùm verò Matrimonium in ratione contractûs validum possit claudicare in ratione Sacramenti, sive ex una tantùm parte esse Sacramentum, v. g. dum fidelis ex dispensatione contrahit cum infideli, vel dum una tantùm pars contrahentium habet intentionem suscipiendi Sacramentum, disputant Authores.

III. Affirmant Daelman, Boudart, Collet, &c. eò quòd supposito valido contractu, possint respectu unius partis adesse omnia essentialia Sacramenti, licèt non adsint respectu alterius, sicut contingit in casibus allegatis.

Negant Pontius, Steyaert, Billuart, et alii ; quia ambo contrahentes hìc se habent per modum unius subjecti ejusdem Sacramenti : non enim Matrimonium in duobis contrahentibus duplex ; sed unicum est Sacramentum ; unde dum una pars non suscipit Sacramentum, neque illud suscipit alia pars defectu subjecti capacis.

Certum interim est, quòd, licèt ambæ partes Sacramentum suscipiant, una tamen sine alia possit percipere effectum gratiæ, si nempe una sola pars sit legitimè disposita.

N. 34. DE RENOVATIONE CONTRACTÛS MATRIMONIALIS IN ORDINE AD SACRAMENTUM.

I. *Secundùm aliquos matrimonium validum in ratione contractûs potest postea fieri Sacramentum.* II. *Probabiliùs postea non fiet Sacramentum.* III. *Conclusio practica.*

AN Matrimonium validum, in ratione contractûs, non Sacramenti, possit postea fieri Sacramentum.

Casus v. g. sunt 1º. quando duo conjuges infideles amplectuntur fidem Catholicam et baptizantur, ac postea renovant consensum et contractum, super quem contractum sic renovatum, Pastor profert verba formæ.

2º. Duo conjuges modo hæretico juncti convertuntur ab hæresi.

3º. Duo conjuges fideles contraxêre clandestinè et validè in loco, ubi lex Tridentini non viget, vel aliter, ita ut Parochus non pronunciaverit formam.

I. R. Sanchez, Sylv. et Neesen, ad quæstionem propositam respondent affirmativè ; quia adsunt omnia essentialia, materia scilicet, actus contrahentium, quibus corpora in-

vicem tradunt, quantum tradere possunt, etiam Sacerdos proferens formam super iteratam corporum traditionem.

II. Steyaert, Daelman, Tourn. Billuart, et P. Pauwels cum communiore sententia respondent negativè: ratio est, quòd hic deficiat materia, quam non constituit vinculum Matrimonii permanens; sed contractus actualis transiens, qui supponitur transiisse et habuisse suum effectum; ita ut nequidem virtualiter perduret in ratione actûs, sed solummodo in effectu, sive in vinculo: sub qua ratione, ut dictum est, non est materia Sacramenti; nec novus contractus matrimonialis jam inter ipsos iniri potest; quia de corpore translato sub alterius inabdicabile dominium disponi nequit: unde consensus iteratus tantum erit præteriti ratificatio.

III. Practicè, utiliter et prudenter aget Parochus, si in præfatis casibus super consensu renovato, ritum sui Pastoralis servando, proferat formam conditionatè; idque præcepit Synodus Ebroicensis anno 1576 quoad hæreticos in hæresi junctos et ad fidem conversos, sedente Episcopo Claudio Sanctesio, qui Concilio Trident. interfuit, ut refert Tourn. fol. 108. conditio potest esse hæc: Intendo conferre Sacramentum, si possim, alias non: quam conditionem in mente subintelligere sufficit. Conclude, quòd dum duo furtivè contraxerunt coram Parocho invito et testibus, et postea per Officialem coguntur jungi, servato Ecclesiæ ritu, Sacerdos assistens formam proferre debeat, subintellectâ conditione.

Nota, generatim formam sub conditione adhibendam esse, quandocumque Matrimonium dubie validum potest quopiam modo evadere certum.

Proinde si alteruter vel uterque conjugum rebaptizetur sub conditione, tunc de novo Matrimonium sub conditione contrahere debent, et forma similiter sub conditione proferri; quia fortè Matrimonium eorum ante fuit invalidum ob impedimentum disparitatis ultûs, et jam fortè validè contrahitur.

N. 35. DE MATRIMONIO INTER ABSENTES PER PROCURATORES.

- I. *Matrimonium inter absentes per procuratores valet in ratione contractûs.* II. *Conditiones requisitæ.* III. *Negant multi valere in ratione Sacramenti.* IV. *Sed probabiliter alii affirmant.* V. *Corollarium practicum.* VI. *Aliud.*

I. **PERMITTITUR** in Ecclesia hujusmodi **Matrimonium** inter Magnates cum consensu et dispensatione Superiorum Ecclesiae; Parochus autem propria auctoritate illud admittere non potest.

Certum est, quòd simile Matrimonium valeat in ratione contractûs; quia nec Christus nec Ecclesia aliquid immutavit circa naturam contractûs matrimonialis: ergo potest etiam sicut alii contractus humani fieri inter absentes.

II. Ut tamen valeat, sequentes conditiones exigit capitulum finale de procuratoribus, in 6. lib. 1. tit. 19.

1°. Ut procurator ad contrahendum habeat **commissionem** specialem.

2°. Ut **commissionem** per se ipsum exequatur, ita ut non possit alium deputare, nisi hoc eidem specialiter sit commissum.

3°. Ut **commissio** non sit revocata, antequàm procurator contraxerit: unde si revocata fuerit, non subsistit matrimonium; etiam si præcesserit juramentum de non revocando, licèt revocatio procuratori non innotuerit; quamvis solummodo mentalis fuisset revocatio, cùm equidem desit consensus; imò, ut docet Collet, tametsi revocatio sit tacita, v. g. principalis dat mandatum ad contrahendum cum altera.

Si mandans, sive principalis, revocet **commissionem**, et antequam contrahatur Matrimonium, iterum ratificet, valebit Matrimonium, ut notant Wiggers et Daelman; quod Sanchez et Billuart extendunt ad casum, quo, ab initio, **commissionem** fictè dedit sine interno consensu; sed antequam contrahatur, eam ratam habet: verùm hoc negat Collet cum aliis, quia procurator tantum agit vi **commissio**nis sibi datæ, quæ defectu consensûs, ab initio nulla et invalida fuit.

Valebit tamen Matrimonium, licèt tempore contractûs, de eo principalis non cogitet, v. g. si tunc dormiat. Si autem præviè lapsus sit in amentiam, quæstio est, an tunc valeat Matrimonium: negat Pontius, tali casu valere; affirmant verò Sanchez et Billuart, sed Collet distinguit: vel amentia est solùm ad tempus, tunc subsistit Matrimonium; quia consensus debitè datus, nec revocatus, adhuc subsistit: vel amentia est perpetua, tunc non videtur subsistere Matrimonium ex defectu consensûs in altera parte, quæ non censetur in Matrimonium cum principali consentire, cujus tam enormiter mutata est conditio.

Ulteriùs, post Tridentinum requiritur, ut procuratores

contrahant coram Parocho et testibus, si locus contractus, vel personæ principales subjiciantur legi Tridentini: non requiritur tamen, ut commissio procuratori detur coram Parocho et testibus; quia solemnitates illas tantum exigit Tridentinum, dum Matrimonium de facto contrahetur.

III. An hujusmodi Matrimonium, inter absentes per procuratores contractum, habeat rationem Sacramenti?

R. Negant Cajetanus, Melchior Canus, Sylvius, Van Roy et alii; probant suam sententiam ex eo, quod alia Sacramenta non possint ab absentibus suscipi, et quia sequeretur, quod quis, v. g. dormiens reciperet gratiam.

IV. Non minus probabiliter affirmant Wiggers, Sanchez, Tournelly, Daelman, Billuart, Collet, &c. quia hinc videntur adesse omnia essentialia; materia nempe, quæ consistit in contractu: adest forma, quæ vel in Parochi verbis, vel in verbis contrahentium sita est; adsunt testes et legitimus Sacerdos cum intentione debita, ac principales Sacramentum suscipere intendunt.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondent, id speciale esse Sacramento Matrimonii, quandoquidem fundatur in contractu, cujus ideo naturam sequitur; contractus autem tam inter absentes quam præsentis fieri potest; neque absurdum videri debet, quod quis dormiens recipiat gratiam, sicut non est absurdum, quod quis in amentia recipiat gratiam Baptismi, quem ante petiit.

V. Propter utriusque sententiæ probabilitatem et incertitudinem videtur sic practicandum, ut Sacerdos, servando ritum sui Pastoralis, formam proferat conditionatè, quando procuratores contrahunt: item conditionate eam proferat, quando principales, ut fieri solet, contractum renovant.

VI. Ob eandem rationem debent principales esse in statu gratiæ, et quando procuratores illud contrahunt; quia tunc forte Sacramentum suscipiunt: et quando postea coram Parocho consensum renovant; quia si Sacramentum prius non susceperint, forte tunc suscipiunt, juxta dicta Num. præcedenti; quia autem certum est, quod procuratores ipsi non suscipiant Sacramentum, non debent illi nomine principalium contrahentes esse in statu gratiæ, ut notant Sanchez et Tournelly similiter, quia ipsi non contrahunt nomine proprio, sed alieno; perinde est, sive sint ejusdem, sive diversi sexus, liberi vel conjugati, &c.

Posset similiter Matrimonium contrahi per litteras inter absentes: sed illud vix contingit; utrum Matrimonium sic contractum foret Sacramentum, eadem est difficultas:

quomodo autem per litteras contrahi possit, vide apud Sylvium Suppl. quæst. 42. art. 1. quæst. 3. conclus. 1.

N. 36. DE CONSENSU MATRIMONIALI.

S. Thom. suppl. quæst. 45. et seq.

I. *Consensus utriusque partis* II. *Ad Matrimonium requisitus.* III. *Debet esse proprius.* IV. *Mutuus.* V. *Internus.* VI. *Externus.* VII. *Liber.* VIII. *Legitimus.* IX. *Absolutus.* X. *Simultaneus.* XI. *Objectum consensûs matrimonialis.*

I. AD Matrimonii valorem omnino necessarius est utriusque partis consensus, quia in Matrimonio mutua corporum potestas transfertur: hoc autem per solum contrahentium consensum fieri potest.

Qualis consensus requiritur ad Matrimonium validè contrahendum?

II. R. Requiritur contrahentium consensus proprius sive personalis, mutuus, internus simul et externus, liber, legitimus, absolutus et simultaneus.

III. Consensus requiritur proprius seu personalis, quia solæ personæ contrahentes habent dominium et dispositionem sui corporis, in ordine ad Matrimonium; hinc est quòd neque parentes, neque respublica, neque Summus Pontifex consensum hunc supplere valeant, quamvis id aliquando possint in aliis contractibus de rebus temporalibus.

An equidem per potentiam Dei induci non potest vinculum Matrimonii sine consensu partium?

R. Contra Pontium affirmativè: quia Deus habet dominium absolutissimum in corpora et animas hominum: an autem Deus usus sit illà potestate in conjugio Adami cum Eva, et Oseæ cum fornicaria, ignoratur; porro licèt per Deum possit induci vinculum Matrimonii sine consensu partium, non erit tamen in casu contractus Matrimonii, qui essentialiter partium consensum requirit, nec consequenter erit Sacramentum, quod in contractu fundatur.

IV. Consensus debet esse mutuus, seu reciprocus contrahentium, ut notat Concilium Florentinum in decreto ad Armenos; ita ut defectus consensûs in alterutro faciat Matrimonium esse nullum; quia contractus, adeoque et Matrimonium, est consensus plurium: et quidem debet utrimque esse traditio et acceptatio, quia est contractus maximè onerosus: hinc dici solet, quòd Matrimonium claudicare non possit, saltem in ratione contractûs.

V. Consensum requiri internum patet ex eo, quòd con-

sensus propriè sit actus voluntatis : taliter autem hic requiritur consensus internus, ut non sufficiant sola verba, aut alia signa seria consensûs, sicut, juxta multos, ea sufficiunt in aliis contractibus ; cujus disparitatis ratio est, quòd de se Matrimonium inducat vinculum indissolubile et perpetuum amoris, quo animi conjunguntur ; ideoque requirat perfectiorem animorum consensum, de quo latiùs in tract. de Contract.

Rectè interim observat Steyaert, non esse statim credendum asserenti, sibi defuisse interiorem consensum, licèt altera pars contenta foret ; quia posset esse collusio ; et certò si ejusmodi assertionibus standum foret, conjuges legitimè in utroque foro juncti, possent pro arbitrio separari, etiam quoad vinculum : unde potest, debetque ordinariè cogi, qui dicit se fictè consensisse, ut defectum consensûs suppleat ; cùm factam comparti injuriam aliter resarcire non possit : vide latiùs Sylvium Suppl. q. 45. art. 4. q. 1. Modi supplendi defectum consensûs explicabuntur postea.

VI. Consensus ille internus debet signo externo manifestari, hoc enim exigit ratio contractûs humani ; ad valorem indifferens est, sive in nutu, scripto, verbo, sive alio quocumque signo externo, interior consensus manifestetur : hinc et muti et surdi Matrimonium contrahere possunt, regulariter tamen consensus per verba est exprimendus, juxta Decretum Concilii Florentini ad Armenos : et juxta Pastorale Mechliniense, Pastor non nisi verba, dum possibilia sunt, admittere potest ; et quidem verba adhibenda sunt, prout in Pastoralibus notantur, quæ pronuntiante Pastore primò dicit sponsus, deinde mox sponsa, transponendo nomina.

VII. Quomodo consensus debeat esse liber, magis explicabitur infra, de impedimento vis : subintelligitur, quòd debeat esse perfectè et directè voluntarius, cum deliberatione non minori, quàm requiritur ad peccatum mortale directè voluntarium : unde semi-dormiens, amens, vel ebrius sufficientem consensum dare nequit.

VIII. Consensus dicitur legitimus, qui præstatur à personis habilibus ad sic contrahendum, sive inter quas non est ullum impedimentum dirimens Matrimonii.

IX. Consensus debet esse absolutus, taliter ut sit consensus de præsentibus pro eo tempore, quo contractus Matrimonii perficitur, vel si sit conditionatus, æquivalet tali

absoluto: hinc dici solet, quòd Matrimonium contrahi debeat per verba de præsenti.

X. Consensus partium debet esse simultaneus, sive dari debet utriusque consensus simul, non tamen physicè, ut constat ex dictis de Matrimonio per procuratorem contracto, quod docuimus valere: sufficit proinde, quòd cùm unius consensus exprimitur, consensus ab alia parte antea præstitus virtualiter adhuc perseveret: censetur autem perseverare, donec explicitè vel implicitè revocetur, quod practicè moraliter est considerandum, spectando v. g. contrahentis intentionem, &c.

XI. Quodnam est objectum consensùs matrimonialis?

R. Objectum immediatum est potestas, sive jus in mutua corpora, in ordine ad copulam; adeoque expressus consensus in copulam carnalem non est necessarius: potest enim subsistere Matrimonium cum intentione nunquam habendi copulam, sed ingrediendi religionem statim post Matrimonium contractum, ante consummationem ejusdem; ut patet ex cap. COMMISSUM, de Spons. lib. 4. Decret. tit. 1.

N. 37. DE CONSENSU CONDITIONATO.

S. Thom. suppl. quæst. 47. art. 5.

I. *Divisiones conditionum.* II. *Conditio de præterito vel præsentis non suspendit valorem matrim.* III. *Neque regulariter conditiones de futuro necessario.* IV. *Valorem suspendit conditio suspensiva de futuro honesto.* V. *Conditio potest aliquando habere sensum de præsentis et de futuro.*

OBSERVAT Sanchez lib. 5. disp. 1. num. 5. Matrimonium propriè non dici conditionatum, sed consensum præstitum ad Matrimonium: quia inquit, quamdiu conditio pendet, Matrimonium non est; verùm modus loquendi ordinarius non est ideo culpandus: tametsi Parochus nullas conditiones in Matrimonio aut Sponsalibus admittere possit, utiliter tamen agitur de consensu conditionato, tum ut noscatur natura contractûs, tum quia ipsi contrahentes in mente fortè quasdam conditiones apponunt, vel etiam exterius, dum contrahunt clandestinè, sive Matrimonium, sive Sponsalia; pleraque autem hìc dicenda de Matrimonio conditionato, applicari poterunt Sponsalibus conditionatis.

Conditiones in ordine ad præsentem Tractatum distingui solent:

I. 1º. In conditiones de præterito, de præsentis et de futuro.

2º. In necessarias, impossibiles et contingentes: nota conditionem hic dici necessariam aut impossibilem, vel ex

natura rei, vel etiam ex suppositione: sic necessaria est hæc: si Anti-Christus sit venturus; ut docet Sanchez lib. 5. disp. 2. num. 7. contra Pontium; impossibilis est hæc dicta pauperi: si mox 1000 florenos dederis.

3°. In conditiones honestas et turpes: conditio turpis hinc dicitur, quæ inducit ad peccatum, v. g. si forniceris, si mecum latrocinia exercere velis, &c. unde inter turpes non reputantur hæ conditiones: si es meretrix, si occidisti Joannem; quia non agitur de peccato committendo, sed commisso.

4°. In conditiones repugnantes substantiæ Matrimonii, et non repugnantes substantiæ Matrimonii; quæ conditio dicatur repugnare substantiæ Matrimonii, dicetur infra.

Quomodo conditio distinguatur à modo, causâ et demonstratione, dictum est Num. 7.

II. Quid facit conditio apposita contractui matrimoniali?

R. Conditio de præterito vel præsentis, v. g. si pater tuus sit mortuus, vel si sis nobilis, &c. non suspendit Matrimonium, nisi quoad ejus certitudinem; sed Matrimonium illicò, vel est validum, si subsistat conditio, vel est invalidum, si non subsistat.

III. Conditionibus de præterito vel præsentis adjungi possunt conditiones de futuro necessario, v. g. si cras sol oriatur, sub qua conditione initum Matrimonium, judicatur in præsentis mox validum; quia cum illa conditio ita censeatur præsens in sua causa et certitudine, ut impossibile sit oppositum esse, reputatur jam impleta: excipit tamen Sanchez, nisi contrahentes crederent conditionem esse contingentem; tunc enim suspenderet valorem Matrimonii usque ad conditionis eventum.

IV. Conditio suspensiva de futuro honesto, v. g. si pater tuus consenserit, suspendit valorem Matrimonii usque ad conditionis eventum; hoc enim est de natura contractûs conditionati, ut tamdiu ejus valor suspendatur; ut habetur lege *SI STIPULATUS*, ff. de verborum obligation. lib. 45. tit. 1.

Positâ autem conditione, sive accedente patris consensu, consensus conditionatus transit in absolutum (modò ille prævie non fuerit revocatus) et eo momento perficitur Matrimonium, etiam sine ulteriori novo consensu, saltem in locis, ubi lex Tridentini de præsentia Parochi et testium non obligat.

Ita communiter contra Pontium et alios; quia contrahentes volunt et intendunt, ut contractus matrimonialis valeat statim ac impletur conditio.

Sed acriùs disputatur, an idem fiat in locis, ubi lex Trid. obligat?

R. Sunt quidam, qui volunt, quòd licèt coram Parocho et testibus conditionatè contraxerint, purificatâ conditione, debeant iterum coram Parocho et testibus consensum renovare; alii docent, nec necessariam innovationem consensûs esse, atque adeo nec Tridentinæ solemnitatis, pro quo Fagnanus adfert duas declarationes S. Congregationis, approbatas á Pio V. et Clement. VIII. in quibus dicitur: "Impleta conditione, Matrimonium esse perfectum, nec opus esse aliâ iteratione contractûs coram Parocho." Alii tandem dicunt, quòd licèt necessaria non sit renovatio consensûs coram Parocho et testibus, dum posita est conditio, debeat tamen eis constare de adimpleta conditione; cùm aliàs non possent testari de Matrimonio propriè dicto et insolubili. Vide quæst. hanc discussam apud Sanchez lib. 5. disp. 8. Daelman, P. Pauwels, &c.

Docet Fagnanus, quòd si pendente conditione de futuro, v. g. ante exploratum consensum paternum, sub cujus conditione initum est Matrimonium, habita fuerit inter eos copula carnalis, censeantur recedere à conditione, sive quòd jus præsumat conjuges, per carnalem copulam, ipso facto exprimere consensum de præsentì. Vide cap. PER TUAS. De conditionibus apposis, et cap. DE ILLIS. eod. tit. Item SUPER EO eod. tit.

V. Observandum, quod conditio aliqua, secundùm verba de futuro, possit aliquando habere sensum conditionis de præsentì; quia omnis propositio est determinatè vera vel falsa in præscientia Dei, et ita potest habere duplicem sensum, v. g. in hac propositione: Capiò te in uxorem, si cras pluat. Potest enim accipi pro consensu absoluto in præsentì, secundùm Dei præscientiam, et potest accipi pro consensu conditionato suspenso ad diem crastinum, et eventum conditionis pluvie.

Independentè etiam à Dei præscientia, aliquando verba grammaticaliter de futuro ex adjunctis habent sensum de præsentì et è contrario: si autem sit dubium, an habeant sensum de præsentì vel futuro, consulenda est intentio contrahentium.

Juxta hanc observationem conciliabis multos Authores, qui videntur contraria sustinere de quibusdam conditionibus Matrimonio adjectis.

N. 33. DE CONDITIONE IMPOSSIBILI ET TURPI.

I. *Conditio impossibilis in matrim, habetur pro non adjecta in foro externo.* II. *Item conditio turpis non repugnans substantiæ Matrimonii.* III. *Aliud est pro foro conscientiae.*

I. Quid efficit conditio impossibilis adjecta contractui matrimoniali?

R. In foro externo nihil facit; sed habetur pro non adjecta, juxta cap. SI CONDITIONES. lib. 4. decret. tit. 5. de condit. apposit. ubi sic habetur: "conditiones appositæ Matrimonio si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi." Proinde statim ab initio judicatur validum Matrimonium contractum hoc modo: "Cipio te in uxorem, si lunam manu tetigeris;" quia præsumitur in contractu matrimoniali, rei utique tam momentosæ, seriò processisse, et conditionem impossibilem joco addidisse; vel quia, ut dicunt Pontius, Steyart et Daelman, supponit præfatus capituli textus, conditionem tantùm apponi ut modalem, ita ut partes velint contractum Matrimonii statim validum esse per consensum absolutum de præsentì.

Si tamen quis consensum suum suspenderit à tali conditione, adeo ut nollet aliàs contrahere, Matrimonium erit nullum in foro conscientiae, defectu consensûs: idem est, si existimaverit conditionem illam esse possibilem, et ab ea consensum suspenderit. II. Similiter juxta præfatum capitulum, conditio turpis (quæ tamen non repugnat substantiæ Matrimonii) habetur pro non adjecta in foro externo, et ita, v. g. si quis contrahat hoc modo: III. "Accipio te in uxorem, si mecum furta exercueris," ab initio reputabitur validum; quia cùm inducat ad peccatum, consetur impossibilis, sicque habetur pro non adjecta.

Nota tamen, quòd si contrahentes efficaciter suspenderit suum consensum ab illa conditione, Matrimonium in foro conscientiae mox non erit validum.

Nota pariter, quòd, ut illa conditio habestur pro non adjecta, debeant contrahentes nosse conditionem esse turpem; si enim honestam crederent, sortiretur naturam conditionum honestarum.

N. 39. DE CONDITIONE REPUGNANTE SUBSTANTIÆ MATRIMONII.

I. *Conditio repugnans substantiæ Matrim. reddit illud nullum.* II. *Quænam dicatur talis conditio?* III. *Conditio repugnans bono prolis.* IV. *Bono fidei.* V. *Bono Sacramenti.* VI. *Conditio repugnans justitiæ an repugnet*

substantiæ matrimonii? VII. *Bona Matrimonii possunt considerari quoad obligationem et quoad executionem.*
VIII. *Intentio agendi contra bonum prolis aut fidei, non semper irritat Matrim.*

I QUID facit conditio repugnans substantiæ Matrimonii adjecta contractui matrimoniali?

I^o. Facit Matrimonium esse nullum et irritum, secundùm capitulum præfatum SI CONDITIONES; idque etiam jure naturæ: quia talis conditio excludit consensum necessarium in aliquid essenziale Matrimonii; sicque consensus importaret duo contradictoria, et implicantiam; sicut v. g. non subsisteret contractus emptionis-venditionis sub conditione, ut non fiat emptoris id quod venditur: perinde autem est, inquit Steyaert, sive conditio repugnans substantiæ Matrimonii sit suspensiva sive modalis.

Quænam conditio dicitur repugnare substantiæ Matrimonii?

II. R. Ea, quæ excludit necessarium consensum; est autem talis, si repugnet alicui ex tribus bonis Matrimonii, quæ sunt, ut infra latiùs, proles, fides, et Sacramentum.

III. Exempla proponit ipse Pontifex citato capitulo, nimirum conditionem contra bonum prolis allegat hanc: "Si generationem prolis evites;" talis etiam est: "Si educationem prolis omittas: Si prolem occidas," &c.

IV. Conditionem bono fidei repugnantem Pontifex assignat hanc: "Si pro quæstu adulterandam te tradas."

V. Conditionem bono Sacramenti repugnantem Pontifex allegat hanc: "Donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem;" talis habetur etiam conditio, si v. g. icatur: "Contraho tecum pro uno anno."

Cùm secundùm errores Lutheri et Calvinii, Matrimonium dissolvi possit quoad vinculum per adulterium alterutrius conjugum; petitur quid si v. g. Calvinista ineat Matrimonium cum filia, sub conditione solvendi Matrimonium quoad vinculum, "Si uxor labatur in adulterium:" an ista conditio repugnet substantiæ Matrimonii?

R. Licèt aliqui putent, conditionem istam non repugnare substantiæ Matrimonii; probabilius tamen est, ut docent Fagnanus, Collet et Pauwels, eam taliter repugnare, adeoque vitiare Matrimonium, quia, ut ait Fagnanus, in effectu perinde est, ac si esset dictum; "Contraho tecum ad tempus incertum, donec non commiseris adulterium:" atque ita adversatur bono Sacramenti, quod ex sua natura est perpetuum et indissolubile.

VI. Existimat Daelman, quòd conditio repugnans justitiæ, etiam repugnet substantiæ Matrimonii, et contractui matrimoniali adjecta, eundem irritet, eò quòd justitia non assistat contractui contra seipsam, ne sibi repugnet: hinc Matrimonium sub conditione: "Si patrem occidas, &c." secundùm ipsum est invalidum. Sed id rejiciunt alii: quia illa ratio non habet locum in contractibus onerosis, ubi est alius titulus distinctus à conditione, scilicet æqualitas rei ad rem.

VII. Notari potest, quòd bona Matrimonii dupliciter considerari queant, scilicet in actu primo, seu quoad jus et obligationem non impediendi generationem ac educationem prolis, non adulterandi et servandi perpetuam societatem, &c.

Etiam considerari possunt in actu secundo, sive quoad executionem dictæ obligationis; nimirum, quoad observantiam thori conjugalis per redditionem debiti, &c.

Bona Matrimonii sumpta in actu primo sunt ipsa substantia Matrimonii spectati tanquam vinculi et indivulsæ ejus proprietates, spectati ut contractus; eadem autem bona, considerata in actu secundo, non sunt substantia nec proprietates Matrimonii, si bonum Sacramenti excipias.

Obj. Adulterari, negligere educationem prolis, &c. consistunt cum Matrimonio valido: ergo conditio adulterandi, &c. non repugnat substantiæ Matrimonii?

R. Neg. consequentiam: quamvis actus adulterii, neglectus educationis prolis stet cum Matrimonio; obligatio tamen non adulterandi, prolem, si quæ nata sit, educandi, est de substantia Matrimonii: obligantur enim conjuges ex vi Matrimonii ad vitam individuum, ad reddendum sibi mutuò debitum, ad alteri non miscendum, prolemque non impediendam et habitam educandam: ergo obligatio, quam similes conditiones important, Matrimonio, quoad substantiam, repugnat.

An conditio de præsentis potest repugnare substantiæ Matrimonii?

R. Affirmativè: ejusmodi est hæc: "Cipio te in uxorem, eâ conditione, ut non accipias potestatem in corpus meum."

VIII. An validè contrahat Matrimonium, qui internè intendit postea adulterari, aut impedire prolis generationem?

R. Regulariter affirmativè: modo ista intentio in pactum non sit deducta; quia potest quis validè velle se obligare ad aliquid faciendum, vel omittendum, licet non habeat voluntatem id adimplendi: patet in eo, qui, habens intentionem castitatem violandi, potest validè profiteri solem-

niter: excipiunt, si tempore contractûs non intendat se obligare ad non adulterandum, ad non impediendam prolis generationem.

Obj. Ergo poterit etiam v. g. Calvinista validè contrahere Matrimonium cum intentione in pactum non deductâ, seriâ tamen et efficaci solvendi Matrimonium quoad vinculum, si uxor adulteretur.

R. Neg. consequentiam; quia indissolubilitas, seu bonum Sacramenti in actu secundo consideratum est Matrimonio intrinsecum et ab eo prorsùs inseparabile; sed bonum prolis et fidei, quoad executionem, realiter distinguitur à Matrimonio. Vide mox dicta et S. Thom. sup. q. 49. à. 3. in Corp.

Qualis est hæc conditio "Si te effeceris sterilem?"

R. Quando adjicitur adimplenda post contractum Matrimonium, repugnat bono prolis adeoque reddit Matrimonium nullum: quando adjicitur adimplenda ante Matrimonium non censetur repugnare substantiæ Matrimonii.

Hæc conditio: "Si es sterilis," non repugnat substantiæ Matrimonii; quia non significatur ulla actio Matrimonio contraria.

N. 40. DE CONDITIONE CASTITATIS SERVANDÆ.

I. *Conditio castitatis servandæ juxta aliquos irritat Matrim.*

II. *Juxta alios non irritat.* III. *Corollaria practica.*

CONSENTIUNT Authores, Matrimonium cum proposita aut voto simplici castitatis contractum, esse validum; quale contraxit Diva Virgo M. cum S. Josepho.

Quæstio agitur, utrùm conditio castitatis servandæ deducta in pactum Matrimoniale repugnet substantiæ Matrimonii, idque invalidet?

I. R. Estius, Sylvius, Sanchez, Steyaert, et Canonistæ passim affirmant, eò quòd conditio illa videatur excludere translationem domini sui potestatis in mutua corpora in ordine ad copulam, quæ potestas necessariò debet esse objectum consensûs matrimonialis, ut est dictum. Num. 36.

II. Wiggers, Pontius, Van Roy, Daelman, Billuart et P. Pauwels negant, quod et videtur probabilius; quia conditio illa excludit solum usum copulæ matrimonialis, non ipsam potestatem seu dominium radicale; potest autem dominium sine usu subsistere, ut constat v. g. in pueris, qui rerum suarum verum habent dominium, non tamen usum.

2º. Si duo vovissent ante Matrimonium perpetuam cas-

titatem, et singulo alterius votum esset notum, ac ipsi firmiter proponerent servare idem votum, post contractum Matrimonium, ipsorum Matrimonium esset indubiè validum; ergo etiam valet Matrimonium in casu thesis; quia in utroque casu transfertur dominium corporum impedito usu.

Obj. I. Hæc conditio: "Si generationem prolis evites" juxta capitulum finale "de conditionibus apposis," repugnat substantiæ Matrimonii; atqui conditio servandi castitatem illi æquivalet: ergo, &c.

R. Negando minorem; quia conditio, "Si generationem prolis evites," supponit copulam carnalem exerceri, adeoque generationem prolis positivè evitari; quod directè substantiæ Matrimonii opponitur; conditio verò castitatis non supponit copulam exerceri, sed eam evitat et excludit, et sic tantùm negativè evitat generationem prolis, quod non est contra substantiam Matrimonii, cùm nulla sit obligatio habendi copulam; sed conjugibus licitum sit, ex mutuo consensu ab ea abstinere.

Obj. II. S. Thom. supp. q. 48. a. 1. ad. 3. dicit: "Illa conditio, *dum tamen non cognoscas me*, non solùm actui, sed etiam potestati contrariatur copulæ carnalis, et ideo est contraria Matrimonio."

R. 1°. Dicunt aliqui, quòd S. Thom. agat de casu, in quo conditio illa adjicitur, non consentiente alterâ parte; sive non ex mutuo consensu, quod tamen præsens quæstio supponit.

2°. Supposito, quòd S. Thom. agat de casu, quo conditio adjicitur ex mutuo consensu; respondetur, propositionem hanc, "Si me non cognoscas," posse habere duplicem sensum; unum quo excluditur potestas ad copulam, alterum, quo traditur quidem potestas sed denegatur usus, seu interdicitur actus: priori sensu accepta, repugnat substantiæ Matrimonii, et sic eam sumit S. Th. videturque sensus ille connaturalior: posteriori autem sensu accepta, ei non repugnat.

III. Secundum hanc posteriorem sententiam, commixtio carnalis alterutrius cum tertia persona, est adulterium: si autem carnaliter copulentur inter se, peccant contra obligationem castitatis servandæ; sed fornicationem non committerent; quia accederent ad compartem propriam.

Deinde, ob probabilitatem hujus sententiæ, non posset, qui ita contraxit, vivente comparte, ad aliud Matrimonium transire.

**N. 41. DE CONDITIOE EDUCANDI PROLEM
IN INFIDELITATE VEL IN HÆRESI.**

I. Matrimonium sub conditione educandi prolem in positiva infidelitate videtur invalidum. II. Sed validum est conditione educandi prolem in hæresi. III. Ista stipulatio est irrita, IV. Ac semper et ubique illicita.

I. QUANDOQUIDEM bonum prolis exigit, non tantum ut ejus generatio non impediatur, et ut nata alimentetur; sed etiam ut rectè educetur, idque in Religione Christiana; non facilè dubitandum, inquit Steyaert. *de Matrim.* §. 4. quin conditio educandi prolem in positiva infidelitate, v. g. in cultu idololatriæ, repugnet bono prolis, adeoque irritet Matrimonium. Daelm. tamen videtur sustinere contrarium.

An autem conditio educandi prolem in hæresi, v. g. ut filii sequantur patrem hæreticum in sua secta, et filiæ matrem Catholicam, repugnet substantiæ Matrimonii.

R. Observat Daelman, quòd si pars Catholica, sub tali conditione iniens Matrimonium, directè intenderet educationem prolis in hæresi, invalidum foret Matrimonium: unde supponitur, inquit, quòd dumtaxat se obliget, quòd talem educationem non sit impeditura.

Schmier, tom. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sustinet Matrimonium sub tali conditione contractum, tanquam bono prolis repugnans, esse invalidum: fatetur tamen, se non habere authorem sibi consentientem.

II. Reiffenstuel, alter Canonista Germanus, in lib. 4. Decret. tit. 1. cum communi sententia docet, tale Matrimonium per istam conditionem non irritari, adeoque esse validum, nisi aliud obsit: colligitur ex cap. **DECREVIT**, de Hæreticis in 6. lib. 5. tit. 2.

Deinde, ait citatus Author, talia Matrimonia esse valida, patet ex praxi universali et consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam declaravit ea esse invalida, ubi tamen tum in Hollandia, tum in Germania sic iniri solent.

Ratio disparitatis inter hunc casum et præcedentem, de educanda prole in infidelitate positiva, datur, quòd hæresis sub Religione Christiana generaliter dicta aliquo modo comprehendatur.

III. Irrita interim est hujusmodi stipulatio, cum repugnet obligationi parentum; et licèt aliqui conentur tale pactum excusare, dum compars Catholica tantum se obligat ad permittendam talem educationem ex causa vi-

tandi majoris mali in communitate, ubi Catholici et hæretici permixti vivunt: attamen dicendum cum Pontio, Braunman et Reiffenstuel, simile Matrimonium, cum expresso aut tacito pacto, vel sub conditione, IV. "ut, vel omnes vel aliquæ proles, v. g. masculæ educentur in secta patris hæretici," sempe et ubique esse illicitum, iniquissimum et graviter peccaminosum contra naturalem parentum obligationem, ac contra jus divinum et ecclesiasticum: etenim quivis parentum tenetur ex pietate curare, ut proles in vera fide educetur, mediaque ad salutem necessaria acquirat: ergo non potest pacto se obligare, quo permetteret educationem proles in secta damnabili.

Nec contra faciunt usus et consuetudo palam in pluribus locis existentes: nam pactum hoc est contra jus divinum, contra quod consuetudo etiam immemorialis nihil operatur.

De Matrimoniis inter Catholicos et hæreticos, etiam independentur ab illa conditione, plura dicemus, ubi de impedimento disparitatis cultûs.

Plura circa Matrimonia inter Catholicos et hæreticos tradit Pontius in append. ad tract. suum de Sacram. Matrim.

N. 42. DE INTENTIONE ET FINIBUS CONTRAHENDI MATRIMONIUM.

I. *Triplex finis Matrimonium contrahendi.* II. *Procreatio prolis,* III. *Mutuum auxilium,* IV. *Evitatio incontinentiæ.* V. *Alia possunt intendi tanquam secundaria.*

I. OB quos fines licet inire Matrimonium?

R. Catech. Rom. part. 2. de Matrim. n. 15. allegat tres fines seu causas, quas intendere licet in amplectendo statu matrimoniali. II. Primus et principalis finis, est procreatio proles educandæ ad honorem et cultum Dei; qui finis significatur Gen. 1. v. 28. Crescite et multiplicamini.

III. Secundus est adjutorium et solatium mutuum ad levius ferenda hujus vitæ incommoda, cui accommodari potest illud Gen. 2. v. 18. Faciamus ei adjutorium simile sibi.

IV. Tertius est evitatio incontinentiæ: hic finis accessit post lapsum Adami, quando Matrimonium cessit in remedium concupiscentiæ: unde non tam est finis, quàm effectus quidam ipsius Matrimonii, licet esse posset finis contrahentium: hinc dicitur 1. ad Cor. 7. v. 9. Quod si non se continent, nubant.

"Hæ sunt causæ (ait Catechism. Rom. loco citato)
"quarum aliquam proponere quisque debet, qui piè et re-

“ligiosè ut Sanctorum filios decet, nuptias vult contra-
“here:” proinde tripliciter potest esse recta intentio
ineundi Matrimonium.

V. An peccet, qui in ducendo uxorem spectat ejus nobilitatem, divitias, pulchritudinem, &c.

R. cum Catch. Rom. loco citato: Si has condiciones secundariò tantùm aspiciat, tanquam conducentes ad fines primarios, non peccat: sic Gen. 29. v. 17. Jacob illectus pulchritudine Rachelis eam prætulit Liæ, neque in Scriptura propterea reprehenditur.

Imò, consultò attenditur ad paritatem conditionis, similitudinem morum, &c. quia Matrimonia inter dispares, infaustum sortiuntur sæpe exitum.

Generatim dici potest cum Sylvio, quòd prout finis qui à contrahentibus intenditur præter finem, qui est Matrimonii, per se fuerit vel honestus, aut parùm vel multùm inhonestus, sic vel nullo modo, aut venialiter vel mortaliter peccaturi sint contrahendo.

N. 43. DE BONIS MATRIMONII.

S. Thom. suppl. quæst. 49,

I. *Bona Matrimonii sunt tria.* II. *Prolis,* III. *Fidei,*
IV. *Et Sacramenti.* V. *Cohonestant Matrimonium.*

QUID sunt bona Matrimonii?

R. Sunt quædam Matrimonii proprietates.

I. Quot sunt bona Matrimonii?

R. Sunt tria: proles videlicet, fides, et Sacramentum: ad hæc tria reducuntur reliqua.

II. Quid est bonum prolis?

R. Legitima prolis generatio, et ejusdem in veri Dei cultu educatio.

III. Quid est bonum fidei?

R. Est fidelitas seu obligatio reddendi debitum conjugii, et alteri non commiscendi: unde per fidem hîc non intelligitur ea, quæ est Virtus Theologica, sed pars justitiæ, seu fidelitas.

IV. Quid intelligitur per bonum Sacramenti?

R. Intelligitur indissolubilitas Matrimonii, inquantùm Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quamvis enim vinculum Matrimonii ex se sit indissolubile, ex dicta significatione tamen majorem habet firmitatem; cumque significatio illa perfectiùs habeatur in Matrimoniis fidelium, accedit eis quædam firmitas et indissolubilitas præ Matrimoniis infidelium, ut infra vide-

bitur. Collige, quòd Sacramentum hìc non sumatur propriè pro signo pratico gratiæ; nam etiam in Matrimonio non baptisatorum illud, cum cæteris Matrimonii bonis, aliquo modo invenitur.

Quare illa vocantur bona Matrimonii?

V. Quia cohonestant Matrimonium: nam quamvis Matrimonium sit simpliciter bonum, præ se tamen fert quamdam speciem mali ob carnis libidinem, temporalium sollicitudinem et perpetuam servitutem, quæ compensantur per bona Matrimonii; primum per bonum prolis, secundum per bonum fidei, et tertium per bonum Sacramenti.

N. 44. DE BONO PROLIS.

I. *Bonum prolis exigit plura.* II. *Peccant contra bonum prolis, conceptionem impediendo.* III. *Procurando abortum.* IV. *Negligendo instructionem in moribus Christianis, &c.*

I. AD bonum prolis, ut ex dictis colligitur, spectat ejus procreatio, educatio et religiosa institutio; unde juxta S. Augustinum. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 7. ponitur triplex circa prolem obligatio, scilicet, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: ex quibus facile colligitur, quandonam conjuges in bonum prolis impingant.

II. Licèt bonum prolis non exigit, ut conjuges copulam carnalem exercent, prout ex ante dictis constat, sed ex mutuo consensu, v. g. á copula ástinere possint; si tamen eam exercent, exigit bonum prolis, ut conceptionem non impediunt, nec proli conceptæ aut natæ noceant. Hinc variis modis peccari, potest contra bonum prolis, scilicet 1º. peccant viri, qui committunt peccatum Her et Onan, quos, quia rem hanc detestabilem fecerunt, interfecit Dominus. Genes. 38.

2º. Peccant uxores, quæ potionibus fœtûs conceptionem impediunt, aut susceptum viri semen ejiciunt, vel ejicere conantur.

III. 3º. Contra bonum prolis gravissimè delinquant, qui abortum fœtûs etiam inanimati procurant, de quo plura in tract. de Hom. et Casibus reserv. Item contra id delinquant, qui in causa sunt, quòd proles edatur membris mutilata, aut aliter corpore vel spiritu deformis. Hinc monendæ sunt gravidæ, ut ab immoderato labore, saltatione, irâ, tristitiâ, &c. abstineant, quæ fœtui plura mala causare possunt.

4º. Ubi proles nata est, contra ejus bonum gravissimè

peccant, qui negligentia suâ in causa sunt, quòd sinè Baptismo ex hac vita decedat.

Deinde contra bonum prolis graviter delinquent, qui natæ prolis educationem negligunt; v. g. eandem exponendo. Delinquent pariter matres, quæ prolem sine causa negligunt proprio lacte nutrire, sed committunt nutricibus dissolutis et vitiis deditis, cum nocumento prolis quoad corpus et animam.

IV. Dum proles adolescit, à parentibus in bonum prolis impingitur, si eam negligent instruere in pietate et moribus Christianis: unde sæpius contingit, quòd à teneris assuescat vitiis, et semper in eis perseveret: ubi è contrario perseverasset in pietate et moribus Christianis, si à teneris eis fuisset assuetus; juxta illud Prov. 22. v. 6. Adlescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eà. Plura circa hæc traduntur ad quartum Decalogi præceptum.

N. 45. DE BONI FIDEI.

I. *Bonum fidei continet duas obligationes.* II. *Peccatur contra bonum fidei adulterio, &c.* III. *Pollutione et aliis peccatis contra naturam.* IV. *Denegatione debiti conjugalis.* V. *Agere contra bonum fidei est contra justitiam.* VI. *In omni peccato carnali exprimenda circumstantia conjugii.* VII. *Nec excusat consensus compartis.*

I. BONUM fidei, seu fidelitas, ut constat ex dictis, duas continet obligationes: 1^o. Reddere debitum conjugale comparti legitimè petenti. 2^o. non commisceri alteri, aut quocumque modo, extra rectum Matrimonii usum, indulgere libidini.

Hinc dicit Apostolus, 1. ad Cor. 7. v. 3. “Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.” Et v. 4. “Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier.”

II. Quomodo peccatur contra bonum fidei?

R. Adulterio, item concupiscentiâ personæ distinctæ à comparte; prout etiam quâvis libidine in adulterium tendente, ut oscula et morosæ delectationes; cùm fidem comparti datam lædant.

III. Deinde contra Matrimonii fidem peccatur pollutione, et à fortiori gravioribus contra naturam peccatis; corpus enim proprium inquinando, re alienâ turpiter utitur.

IV. Pariter peccatur contra bonum fidei per denegationem debiti conjugalis: quandonam autem excusari possit à gravi, vel ab omni peccato, docetur numero sequenti.

V. Patet, quòd agendo contra bonum fidei, peccatur contra justitiam; idque verum est quovis ex tribus modis jam dictis contra illud agatur; quia violatur semper fides conjugalis, exigens ut conjugum alter alteri corpus suum castè conservet.

VI. Conclude, quòd in omni peccato carnali circumstantia conjugii sit exprimenda in confessione.

An adulterium conjugis, consentiente comparte, sit contra justitiam?

VII. R. Affirmativè; quia nec licitè nec validè consentire potest aut juri suo cedere: pro quo vide num. 288. Suppl. Theolog. Neesen.

An aliquando interrogandi sunt conjugati in confessione, circa negationem debiti?

R. Affirmativè: præsertim mulieres, quæ ex ignorantia, vel præ pudore peccatum istud quandoque reticent; verùm non ex abrupto, sed prudenter est interrogatio instituenda, v. g. an cum marito rixatæ sint, quæ hujusmodi rixarum causa; num propter talem occasionem maritis debitum negârint; quòd si se deliquisse fateantur, castè interrogari debent, inquit Braunman, an nil secutum fuerit continentiae conjugali contrarium, v. g. pollutio, &c.

N. 46. DE DEBITO CONJUGALI.

S. Thom. suppl. quest. 64.

I. *Obligatio reddendi debitum est ex justitia.* II. *Est gravis.* III. *Debitum non semper petitur ex rigore Juris.* IV. *Occasio examinandi pœnitentem circa negationem.* V. *Speciale peccatum est se facere impotentem ad redditionem debiti.* VI. *Peccat qui sine causa se diu absentat à comparte.* VII. *Est obligatio reddendi debitum sive petatur expressè sive tacitè.*

I. CONJUGEM teneri ex justitia comparti, legitimè petenti, reddere debitum conjugale, constat ex jam dictis; maximè ex textu Apostoli numero præcedenti citato.

Quanta est obligatio illa reddendi debitum?

II. Est gravis, ita ut sine causa negans debitum legitimè petenti, peccet mortaliter; quia in contractu matrimoniali facta est mutua traditio et acceptatio corporum ad usum conjugalem, ex quo oritur obligatio justitiæ tradendi usum corporis ad hunc finem petenti; quæ obligatio, ex omnium sententia, est in materia gravi.

III. Sæpius tamen conjux non exigit illud debitum ex toto rigore juris sui, dilationem facilè concedens, vel con-

sensum liberum compartes tantummodò sollicitans; quod colligitur ex eo, quòd non instanter petat, et negationi facilè acquiescat, vir signanter; nam uxor sæpe ex verecundia urgere non audet.

IV. Hinc uxor se accusans in confessione, quòd negaverit debitum, interrogetur, an maritus ex pleno rigore juris sui id petiverit; idque colligetur ex eo, quòd petiverit instanter, quòd graviter fuerit offensus, quòd aversiones vel alia mala sint secuta, de quibus etiam se accusare debet, quia fuit eorum causa: contra si confiteatur rixas vel aversiones adversus maritum, interrogari potest: an debitum negaverit: ut dictum est numero præcedenti.

V. Colligitur ex dictis, quòd conjux mediis illicitis se impotentem reddens ad debitum conjugale reddendum, lethaliter peccet, quia lex justitiæ obligans ad redditionem debiti, etiam stringit, ne quis mediis illicitis reddat se impotentem. Hinc vir, qui, sive crebris pollutionibus, sive accessu ad alias feminas, reddit se impotentem ad persolvendum debitum, ultra peccatum pollutionis aut adulterii, committit specialem culpam contra legem justitiæ, et in confessione exprimendam. Pariter mortaliter peccare potest conjux, qui indiscretis, sive laboribus, sive macerationibus, vigiliis, &c. reddit se notabiliter impotentem.

VI. Item colligitur, conjugem non posse diu abesse comparte invitâ, nisi fortè id absolutè exigant necessitates familiæ aut aliæ justæ causæ, vel nisi, dum contraxit Matrimonium, præmonita fuerit, aut sciverit compars de futuris absentibus conjugis, aut si contraxerit cum negotiatore, milite, nauta, &c. tunc enim consensisse censetur.

Nota, quòd in jure petendi debitum, et in obligatione illud reddendi, conjuges sint æquales, ut significat Apostolus loco numero præcedenti citato, et docet S. Thom. *supp.* q. 64. quamvis non sic in cæteris, in quibus vir est caput mulieris, cui propterea illa subjici debet.

VII. Observa, quòd petitio debiti fieri possit expressè et tacitè, sive implicitè: quomodocumque autem legitimè petatur, sive verbis, sive factis, nihil refert; est obligatio reddendi.

Hinc licèt bonum fidei per se non obliget ad petitionem debiti, cùm conjux non teneatur petere usum rei suæ; per accidens tamen obligare potest, putà si judicet ex signis vel dispositione compartem desiderare, et ex verecundia (quod frequentius est in mulieribus quàm in viris)

non audere expressè petere, quia tunc est tacita petitio. Deinde etsi nequidem tacite petat, si tamen compars videatur in periculo incontinentiæ versari; tunc est potiùs redditio, quàm petitio. Similiter potest esse obligatio petendi, si hoc necessarium sit ad fovendum mutuum amorem, odia vitanda, &c.

Nota, quòd usus copulæ carnalis inter conjuges honesto termino, ex Apostolo desumpto, vocetur debitum conjugale.

N. 47. DE CAUSIS, EX QUIBUS LICET NEGARE DEBITUM CONJUGALE.

I. *Sunt varii casus, in quibus non est obligatio reddendi debitum.* II. *Amissio juris.* III. *Petitio non humana.* IV. *Petitio immoderata.* V. *Periculum morbi, mortis, &c.* VI. *Nocumentum prolis nascituræ.* VII. *Petitio actûs indebito modo.*

I. TAMETSI bonum fidei de se exigat, ut conjugi reddatur debitum conjugale, possunt tamen dari casus, in quibus cessat obligatio illa, sive in quibus habetur justa causa non reddendi.

Assigna præcipuos casus, in quibus petenti licet negare debitum, seu usum conjugalem?

R. 1°. Licet negare debitum in casu legitimi divortii à thoro, ut latiùs explicabitur infra.

2°. Tempore primi bimestris, post contractum Matrimonium ad deliberandum de ingredienda religione, de quo latiùs infra. Si autem Matrimonium semel consummatum fuerit, non licet amplius ex hac causa negare debitum; quod etiam verum videtur cum Pontio, licèt copula sit violenter extorta; quia Matrimonium jam est consummatum; neque videtur posse conjux negare debitum, si non adsit animus de ingressu religionis deliberandi.

3°. Si compars cesserit, seu renunciaverit juri petendi debitum, v. g. si voverit castitatem; sed de eo plura in sequentibus.

II. 4°. Si compars amiserit jus petendi debitum, ut si adulterium commiserit. Quòd si ignoretur adulterium ab altera comparte, non ideo videtur excidere jure petendi debitum, ut antea dictum est. Jus petendi etiam amittit, qui cum conjugate contraxit per culpam suam cognitionem spiritualem; tunc enim compars innocens non tenetur reddere debitum, licèt pars nocens ei reddere debeat. Si verò cognatio illa superveniat Matrimonio ex culpa utriusque, neutra pars videtur posse petere aut reddere: si

absque culpa utriusque acciderit, neutra pars impeditur à petitione vel redditione. Pariter jure petendi excidit, qui ob incestum formalem cum consanguineo conjugis intra secundum gradum, contraxit affinitatem cum com- parte; licèt conjux innocens jus suum semper retineat. Unde mulier violenter oppressa à consanguineo mariti sui, non impeditur petere debitum, cùm nullam commiserit culpam; nec excidit jure maritus, qui carnaliter cognoscit feminam, quam ignorat esse uxoris suæ consanguineam; quia “capitulum primum DE EO QUI COGNOVIT, lib. 4. decret. tit. 13.” expressè requirit scientiam. An autem conjux consentiens concubitu incestuoso suæ compartis intra secundum gradum amittat etiam jus petendi debitum, non conveniunt: affirmant multi; sed negant alii, eò quòd illa pœna non sit formaliter in jure expressa.

III. 5°. Non est obligatio reddendi debitum si petatur modo non humano, aut rationali, v. g. ab amente, vel ebrio usque ad privationem usûs rationis: si tamen timeantur in com- parte pollutiones, accessus ad tertiam personam, &c., nisi reddatur debitum, reddendum est. Advertendum tamen hìc est, quòd in amente muliere possit insuper redditioni obstare nocumentum prolis. Si ebrietas non sit usque ad privationem usûs rationis non est ratio negandi debitum.

IV. 6°. Licet negare debitum, si conjux frequentiùs, sive immoderatè petat: hoc enim rationi dissentaneum est: limitant plures Authores, nisi petenti grave incontinentiæ periculum immineret.

V. 7°. Licitè etiam negatur si ex redditione timeatur notabile periculum mortis, morbi, &c. Rationem dat S. Th. q. 64. a. 1. ad 2. “quòd neutra pars habeat postesta- tem in corpus alterius, nisi salvâ consistentiâ personæ ipsius.” Hinc deducunt Authores, quòd cesset obligatio reddendi debitum in uxore, quæ parere nequit, nisi cum extraordinario mortis periculo: ordinarii dolores, et partûs pericula non excusant; quia cadunt sub generali pœna mulieris, Gen. 3. v. 16. “In dolore paries filios.” Imò extraordinarium periculum ex charitate quandoque post- poni posset salutis animæ conjugis, qui ex denegatione grave pateretur incontinentiæ periculum.

VI. 8°. A redditione debiti excusat nocumentum prolis nascituræ, v. g. si ex copula oriatur periculum abortûs, quod majus esse solet circa tempus conceptionis, eò quòd fœtus tunc sit mollior et debilior; item si timeatur pericu-

lum oppressionis vel suffocationis prolis, quod quandoque subesse potest, appropinquante magis tempore partûs: horum ratio est, quòd fieret injuria proli, quoad corpus et animam: proinde in illis casibus illicitum est et petere et reddere debitum.

An mulier, quæ hactenus edidit proles mortuas, obligetur reddere debitum marito?

R. Conveniunt omnes, quòd si infelices illi partus mulieri sint voluntarii in aliqua causa, tunc à redditione debiti non excusetur; sed amovere teneatur causas illas, v. g. inordinatas passiones.

Similiter Braunman cum aliis docet, quòd si mulier partus habuerit felices, et unum alterumve infelicem, non possit ex illo capite negare debitum; quia incommodum accidentale est, quod in alio partu fortè cessabit.

Quòd si hactenus non ediderit prolem vivam, docet Collet cum quibusdam quòd nihilominus debeat marito, graviter instanti, obsequi; cum nunnunquam contingat, ut quæ pluries abortum fecerat, tandem pariat feliciter: sed Sylvius negat cum pluribus: quia, inquit, mulier vitæ periculum subit ex morte fœtus in ventre.

Tempore fluxûs menstrui exercere copulam, videtur cum communiori sententia tantum peccatum veniale ex parte petentis, et, ait Sylvius, ex parte reddentis aliquando nullum: est peccatum ex parte petentis, tum ob actûs illius turpitudinem et indecentiam; tum quòd secundum multos, ex tali copula vel non soleat nasci proles, vel soleat esse defectuosa. Tempore veteris legis prohibita fuit, Levit. 20. v. 18. "Copula cum menstruata sub pœna mortis;" sed eatenus erat lex judicialis jam cessans.

Tempore puerperii habere copulam, videtur pariter per se tantum continere inordinationem venialem. Multitudo prolis, vel paupertas non est ratio sufficiens, ut negetur debitum: communiter tamen tradunt Authores, quòd possint conjuges de mutuo consensu ex illa causa ab usu conjugali abstinere. Notent hîc Confessarii, quòd conjugati, ne proles nimium multiplicentur, aliquando committant detestabilem turpitudinem, in similitudinem Her et Onan, circa quod peccatum subinde examinandi sunt, uti etiam, utrùm ex illa causa alio modo conceptionem non impediverint, vel fœtum conceptum non extinxerint procuratione abortûs, vel prolem natam non exposuerint, aut aliter neglexerint: examinandi etiam quandoque sunt, utrùm ex dicta causa debitum non negaverint.

VII. 9^o. Non oportet reddere debitum, si petatur actus exerceri in debito modo vel loco, et generatim quando cumque actus redditionis efficeretur malus; de quo numero sequenti.

Dies festus non præbet rationem negandi debitum, ut docet S. Thom. suppl. quæst. 64. art. 7. sed tunc petens debitum peccat, ut ibidem docet art. 5. "quia actus ille "hominem reddit ineptum ad spiritualia:" sed quia non totaliter, ideo tantum peccat venialiter, ut tradit S. Th. a. 6.

Similiter Communio sumpta vel sumenda non præbet rationem negandi debitum. An et qualiter actus conjugalis præcedens arceat à Communionem sumenda, vel Communio sumpta ab actu conjugali futuro, latè dicitur Tract. de Sacram. Eucharistiæ N. 37.

Non licet negare debitum epileptico vel leproso, præcisè ne proles iisdem morbis inficiatur, quia, ut dicit S. Thom. suppl. q. 64. art. 1. ad 4. "Melius est prolem sic esse, "quàm penitus non esse."

N. 48. DE PETITIONE DEBITI PECCAMINOSA.

I. *Resolutio Sylvii rejicitur.* II. *Regula generalis pro petitione debiti.*

AN debitum negare licet, quando conjux petendo peccat?

I. R. Sylvius resolvit generaliter reddendum scilicet esse debitum, quando petens peccat solùm venialiter: verùm resolutio illa generalis non videtur subsistere; quia si illud veniale se teneat ex parte ipsius actûs, reddens etiam peccaret, cùm positivè concurreret ad istum actum malum; nemo autem obligatur ad peccandum, licèt venialiter tantum.

II. Sanchez lib 9. disp. 6. allegat quatuor regulas, alii duas, Pontius verò lib. 1^o. cap. 3. hanc bimembrem assignat: "Quotiescumque petens debitum peccat in petitione, "sive in ratione circumstantiæ se tenentis ex parte actûs, "sive ex parte personæ petentis, si non est in potestate "petentis se liberare ab ea circumstantia, quæ reddit illicitam petitionem, prout tunc exercitant, est peccatum "in reddendo; at cùm petitio mala est ex circumstantia, "à qua ipse petens se potest, ipsâ petitione perseverante, "liberare: non est peccatum reddere."

Hinc neque petere neque reddere licet modo indebito, signanter, si modus afferat periculum perdicionis seminis, quia peccatur in circumstantia se tenente ex parte actûs. Sed si non subsit perdicionis periculum, ex immutatione sitûs, poterunt licitè sic congrredi, si mutatio illa ex necessitate fiat, v. g. ne fœtus suffocetur.

Similiter nec petere nec reddere licet debitum in loco sacro, saltem extra casum necessitatis : utrum verò actus conjugalis in loco sacro liceat in necessitate, putà si conjuges tempore belli diu in loco morentur, et in alterutro periculum sit incontinentiæ, controvertitur ; licèt sententia negans videatur probabilior.

Neque petere aut reddere licet in loco publico ; in quo non rarò delinquant parentes ; præcipuè inferioris sortis, actum illum exercentes videntibus vel audientibus prolibus aut domesticis, magno illorum scandalo.

Admittendum interim videtur, quòd culpa venialis ratione alicujus indecentiæ ipsius actûs, vel alicujus ejusdem circumstantiæ, nonnunquam abstergatur ex parte reddentis per necessitatem gravioris mali vitandi, v. g. in casu menstrui vel diei festi. Ex altera parte regulæ infertur, quòd si malitia actûs sive mortalis, sive venialis se teneat ex parte solius petentis, quam et ipse remove potest ab eadem petitione, licitè reddatur debitum.

Unde si petatur debitum animo fornicario, tunc licèt allaborandum sit, (si spes sit laborem profuturum) ut compartem à peccato avertat, putà in casu, ut à petitione desistat, vel petat recto fine : si pergat male petere, reddendum est debitum, quia justa est in se petitio illius actûs, quem hìc et nunc bene exercere potest, et ita reddens debitum, habebit se permissivè ad peccatum petentis.

N. 49. DE VOTO IN ORDINE AD ACTUM CONJUGALEM.

S. Thom. Suppl. quæst. 53. a. 1. et q. 64. art. 4.

1. *Habens votum castitatis non potest petere debitum.* II. *Reddere tenetur,* III. *Nisi aliunde cesset obligatio reddendi.* IV. *Ad quid obliget votum castitatis emissum ab uno conjugum non consentiente altero.* V. *Votum castitatis tempore conjugii est ordinariè illicitum.* VI. *De voto simplici emisso ante Matrimonium.*

I. QUID facit votum simplex castitatis sen continentiæ circa petitionem et redditionem debiti ?

R. 1°. Habens tale votum non potest petere debitum, aliquin peccaturus mortaliter contra votum, toties quoties petit ; idque, sive votum sit emissum ante, sive post contractum Matrimonium ; conforme hoc est cap. PLACET, de conjugatorum conversione.

II. 2°. Tenetur reddere debitum petenti justè et legitimè : ratio est, quòd obligatio justitiæ reddendi debitum,

præponderet obligationi voti: quia per validum Matrimonium conjugum datum est jus in re, cum ejus traditione: votum autem illud simplex est tantum mera promissio, quæ cedere debet.

III. Dictum est legitimè petenti: excipi enim debent casus N. 47. expositi, in quibus cessat obligatio reddendi debitum, adeoque tunc conjux habens votum castitatis reddet illicitè: quia justitia tunc non obligat ad reddendum: ergo votum debet observari, cum servari possit absque ullius injuria.

Sed an v. g. si maritus ligatus voto continentiae, exigat ab uxore debitum, possit uxor quandoque reddere?

R. Aliquando, inquit Collet, quando scilicet, ex negatione gravius malum impendit, quam quod avertere conatur, v. g. uxoricidium; quia quandoque potest præberi materia mali, dum alias gravius imminet malum.

Quidam in praxi suadent ut compars quæ non vovit, petat, dum suspicatur petendum debitum ab impedito per votum; sic enim utrique licita erit copula: si autem vovens prævenierit, alter dicat petenti: volo ergo ut tu mihi reddas.

Conveniunt, quod conjuges, qui ex mutuo consensu voverunt continentiam, non possint petere aut reddere debitum, cum nequeant, sine peccato mortali, tale votum violare, aut ejus per alterutrum violationi cooperari. Idem videtur dicendum, licet non ex mutuo consensu voverint, dum utriusque votum mutuo innotescit: quia uterque censetur renuntiasse juri suo.

Similiter si post Matrimonium contractum, unus conjugum ex consensu alterius, voverit continentiam, neuter potest petere aut reddere debitum, quia alter consentiendo in votum, consentit in ejusdem observationem; adeoque renuntiaverit juri suo, nisi fortè tantum consenserit, ad tempus aliquod, vel nisi consensum suum ita restrinxerit, ut voluerit retinere jus petendi debitum: quapropter intentio conjugis consentientis voto compartis bene est examinanda.

IV. An valeat votum castitatis, quod facit unus conjugum, insciã vel non consentiente comparte, et ad quid obliget?

R. Certum est, quod non valeat pro ea parte, quã importaret obligationem non reddendi debitum legitimè petenti; quia eatenus est contra jus alterius et de re illicita.

Steyaert existimat, quod non valeat votum illud, sive perpetuum, sive ad tempus, etiam inquantum importat obligationem non petendi debitum; quia eatenus est in præjudicium compartis, inquantum Matrimonium sic redditur ei onerosius.

Estius et Neesen putant votum pro ea parte quidem esse validum; sed propter dictam rationem á comparte posse irritari.

Rectiùs videtur dicendum cum Sanchez, Wiggers, Van Roi et Collet, votum, inquantùm importat obligationem non petendi debitum, esse validum et obligatorium, et quidem taliter, ut comparti non sit jus illud irritandi; cùm quilibet juri suo renuntiare possit, nec Matrimonium imponat ulli parti obligationem debitum petendi: videtur hæc responsio decisa “ cap. QUIDAM, et cap. PLACET, de conversione conjug. lib. 3. decret. tit. 31.” Ad quid obliget illud votum, deducitur ex dictis N. 13.

Interim notari potest, quòd dum diximus Num. 13. eum qui, post votum continentiae emissum, contrahit Matrimonium, non posse primo bimestri petere aut reddere debitum, locuti fuerimus secundùm sententiam nobis probabiliorem apparentem, non tamen est certa; nam Sanchez probabiliter docet, eum sine peccato posse mox à contracto Matrimonio reddere debitum; S. Thomas verò Supp. q. 53. a. 1. ad 3. docet, illum non posse sine peccato mortali illud consummare, etiam ad petitionem alterius conjugis, nisi priùs tentet ea media, quibus possit votum suum observare.

Nota, quod, licet votum ab utroque vel alterutro conjugum emissum servandi castitatem, sit validum, ordinariè tamen sit illicitum, præsertim si sint juniores; quia decrescit amor conjugalis, remittitur animorum nexus, acriùsque pungit carnis stimulus: unde Confessarius tale votum nec suadere, nec permittere debet.

V. Ideo in similibus votis post consummatum Matrimonium solet recurri ad Episcopum proprium pro dispensatione ad licitè petendum debitum. Pro quo nota, quòd si unus conjugum votum castitatis emittat, altero non consentiente, tunc certò Episcopus possit dispensare, quia Pontifici reservatur votum castitatis perpetuæ perfectum et absolutum; hoc autem non est tale, quia conjux vovens non potest Deo promittere, comparte non consentiente, quòd non sit redditurus debitum: si ambo conjuges de mutuo consensu voverint continentiam, vel unus de consensu alterius absoluto, non videtur Episcopus posse dispensare, ut petant debitum, nisi in casu necessitatis, sive dum est periculum incontinentiæ; ita Sanchez, Collet, &c.

VI. Quod si unus contraxerit Matrimonium cum aliqua, quæ habebat votum simplex castitatis; an possit petere debitum?

R. Distinguendo: si cognoverit illud votum alterius,

non potest petere aut reddere debitum; quia censetur consensisse in observationem voti: si verò ignoraverit votum, potest per se petere debitum: an autem, si petat vovens, teneatur reddere, non ita constat, secundum dicta Num. 13. tenetur pars, quæ vovit, reddere post primum bimestre: secundum Sanchez, tenetur petenti mox reddere; non ita secundum sanctum Thomam, juxta mox dicta: conveniunt tamen omnes, quòd consummato semel Matrimonio, teneatur vovens reddere petenti comparti, nisi ipsa jus petendi amiserit.

Nota, quòd post contractum Matrimonium petitionem vel redditionem debiti non impediat votum non nubendi vel suscipiendi Ordines Sacros, neque post Matrimonii consummationem eas impedit votum ingrediendi religionem, ita ut in illis casibus non sit opus dispensatione, quantum scilicet concernit usum conjugalem: observandum tamen, quòd in istis votis ex intentione vovens, sæpius comprehendatur votum castitatis.

Confessarius etiam monere debet eos, qui voverunt castitatem, quòd ejusmodi vota reviviscant post mortem conjugis ad plenam obligationem, adeoque ad secundas nuptias transire non possint.

N. 50. DE DUBIO CIRCA VALOREM MATRIMONII.

I. *Consciis nullitatis Matrimonii, non potest petere aut reddere debitum.* II. *Dubius de valore Matrimonii non potest petere debitum.* III. *Exceptio.* IV. *Reddere tenetur.* V. *Exceptiones.* VI. *Si utraque pars dubitet.* VII. *Dubium comparti non imprudenter indicandum.*

I. **CONSTAT**, quòd ille qui certò cognoscit Matrimonium suum esse nullum, non possit petere aut reddere debitum, quamvis per censuras, carcerem vel pœnam mortis cogeretur; quia certam et formalem committeret fornicationem. Ita Innocentius III. cap. **INQUISITIONE**, L. 5. decret. tit. 39.

Quid dubius de valore Matrimonii sui agere potest et debet, quoad petitionem vel redditionem debiti conjugalis?

R. Si dubium ortum ducat ex levi et temeraria credulitate, tanquam scrupulus deponi debet, et potest talis, deposito dubio, reddere et petere debitum. Ita Innoc. III. loco citato: "Cavendum est peccatum contra conscientiam."

II. 2º. Si dubium sit probabile, et discretum, non potest taliter dubitans petere debitum; quia se exponeret

periculo fornicationis sine necessitate, cùm non sit obligatio petendi, ita cit. cap. INQUISITIONI.

Hinc probabilissimum sapit, quod dicunt Sylvius, Neesen, Pontas, et alii quidam, nimirùm quòd qui post diligens et sufficiens examen, rei veritatem assequi non potest, dubium possit abjicere ut frivolum, et liceat ei petere debitum.

III. Casus tamen, sed unicus datur, quo dubitans de valore Matrimonii potest petere debitum quando scilicet valor Matrimonii est dubius propter impotentiam perpetuam; nam tunc attentatio copulæ est unicum medium ad tollendum dubium: unde in casu ab Ecclesia conceditur triennium ad probandum, juxta cap. LAUDABILEM, de frigidis et maleficiatis.

IV. 3º. Dubius de valore Matrimonii debet ordinariè reddere debitum, Ita cap. cit. INQUISITIONI: fundatur hæc responsio in eo, quòd è duobus malis minus sit eligendum, cùm utrumque vitari non potest; minus autem malum est reddere, quàm non reddere debitum conjugum; quia in redditione est tantùm periculum fornicationis, sed in negatione est præsens periculum injustitiæ contra jus compartis, quod majus esse censetur; deinde ex negatione illa incommoda sæpe timentur.

V. Supponitur, quòd non adsint justæ aliæ causæ debitum negandi, item quòd redditionem debiti honestè subterfugere non possit, quibus casibus, cùm cessaret periculum injustitiæ erga compartem, debitum negare deberet ad vitandum fornicationis periculum.

Hinc docet Collet t. 1. de Dispens. lib. 2. p. 2. cap. 3. quòd si Matrimonium nondum sit consummatum, debeat ob dubium denegari debitum primo bimestri, quia tunc ex concessione Ecclesiæ denegari potest sinè culpa: sed hoc negat Bonæspei cum aliis.

Deinde si argumenta seu rationes, quibus suadetur Matrimonium esse invalidum, multùm excederent argumenta pro ejusdem valore stantia, tunc periculum valdè verosimile fornicationis, quod esset in redditione, posset prævalere periculo remotiori injustitiæ, quod esset in negatione: proinde tunc non liceret reddere debitum, ut ita è duobus malis, sive periculis minus eligatur. Hinc generatim reddi non potest, dum ex redditione graviora mala vel pericula timentur, quàm ex negatione. Unde dum dicit Lucius III. cap. DOMINUS, de secundis nuptiis, dubitantem de morte prioris conjugis teneri debitum reddere, videtur intelligendus de casu, in quo ex circumstantiis minus periculum mali est in redditione quàm in negatione; putè

si argumenta pro morte prioris conjugis multum excedant argumenta pro vita ejusdem, vel si ex negatione timeantur ex parte petentis graviora mala, v. g. blasphemiae, pollutiones, commixtiones cum tertia persona, &c. quo casu juxta Daelman, Billuart et Preinguez petenti debitum reddere licet, non obstante dubio de morte prioris conjugis: si autem circumstantiae jam dictae desint, non potest conjux dubitans de morte prioris conjugis reddere debitum, eò quòd in redditione sit duplex periculum fornicationis scilicet et injustitiae contra partem absentem; in negatione autem sit periculum solum injustitiae contra partem praesentem.

VI. An etiam oportet reddere debitum parti dubitanti, si petat v. g. dum utraque pars dubitat de valore Matrimonii, vel dum dubitans petit à non dubitante, sed conscientia dubii alterius?

R. Steyaert et Preinguez existimant, debitum esse reddendum, quia dubitans dubitando non perdit jus probabile; adeoque in negatione non cessaret periculum injustitiae; haec resolutio omnino retinenda est; si ex negatione debiti ulterius gravia timeantur mala, ut blasphemiae, pollutiones, &c. et praecipue dum conjux reddens debitum, non dubitat de valore Matrimonii; sed Sylvius, Neesen, Billuart et Collet dicunt, quòd si mala illa timeantur, non possit reddi debitum; quia se exponerent periculo fornicationis, et pars dubitans jus non habet, perseverante dubio, exigendi debitum: aliud foret, si dubium deposuisset; quia dubium prudenter depositum, est quasi non fuisset. Interim docent prioris sententiae patroni, quòd cum dubitans petendo peccet graviter, officium compartis sit, juxta dicta N. 48. petentem inducere, si possit, ut à petitione debiti desistat.

VII. Monet Braunman, ut pars dubitans suum dubium et dubitandi rationem non imprudenter comparti manifestet, idque ob gravium malorum sequelam, quae ex ista manifestatione timentur; sed prudentis Confessarii judicium exquirat, qui rem ex circumstantiis resolvat.

N. 51. DE LICEITATE ACTUS CONJUGALIS ET EJUS FINIBUS.

I. *Actus conjugalis licitus.* II. *Ob duos fines actus conjugalis licite exerceri potest.* III. *Debitus finis non debet formaliter intendi.* IV. *Actus destitutus debito fine est malus.* V. *Relatus ad malum finem est malus,*

ut est finis. VI. *Finis extraneus in se bonus non potest secundario intendi.*

AN actus conjugalis licitus ?

I. R. Fide certum est, quòd sit licitus, ut contra antiquiores hæreticos latè probat Bellarminus ; imò meritorius, si cætera adsint ad meritum requisita.

Probatum actum conjugalem esse licitum ; quia Matrimonium est à Deo institutum, ad conservandum genus humanum per prolis generationem, ergo non tantùm Matrimonium, sed ejus usus est etiam à Deo : hinc præcipit Apostolus I. ad Cor. 7. “ Ut uxori vir debitum reddat, &c.”

Obj. I. Ad Rom. 8. v. 8. dicitur : “ Qui in carne sunt, Deo placere non possunt ; ergo, &c.”

R. Sensus est : quòd ii, qui in carne et secundùm carnis desideria vivunt, Deo placere non possunt.

Obj. II. Sequitur suadendum esse conjugatis, ut crebrò actum conjugalem exercent ?

R. Negando sequelam : licèt enim sint actus boni, tamen non sunt optimi, neque per se meliores abstinentiâ ab actibus, sed è contrario sæpe melior est abstinentia, sicut de se bonum est comedere, melius tamen aliquando à comestione abstinere.

Quinam sunt fines, ob quos licitè exercetur actus conjugalis ?

II. R. Sunt hi duo ; scilicet, generatio prolis et redditio debiti. Prior finis spectat ad bonum prolis, et etiam spectare potest ad actum imperatum religionis, quatenùs cum generatione prolis unà intenditur educatio ad cultum Dei ; posterior pertinet ad bonum fidei, adeoque ad virtutem justitiæ.

Unde non nisi ex duplici illo fine actus conjugalis cohonestatur, et licitus redditur : et quidem petitio debiti ex unico fine, nimirum generationis prolis, licitè fit ; redditio autem ex utroque fine excusatur.

III. Ut actus excusetur, non requiritur expressa et formalis intentio generationis prolis, aut redditionis debiti : sed sufficit virtualis et implicita, qualis habetur in illo, qui vult copulari conjugati suo, prout leges Matrimonii permittunt, licèt actu de prole aut debito non cogitet.

IV. Si autem actus debito fine destituatur, fit malus ; sed inordinatio illa de se non est plus quàm venialis, dummodo hæreatur etiam in intentione intra limites legitimi Matrimonii : unde qui habendo copulam, desiderat non generari prolem, juxta Sanchez, Sylvium, Daelman et alios contra Neesen, non peccat plus quàm venialiter, nisi simul

intenderet adhibere media, quibus generatio prolis impediatur.

Similiter qui petenti debitum quidem reddit, sed neque debitum ut tale, neque prolem intendens, non peccat mortaliter, modo intentio hæreat in conjugem: si enim, inquit S. Thomas, suppl. q. 49. a. 6. in Corp. "Aliquis in conjugem non attendat, quòd conjux est, sed solum quòd mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux, est peccatum mortale."

V. Si actus conjugalis non tantum destituatur debito fine, sed ad malum etiam referatur, erit graviter vel leviter inordinatus, prout finis est mortaliter vel venialiter malus.

Si actus conjugalis destitutus debito fine referatur ad finem bonum extraneum, et impertinentem, manet malus; unde juxta S. Thom. suppl. q. 49. a. 5. ad 4. venialiter peccat, qui actum conjugalem unicè exercet ad tuendam vel reparandam sanitatem corporis.

VI. Si autem fines quidam extranei in se boni non intenduntur principaliter, sed tantum secundario, tanquam conducentes ad fines debitos, qui principaliter intenduntur, nulla in eo est culpa, prout N. 42. diximus circa finem ipsius Matrimonii: hinc non videtur peccare, qui in actu conjugali primario intendit generationem prolis, et secundario sanitatem corporis in ordine ad meliorem prolis nascituræ educationem.

N. 52. DE ACTU CONJUGALI EXERCITO PROPTER VOLUPTATEM.

- I. *Copula ob solam voluptatem est illicita.* II. *Tantum venialiter nisi delectatio excedat limites Matrimonii.* III. *Non potest partialiter delectatio intendi ut finis.* IV. *Juxta aliquos nequidem licet delectationi consentire.* V. *Juxta alios licet.* VI. *Conciliatio sententiarum.*

AN copula carnalis inter conjuges licitè habeatur propter solam voluptatem?

I. R. Negativè: ratio est, quòd invertatur ordo constitutus à Deo, et rectè ratione; nam delectatio ordinatur ad opus, non contra: igitur quando opus ordinatur ad delectationem, invertitur ordo ille: hinc ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: "Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpâ, ac delectu veniali."

Quantum est peccatum exercere actum conjugalem ob solam voluptatem?

II. R. cum S. Aug. et S. Thom. suppl. q. 49. a. 6. in

Corp. esse solummodo ex natura sua veniale; quia hæretur, ut supponitur, intra limites legitimi Matrimonii; potest tamen esse mortale ratione finis, vel aliarum circumstantiarum; putà si v. g. vir ita voluptate captus sit, ut accedens ad uxorem, paratus sit ad eam accedere, licèt uxor non foret, vel si tempore actûs conjugalis affectum et delectationem habeat erga aliam, cujus etiam qualitates tunc erunt in confessione exprimendæ, putâ quod sit conjugata, consanguinea, &c. idque præcipuè est cavendum in bigamis, ne dum copulatur conjugii secundæ, affectum ponat in priori.

III. An liceat actum conjugalem exercere, partim ob debitum finem, putà generationem prolis, et partim ob delectationem?

R. Negativè: quia tunc finis equidem partialiter est inordinatus, cum ex parte obediatur libidini, sicque partialiter invertitur ordo à Deo et natura constitutus.

An saltem in actu relato ad debitum finem, scilicet prolis generationem, vel debiti redditionem, liceat delectationem admittere, eique consentire, sic tamen, ut tanquam finis nullatenùs intendatur?

IV. Negat Sylvius, eò quòd illa delectatio in natura corrupta, in se sit turpis ac rationem obscurans: unde vult tantùm conjugibus licitum esse delectationem illam permittere ei non consentiendo, nec in ea sibi complacendo: hæc sententia, inquit Billuart, est probabilis, sed difficillimæ praxis.

V. Affirmant Soto, Sanchez et alii, ita ut juxta illos nullum sit peccatum consentire delectationi propter actum, sive cum delectatione placente exercere actum propter debitum finem; quia natura actui illi delectationem adjunxit propter necessitatem conservandæ speciei, qui alioquin negligeretur signanter à femina, cui multa adfert incommoda, sicut sumptioni cibi et potûs annexa est delectatio propter conservationem individui: unde secundùm hos Authores omni culpâ vacat, nisi nimius voluptatis excessus procuretur.

VI. Dictas sententias conciliare nititur Billuart, dicendo non esse peccatum, in actu matrimoniali moderatè consentire delectationi præcisè, ut est delectatio, sive complacencia appetitus sensitivi, qualem delectationem etiam habuisset actus conjugalis in statu innocentiae, ut docet S. Thomas p. 1. q. 98. a. 2. ad 3. sed esse peccatum consentire ejus excessui et inordinationi, quæ in ea reperitur post peccatum originale; ex eo, quòd rationem non sequatur, sed eam obnubilet, quomodo sortitur nomen libidinis.

N. 53. DE ACTU CONJUGALI AD VITANDAM
INCONTINENTIAM.

I. *Actus conjugalis exercitus ad vitandum propriam incontinentiam venialiter malus.* II. *Petitio debiti venialiter mala, dum uxor est senex aut sterilis.* III. *Nec ideo necessario peccant contrahendo.* IV. *Modus practicè in his procedendi.*

I. AN licitum est petere debitum conjugale ex solo fine vitandi propriam incontinentiam, non concurrente fine generationis prolis, vel redditionis debiti?

R. Pontius cum multis affirmat, sed meliùs cum SS. Augustino et Thoma videtur negandum; dicit enim S. Augustinus lib de bono conjugali cap. 7. “Reddere debitum conjugale nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem culpa venialis.” Et S. Thomas supp. q. 9. a. 45. in Corp. “Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causâ procreandæ prolis et debiti reddendi; aliàs autem semper est ibi peccatum ad minus veniale.” Ad secundum autem eodem articulo dicit: “Si aliquis per actum Matrimonii... intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas, et secundùm hoc est veniale peccatum, nec ad hoc est Matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.”

Videtur idem esse casus Apost. 1. ad Cor. 7. v. 5. “Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.” et v. 6. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, quocirca dicit S. Augustinus. Ench. c. 78. “Quis esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus, Apostolica autoritas fateatur.”

Ratio cur talis peccet, est, quòd ille obsequatur libidini, licèt intra limites Matrimonii, et cum petat debitum, idque non causâ prolis, desunt ea bona, quibus actus matrimonialis cohonestatur; peccatum autem est dumtaxat veniale; quia affectus per rationem ita ordinatur, ut non excedat limites Matrimonii.

Obj. I. Licet inire Matrimonium ad vitandam propriam incontinentiam: ergo licet uti actu matrimoniali ad eundem finem.

R. Negando consequentiam; disparitas est, quòd actus conjugalis de se turpitudinem adjunctam habeat, et ideo debeat honestari per bona Matrimonii, scilicet prolis vel fidei. Sed status matrimonialis nihil pudendi habet, et ideo non debet aliunde cohonestari: adeoque ex illo fine, qui in se honestus est, licitè quis Matrimonium contrahit,

cum ponat se in statu, in quo sine peccato incontinentiam vitare poterit, per copulam nempe exercitam ob debitos fines: alioquin, si Matrimonium contrahens intenderet vitare incontinentiam per copulam non referendam ad debitos fines, à peccato non excusaretur.

Obj. II. Matrimonium post peccatum est in remedium concupiscentiæ, secundum illud Apost. 1. Cor. 7. v. 2. "Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat:" ergo, &c.

R. Matrimonium propriè neque institutum, neque ordinatum est in remedium concupiscentiæ, sed tantum in ejus remedium cessit; inquantum concupiscentia per copulam licitam, sive ob debitum finem exercitam sedatur, et ita ad fornicariam non stimulat: non cessit autem in concupiscentiæ remedium per copulam unicè exercitam ad vitandam incontinentiam: nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus, ut dicit S. Thom. supra cit.

Obj. III. Licet petere debitum ad vitandam incontinentiam in comparte: ergo etiam ad eam evitandam in se.

Negando consequentiam: disparitas est 1^o., quòd petitio ad vitandam incontinentiam in comparte habeat rationem redditionis; quia compars tunc censetur petere, ut docet S. Th. suppl. q. 49. a. 5. ad. 3.

2^o. Disparitas est, quòd unusquisque possit suo periculo occurrere per alia media, ut per voluntatem propriam gratiâ Dei adjutam resistendo, orando, jejunando, &c.; conjugis autem incontinentiæ periculo (cui ex fide matrimoniali obviare tenetur) sic occurrere non potest, cum in sua potestate non habeat alterius voluntatem, sicut suam. Quia autem similia remedia quis pro se semper in promptu habet, non est, ut rectè notat Sylvius, admittenda sententia Sanchez et quorundam aliorum dicentium, licitum esse debitum petere, ad vitandam propriam incontinentiam, si aliis mediis eam vitare nequeat; quia resolutio illa falso nititur supposito: semper enim potest illa media adhibere; quemadmodum adhibere posset et deberet in casu absentiae, vel infirmitatis compartis.

II. Colligitur ex dictis, petitionem debiti esse venialiter malam, si uxor sit senex, aut sterilis, idque sive vir, sive uxor petat; quia non potest intendi prolis generatio: licitè tamen reddi potest, quia redditio excusatur ob bonum fidei.

III. Quâ ratione senes, aut steriles, contrahentes Matrimonium, excusari possint, constat ex dictis num. 42. si scilicet tantum intendant individuam vitæ societa-

tem, aut mutuum solamen : si intendant Matrimonio uti petendo debitum, peccant venialiter : secùs si reddendo tantùm : nec Pastor tales conjungendo peccat ; sed ipsi ex sua culpa, ob intentionem nempe debitum petendi : neque eos Parochus monere debet de non petendo debitum, cùm sciat id ab eis vix aut ne vix esse servandum : vel si servent, eos expositos esse periculo graviorum peccatorum.

Similiter colligitur, quòd ob eandem rationem sit venialiter mala debiti petitio, dum uxor est gravida : quod aliqui tamen restringunt ad casum, quo non est spes superfœtationis, sive ulteriùs concipiendi novum fœtum ; quam spem dicunt esse aliquo tempore post conceptionem : utrùm tamen revera superfœtatio sit possibilis, inter ipsos medicos acriter disputatur, et eam saltem rarò contingere, experientiâ constat.

IV. Observa cum Steyeart, hanc sententiam et corollaria inde deducta, in concionibus, aut alibi imprudenter non esse proclamanda : tum quòd sententia nostra non sit certa, sed tantùm probabilis ; tum quòd fortè ille, qui Apostolo prudentior esse volet, conjuges sit conjecturus in gravia peccata : unde generaliter interdici non debet petitio debiti, licèt uxor sit sterilis, senex aut gravida, sed sæpius cum S. Paulo permitti, ne tentet eos Satanas.

N. 54. DE PECCATIS CARNALIBUS CONJUGUM INTER SE.

I. *Circumstantiæ præcipuè observandæ circa actum conjugalem.* II. *Modus.* III. *Finis.* IV. *Præcautio damni.* V. *Solutio debiti.* VI. *Completio actûs.* VII. *Locus.* VIII. *Tempus.* IX. *Tactus obscæni.* X. *Quid de tactibus proprii corporis.* XI. *Monitum pro Concionatoribus.* XII. *Monitum pro Confessariis.*

I. CERTUM est, conjuges inter se peccare posse, etiam graviter contra virtutem castitatis, sive continentiæ, ratione quarundam circumstantiarum ; in particulari autem definire, quæ sint mortales, quæ solùm veniales, perobscurum est, nec eadem omnium sententia ; ut vel ideo sollicitè persuadendum sit conjugatis, ut recordentur se esse filios Sanctorum, quos docet in sanctitate conjugali filios procreare. Quidam Authores circumstantias circa actum conjugalem præcipuè observandas, exprimunt his versibus :

“ Sit modus et finis, sine damno, solve, cohære,
“ Sit locus et tempus, tactus, nec spernito votum.”

II. 1°. Ergo debet servari modus, sive situs, qui dupliciter invertitur: 1°. ut non servetur debitum vas, sed copula habeatur in vase præpostero, vel quocumque alio non naturali; quod semper mortale est, spectans ad sodomiam minorem, seu imperfectam, idque tenendum contra quosdam laxistas, sive copula ibi consummetur, sive tantùm inchoetur consummanda in vase naturali.

2. Modus sive situs invertitur, sic tamen, ut servetur debitum vas ad copulam à natura ordinatum, v. g. si fiat accedendo præposterè, à latere, stando, sedendo, vel si vir sit succubus. Modus is mortalis est, si inde suboriatur periculum pollutionis respectu alterutrius, sive quando periculum est, ne semen perdat, prout sæpe accidit, dum actus exercetur stando, sedendo aut viro succumbente: si absit et sufficienter præcaveatur istud periculum, ex communi sententia id non est mortale: est autem veniale ex gravioribus, cùm sit inversio ordinis naturæ; estque generatim modus ille sine causa taliter coëundi graviter à Confessariis reprehendendus: si tamen ob justam rationem situm naturalem conjuges immutent, secludaturque dictum periculum, nullum erit peccatum, ut dictum est numero 48.

Minuitur periculum perdendi semen, si verum sit, quod dicunt Sanchez, Billuart et Preinguez, scilicet quòd in matrice sit naturalis vis attractiva seminis, ut in stomacho respectu cibi.

Nota, quòd in præfatis modis non tantùm peccetur contra castitatem, sed etiam contra justitiam, juxta dicta Num. 45. ita ut actus illi induant quamdam malitiam adulterii, præter peccatum mutui scandali.

III. 2°. Debet "finis" esse legitimus, de quo et quomodo ratione finis peccari possit, dictum est Num. 51. et sequentibus.

IV. 3°. Per particulam "sine damno" importatur cavendum esse damnum tum prolis conceptæ et concipiendæ, tum ipsorum congregientium, de quibus egimus Num. 47.

V. 4°. Verbum "solve" importat obligationem solvendi sive reddendi debitum legitimè petitum, de qua obligatione diximus Num. 46. et sequentibus.

VI. 5°. Per verbum cohære, intelligitur cohærentia usque ad perfectam copulam, seu seminationem perfectam, ita ut per se mortale sit, inchoatam copulam abrumpere, propter periculum pollutionis in utraque vel alterutra parte: Sanchez, Pontius, Billuart et alii dicunt quidem, id tantùm esse veniale, si cessante omni periculo

pollutionis in utroque conjuge, fiat ex mutuo consensu, antequam saltem femina seminaverit; sed ipsi fatentur, periculum illud ordinariè subesse.

VII. 6°. Locus debet esse actui conjugali proportionatus, adeoque non publicus, seu talis, in quo ab aliis videatur, et sic potest esse mortalis ratione scandali, prout etiam ratione sacrilegii, si sit locus sacer: vide Num. 48.

VIII. 7. Quomodo ratione temporis in actu conjugali peccari possit: vide Num. 47.

IX. 8°. Quoad tactus libidinosos, quos conjugati exercent erga corpus alterutrius, ii sunt mortaliter mali, si fiant cum pollutione alterius, vel ejus periculo.

Si absit periculum pollutionis, et ordinentur ad copulam, tunc vel ad eam necessarii sunt, et sic non sunt peccaminosi, vel non sunt ad eam necessarii et erunt venialiter mali, quia solius causâ voluptatis haberi supponuntur.

Si tactus illi, secluso pollutionis periculo, non referantur ad copulam, non ita conveniunt Authores; docent plerique, quòd si sint adeo infames, ut nequidem ex copulæ intuitu excusentur à gravi peccato, eos esse mortaliter malos: si verò sint tactus ordinarii, nec diu in eis sistatur, docent plurimi contra quosdam esse tantùm venialiter malos; quia voluptas illa non quæritur extra limites Matrimonii, sed in actu, si naturâ suâ ad copulam conjugalem ordinatur.

X. Tactus libidinosus proprii corporis in uno conjuge similiter est mortalis, si fiat cum periculo pollutionis.

Si absit periculum pollutionis, et fiat comparte absente, ex communi sententia, inquit Billuart, est etiam mortalis; quia actus ille tunc ex natura sua non ordinatur ad copulam, sed ad pollutionem; idemque propter eandem rationem sustinent varii de delectatione venerea circa copulam, comparte absente: de quo latius in tractatu de peccatis.

Si verò fiat comparte præsentem, potest fieri sine peccato, dum fit ex intentione copulæ; si absit intentio copulæ, dicunt aliqui eum tactum esse mortalem; sed distinguit Billuart, scilicet, dicendo eum non esse mortalem, si conjux saltem habeat animum copulandi, casu quo excitetur; mortalem verò, si nullo modo habeat animum copulandi, licèt excitetur, quia tunc tactus ille potiùs ordinatur ad pollutionem, quàm ad actum conjugalem.

Quæ de tactibus libidinosi dicta sunt, applicari possunt libidinosi osculis, amplexibus, aspectibus, colloquiis, &c. videri etiam possunt, quæ docentur tract. de Temperantia.

An uxor possit se tactibus excitare ad seminationem, si à copula conjugali se retraxerit maritus, postquam ipse seminavit, sed antequam seminaverit uxor?

R. Plurimi negant; eò quòd, cùm vir se retraxit, actus sit completus, adeoque illa seminatio mulieris foret peccatum pollutionis: alii verò affirmant; quia ista excitatio spectat ad actus conjugalis complementum et perfectionem: excipiunt tamen casum, ubi periculum est, ne semen ad extra profundatur.

Hanc posteriorem sententiam ad exorbitantes opiniones laxiorum refert Henricus à S. Ignatio.

Quomodo actui conjugali obstet votum, diximus N. 49.

XI. Observandum, quòd non deceat hæc lubrica in concionibus, aut alibi publicè proponere descendendo ad particulares casus: licet tamen et convenit aliquando generaliter et sine explicatione dicere etiam publicè, quòd conjugati possint in usu Matrimonii peccare, et quidem mortaliter; quod S. Franciscus Salesius declarat hac similitudine: sicut potest quis in propria domo ex proprio vino se inebriare.

XII. Confessarius potest etiam conjugatos interrogare sub his terminis: “Confidis quòd utaris Matrimonio honesto modo, non plus faciendo quàm necessarium est ad generandam prolem? Non habes specialia dubia, quæ te angunt?” Si autem pœnitens det occasionem ulterius iaterrogandi, inquiret Confessarius, an sibi vel comparti causaverit periculum pollutionis, vel perditionis seminis.

N. 55. DE BONO SACRAMENTI SIVE MATRIMONII INDISSOLUBILITATE.

I. *Matrimonium est indissolubile jure divino,* II. *Et naturali.* III. *Casus in quibus dissolvitur Matrimon.* IV. *Peccata contra bonum Sacramenti.*

I. QUO jure Matrimonium est indissolubile?

R. Jure divino positivo et naturali: quòd sit indissolubile jure divino et positivo, colligimus cum Tridentino sess. 24. de Matrim. cap. unico: ex verbis Adami instinctu divino pronuntiat, Gen. 2. v. 24. “Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ.” Ac ex verbis Christi, Matth. 19. v. 6. “Quod Deus conjunxit, homo non separet.”

II. Quòd sit indissolubile jure naturæ, probatur ex eo, quòd eam indissolubilitatem exigat bonum prolis, quæ non tantùm debet generari, sed etiam educari, honestè institui, et ad certum vitæ statum perducì: ergo oportet, quòd

conjuges ex ipsa conjugii natura, sint obligati ad perpetuam societatem.

Obj. Matrimonium potest dissolvi pluribus modis: ergo non potest dici indissolubile.

R. Negando consequentiam: nam dicitur indissolubile tantummodo, inquantum dissolvi nequit per mutuum consensum, aut per aliam potestatem, quæ non est divina: jam autem in casibus, in quibus Matrimonium dissolvitur, id fit autoritate divinâ: quomodo propterea Deus proprie non dispenset in jure naturæ, vide tract. de lege.

III. Casus, in quibus Matrimonium quoad vinculum dissolvi potest, sunt sequentes:

1°. Matrimonium infidelium, licet consummatum, dissolvitur in casu Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. de quo numero sequenti.

2°. Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per professionem solemnem, de quo numero 57.

3°. Item Matrimonium ratum non consummatum, juxta multos dissolvi potest per potestatem, sive dispensationem Pontificiam, quod discutiemus numero 58.

4°. Denique quodcunque Matrimonium dissolvitur per mortem alterutrius partis, juxta illud 1. ad Corinth. 7. v. 39. "Mulier... si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat:" ita ut, si vir à mortuis resuscitaretur, vinculum Matrimonii maneret dissolutum: casus hic unicus est, quo Matrimonium fidelium ratum et consummatum dissolvitur.

Quid sit Matrimonium validum, seu legitimum, ratum et consummatum, dictum est num. 25.

Quomodo peccatur contra bonum Sacramenti?

IV. R. Præcipuè per ea, quæ vel sacrilegam hujus Sacramenti susceptionem efficiunt; ut si quis scienter in peccato mortali Sacramentum Matrimonii suscipiat; vel quæ individuum conjugum societatem perturbant, ut sunt rixæ, dissidia, continuam urmurationes, &c., vel quæ nuptialem thorum inficiunt.

N. 56. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII INFIDELIUM IN CASU APOSTOLI.

1. *Ad Corinth. cap. 7. v. 15.*

- I. *Matrimonium infidelium consummatum potest dissolvi*
 II. *Etiam quoad vinculum.* III. *Sed tunc tantum, dum pars fidelis contrahit aliud Matrimonium.* IV. *Probabiliter etiam dissolvitur per votum solemne.* V. *Volente comparte infideli pacificè cohabitare, dissolvi nequit*

Matrim. VI. Matrimonium hæreticorum baptisatorum non potest dicto modo solvi.

I. LOCUS citatus Apostoli ita habet: “si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.”

Ex hoc textu certum est, et Ecclesia sic etiam semper intellexit, Matrimonium infidelium, seu non baptisatorum, licet consummatum, dissolvi posse in casu, quo una pars convertitur ad fidem, et baptisatur, et altera pars non baptisata, non vult cohabitare cum parte fidei, vel non vult cohabitare nisi cum contumelia Creatoris, aut conjugem conversum ad peccatum mortale trahere nititur; censetur contumelia Creatoris, si blasphemet Deum, Christum aut Religionem Christianam, vel coram conjugem hæc infidelitatis opera exercet, quæ teneram ejus fidem labefactare possunt. Sic verba Apostoli, “Si infidelis discedit,” &c. explicat Innoc. III. cap. QUANTO de divortii lib. 4. decret. tit. 19. et S. Thom. Suppl. quæst. 59. art. 5. in Corp.

II. Textum illum intelligendum esse non de dissolutione tantum, quoad habitationem vel thorum, sed etiam quoad vinculum, colligitur ex verbis; Non enim servituti subjectus est, alioquin enim pars fidelis revera maneret servituti subjecta, si non haberet libertatem aliud Matrimonium ineundi.

Quandonam in casu dissolvitur vinculum Matrimonii?

III. R. Illud non dissolvitur eo ipso, quo una pars fidem vel baptismum suscipit, sed tunc demum, quando ipsa contrahit aliud Matrimonium, ut colligitur ex cap. GAUDEMUS, de Divortii; hoc enim sufficit, ut pars fidelis dicatur non esse subjecta servituti; et ita sæpe declarasse S. Congregationem refert Benedict. XIV. lib. 6. de Synodo Diocæs. cap. 4. qui addit: “Non licere parti conversæ ad alia vota transire, priusquam infidelis interpellatus renuat pacificè cohabitare.” Quod si conjux infidelis legitimè interpellari nequeat, v. g. quia abiit in regiones longinquas, tunc pars ad fidem conversa, obtentâ dispensatione Pontificiâ, potest aliud inire Matrimonium, quam dispensationem etiam à se fuisse concessam, refert idem Benedictus loco citato.

An Hebræus ad fidem conversus possit ad uxorem infidelitate persistentem, mittere libellum repudii?

R. Negativè: licentia enim dandi libellum repudii est à Christo Domino revocata: unde detestabilem illum abusum proscripsit Benedictus XIV. constitutione de die 16. Septembris 1747.

IV. Verosimiliter etiam dissolvitur Matrimonium illud,

licet consummatum, si pars fidelis emittat votum solemne in religione approbatâ, quia votum illud dissolvit Matrimonium ratum Christianorum, quod fortius vinculum est, quàm Matrimonium infidelium consummatum: atqui quod dissolvit fortius vinculum, etiam minùs forte disrumpere debet: ergo, &c. non dissolvitur tamen per susceptionem Ordinis Sacri, nec per votum simplex.

Quid si pars infidelis velet pacificè cohabitare comparti fideli?

V. R. Tunc non videtur Matrimonium posse dissolvi; quia de hoc casu expressè dicere videtur Apostolus *ibid.* v. 12. " Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam:" nam verba Apostoli *eod.* v. 12. " Cæteris ego dico, non Dominus:" videntur referenda ad superiora præcedentia, non ad sequentia, ut cum Estio vide expositum apud Daelman: confirmatur ex eo, quòd privilegium illud à Deo concessum sit in gratiam et favorem fidel; quæ in casu non periclitatur.

An similiter Matrimonium hæreticorum dissolvi possit, quando alteruter conjux fidem Catholicam amplectitur?

VI. R. Negativè; si nimirum sint baptizati; quia casum illum non comprehendit Apostolus, et Matrimonium eorum ratum est: ut dicit Innocentius III. cap. QUANTO. cit., adeoque semel consummatum, nullâ potest ratione dissolvi. Ob eandem rationem Matrimonium Baptizatorum non redditur solubile ex eo, quòd alter conjux à fide deficiat ad hæresim vel paganismum.

Nec, uti observat Daelman, dissolvi potest, si fidelis cum infideli contraxerit cum dispensatione in impedimento disparitatis cultûs: licet infidelis non velit sine injuria Creatoris cohabitare; tum quòd Matrimonium illud ex parte fidelis sit magis firmum; tum quòd fidelis, contrahendo cum infideli, potuerit illa mala prævidere, adeoque sibi imputare debeat. Neque poterit fidelis, ut docet Collet, novum inire Matrimonium, si ante vel post receptum baptismum lapsus sit in adulterium, quod sibi ab infideli innocente condonatum non est, quia privilegium illud à Christo concessum est, ne infidelis à fide deterreatur metu perpetui cœlibatûs; in isto autem casu, timor cœlibatûs non à fide impendit, sed ab injuria comparti illata et non remissa.

N. 57. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII RATI NON CONSUMMATI PER PROFESSIONEM SOLEMNEM.

I. *Per professionem solemnem Matrimonium ratum non*

consummatum dissolvitur quoad vinculum. II. Solvitur jure naturali, III. Item jure divino. IV. Non dissolvitur per ingressum religionis. V. Casus. VI. Conjugatis concessum est bimestre ad deliberandum de ingressu religionis.

I. MATRIMONIUM ratum, non consummatum, dissolvi etiam quoad vinculum per alterius professionem solemnem in religione approbata definivit Concil. Trid. sess. 24. Can. 6. idem antea definierant Summi Pontifices, Innocentius III. cap. EX PARTE TUA, de conversione conjugatorum lib. 3. decret. tit. 32. et Alexander III. cap. EX PUBLICO, et cap. VERUM, eodem titulo.

Rationem congruentiæ allegat S. Thomas Suppl. quæst. 61. art. 2. in Corp., quòd professio solemnis sit quædam mors spiritualis seu civilis, ideoque dissolvat Matrimonium ratum non consummatum; quia ante carnalem copulam est tantùm vinculum spirituale inter conjuges: sicut mors corporalis solvit Matrimonium etiam consummatum, per quod inter conjuges est etiam vinculum carnale.

II. R. 1°. Secundùm S. Thomam Suppl. q. 61. a. 2. ad. 2. dissolvitur jure naturæ; quia Matrimonium initur sub hac conditione: “ Si interea alter conjugum ad frugem “ melioris vitæ non convolet.” Jam autem contractus sub certa conditione initus, eâ deficiente, ex jure naturæ solvitur, ergo, &c.

III. 2°. Solvitur jure divino, sive ex privilegio à Deo voto solemni annexo in favorem religionis, quod nobis constat ex perpetua traditione: non solvitur jure merè Ecclesiastico, quia Concilium Tridentinum et Pontifices declarantes Matrimonium ratum dissolvi per votum solemne, hoc jus non statuunt, sed supponunt per traditionem: attento etiam, quòd Matrimonium potestate humanâ dissolvi non possit.

IV. Privilegium istud non est annexum susceptioni Ordinis sacri, nec dissolvitur Matrimonium ratum non consummatum per ingressum religionis vel novitatum; sed per ipsam professionem: unde conjux manens in sæculo debet expectare eventum, et si altera pars non professa religionem deserat, debet pars, quæ in sæculo mansit, illam admittere ad thorum; si autem solemniter profiteatur, pars remanens validè et licitè inire potest aliud Matrimonium.

V. Joannes et Anna post copulam fornicariam simul habitam ineunt Matrimonium: an v. g. Joannes possit Annæ denegare debitum et ingredi religionem?

R. Quæstio pendet, an copula antenuptialis sufficiat ad consummationem Matrimonii subsequenti?

Collet cum quibusdam existimat, Joannem non posse ingredi religionem; quia Matrimonium subsequens legitimat prolem è fornicatione natam: ergo retrotrahitur ad copulam præcedentem, quæ videri debet quasi anticipata consummatio: Sanchez verò, Pontas, P. Pauwels et alii sustinent, professionem Joannis in casu fore validam, et solvere Matrimonium; quia Matrimonium tantum consummatur per copulam matrimonialem: hæc autem in casu est fornicaria.

Ad argumentum alterius sententiæ dicunt, quòd Matrimonium retrotrahatur ad copulam præcedentem solâ fictione juris in favorem prolis innocentis, alioquin illegitimæ; sed hæc fictio non extenditur in favorem fornicantium.

VI. Nota, quòd conjuges post contractum Matrimonium habeant bimestre, quo deliberare possunt de ingressu religionis, etiam invitâ aliâ parte, et illo tempore non teneantur debitum reddere, nisi semel consummassent Matrimonium. Vide cap. **EX PUBLICO**, “de conversione conjugatorum.” Videtur requiri verus et sincerus animus deliberandi, ut possint negare debitum, prout adhuc dictum est N. 47.

Quid si nondum consummato Matrimonio, conjux se determinet ad ingressum religionis, sed jam elapso bimestri, sive tempore ad deliberandum à jure concesso?

R. Invitâ comparte illicitè ingrediatur religionem, ut docent Billuart et alii; quia elapso bimestri tenetur reddere debitum; si tamen profiteatur, videtur professio valida et Matrimonium dissolvi; quia jura et signanter Concilium Tridentinum, simpliciter et absolutè dicunt, Matrimonium ratum et non consummatum, dissolvi professione solemni.

Quid si uxor, habens animum de ingressu religionis deliberandi, à marito intra bimestre violenter opprimatur?

R. Docent Sanchez, Daelman, Billuart, &c. uxorem posse religionem ingredi et in ea solemniter profiteri; quia per violentiam sibi illatam non debet privari jure suo: addunt Sanchez et Collet, idem dicendum esse, si maritus copulam extorserit per metum gravem cadentem in constantem virum: Pontius verò cum multis negat uxorem in casu posse ingredi religionem; quia vel id posset ex privilegio à Christo concesso religioni, sed ex hoc capite non potest, cum privilegium tantum sit concessum pro Matrimonio non consummato: vel posset uxor ad religionem transire ex juris decisione, et hoc non potest, quia nulla est

causa ex his, quæ jure constitutæ sunt. Admittunt interim Sanchez et alii, certumque est, quòd in casu Matrimonium non solveretur, cùm verè consummatum sit: unde maritus non posset transire ad alias nuptias, nisi mortuâ uxore professâ.

Pariter docent, quòd uxor in casu posset per accidens impediri ab ingressu religionis, put si secuta sit proles, quæ sine matris auxilio educari non posset.

Certum est, quòd maritus ille, invitâ uxore, religionem ingredi nequeat; quia ipse ex sua parte liberè Matrimonium consummavit.

Deinde maritum taliter copulam ab uxore extorquentem primo bimestri, Sanchez et alii accusant peccati mortalis, saltem dum animus uxoris de ingressu religionis deliberantis ei fuit notus.

Nota denique, quòd Matrimonium ratum et consummatum non dissolvatur per professionem solemnem: unde licet conjux post Matrimonium consummatum aliquando validè et licitè professionem solemnem emittat, putâ si altera pars in adulterium lapsa sit, propterea non dissolvitur vinculum Matrimonii, sed perseverat, et conjux in sæculo manens non potest aliud inire Matrimonium.

N. 53. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII PER DISPENSATIONEM PONTIFICIAM.

I. *Juxta multos potest Pontifex dispensare in Matrimonio rato non consummato.* II. *Juxta alios non potest.*

I. AN Matrimonium ratum non consummatum possit dissolvi per dispensationem Summi Pontificis?

R. Hoc utrimque probabiliter disputatur; varii, præsertim jurisperiti, affirmant, fundantes se maximè in factis variorum Pontificum, qui in eo dispensasse leguntur; sic S. Antoninus dicit, se vidisse bullas dispensationis Martini V. et Eugenii IV. Navarrus in Manuali refert Paulum III. et Pium IV. ter quaterve ad petitionem suam dispensasse; et varii Authores referunt ex Henriquez, Gregorium XIII. unicâ die dispensasse cum undecim; hanc, inquiunt, potestatem Deum Ecclesiæ capiti contulisse, credibile est, quæ Ecclesiæ regimini necessaria erat.

II. Alii non pauci negant, tum ob generalem Christi sententiam Matth. 19. v. 6. "Quod Deus conjunxit, homo non separet;" tum ex eo, quòd si Pontifices illam potestatem à Christo accepissent, eam antiquiores Pontifices in se agnovissent, et aliquando usi fuissent; cùm istis tempo-

ribus, sicut nostris, non defuerint gravissimæ ejusmodi dispensationum causæ.

Referunt Daelman, Billuart et alii, varios fuisse Pontifices, qui agnoverunt se talem potestatem non habere, quales sunt Alexander III., Innocentius III., Nicholas I., &c., et Dominicus Soto in 4. distinct. 27. q. 1. a. 6. refert de Adriano VI., quòd importunis precibus rogatus, ut dispensaret, tandem responderit, se concedere, quantum posset, credere tamen se non posse: unde Authores hujus sententiæ dicunt, quòd Pontifices, qui dispensarunt, processerint secundum probabilitatem prioris sententiæ, in casibus, in quibus ipsis tutius apparebat dispensare, ad impedienda gravia mala alioquin secutura.

Certum interim est, quòd ea potestas dispensandi in Matrimonio rato non consummato non competat Episcopo.

Item certum est, quòd in Matrimonio rato et consummato dispensare non possit Summus Pontifex: unde nullus unquam id legitur attentasse.

N. 59. AN MATRIMONIUM QUOAD VINCULUM DISSOLVI POSSIT PROPTER ADULTERIUM ALTERIUS CONJUGIS.

I. *Propter adulterium dissolvi non potest vinculum Matrim.*
II. *Instantia prima.* III. *Instantia secunda.*

I. AFFIRMANT Lutherus et Calvinus ac eorum sectatores: sed responsio negativa probatur ex Tridentino sess. 24. can. 7. et Florentino in Decreto ad Armenos; item ex verbis Christi Lucæ 16. v. 18. “Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam á viro ducit, mœchatur.” Similia dicuntur Marc. 10. v. 11 & 12; unde cum Christus generatim et absolutè loquatur, neminem excipiendo, nec ullam causam; sequitur, quòd nec ob causam adulterii dimissio quoad vinculum fieri possit.

Obj. Dicit Christus Matth. 19. v. 9. “Quicumque dimiserit suam uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur;” ergo ob fornicationem sive adulterium uxorem dimittens et aliam ducens, non mœchatur; adeoque in casu Matrimonium quoad vinculum dissolvitur.

R. Nego conseq. quia exceptio illa, “nisi ob fornicationem,” refertur ad verba præcedentia, “quicumque dimiserit,” non ad sequentia, “et aliam duxerit;” ita ut Christus ibi duo affirmet, et sensus sit: “Quicumque à thoro dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, mœchatur, sive mœchiæ reus efficitur: in quantum uxorem sine

“causa periculo adulterii exponit, et ita facit eam “mœchari,” ut dictum Matth. cap. 5. v. 32. Item qui aliam duxerit, sive priori retentâ, sive dimissâ, etiamsi causâ fornicationis, mœchatur, nempe in propria persona: hunc textum, licet aliquomodo obscurum, sic esse explicandum, docent clariores textus Marci et Lucæ supra citati.

II. Pharisei Christum interrogant de dimissione quoad vinculum: ergo Christus Phariseis respondens, de eadem locutus est dimissione, alioquin quæstioni sibi propositæ non satisfacisset.

R. Phariseorum interrogatio duo complectebatur: 1°. An quacumque ex causa liceret uxorem dimittere? 2°. An eâ dimissâ liceret aliam ducere? ad utrumque autem respondet Christus, ad primum nempe, non licere ob quamcumque causam, sed tantum ob gravissimam, qualis est fornicatio; ad secundum verò dicit, non licere aliud inire conjugium, dimissâ ob adulterium uxore, revocans quamcumque facultatem ea de re Judæis factam.

III. Exceptio illa non potest respicere solam dimissionem à thoro, quia sunt plures justæ causæ repellendi conjugem à thoro præter adulterium: ergo non rectè assignaret adulterium tanquam unicam istius dimissionis causam.

R. Neg. conseq.: ratio est 1°. quòd adulterium sit causa propria separationis in conjugio, quæ fit jure matrimoniali, cum reliquæ causæ sint generales à quavis societate Christianum excludentes. 2°. Quia adulterium est sola dimissionis perpetuæ causa, et adimens spem reditûs. 3°. Quia fornicantem, licet volentem se emendare, et absque relapsûs periculo remanere, potest conjux innocens dimittere: sed aliæ causæ tantum cohabitationem suspendunt, donec pars nocens resipuerit: unde Christus ibi exprimit causam principalem, ut insinuet, quamcumque causam non sufficere, non excludendo tamen alias.

N. 60. DE LIBELLO REPUDIÏ.

S. Thom. Suppl. quæst. 67.

I. *Præscriptum libelli repudiÏ ex Script. S.* II. *Libellus repudiÏ verosimilius dissolvebat matrimonium quoad vinculum.* III. *Prob.* IV. *Libellus repudiÏ abrogatus.*

I. CIRCA libellum repudiÏ veteris legis ita habetur Deuter. 24. v. 1. et sequent. “Si acceperit homo uxorem “et habuerit eam et non invenerit gratiam ante oculos ejus “propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudiÏ et “dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua. Cùm- “que egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque

“oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de
 “domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior ma-
 “ritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, et abo-
 “minabilis facta est coram Domino.”

Circa libelli repudii formam, causam, &c. possunt videri
 Authores tam scholastici quàm S. Scripturæ interpretes in
 locum citatum Deut. et signanter Analogia Becani cap. 24.

Quæritur utrùm per libellum repudii fuerit Matrimo-
 nium dissolutum quoad vinculum?

Estius, Sylvius, Van Roy, &c. negant, dicuntque repu-
 dium ob duritiem cordis Judæorum solummodo fuisse im-
 punè permissum, tanquam minus malum ad vitanda mala
 majora, putà uxoricidia. In hac sententia mulier repudiata
 non poterat validè alteri nubere; maritus tamen validè po-
 terat ducere aliam, cùm polygamia tunc esset licita.

II. Affirmant Sanchez, Wiggers, Becanus, Collet et alii,
 qui dicunt libellum repudii permissum fuisse simpliciter
 occasione quidem duritiei Judæorum, verùm non tantùm
 tanquam minus peccatum, sed ad evitandum omne pecca-
 tum; Deo materiam mutante seu dominia conjugum.

Hæc sententia quæ probabilior apparet, probatur ex Deut.
 24. nam conceditur repudiatæ ut nubat alteri viro, qui ibi-
 dem vocatur ejus maritus: atqui si per repudium non fuis-
 set solutum prius Matrimonium, non potuisset simpliciter
 dici maritus, sed scortator et adulter: ergo, &c.

2º. Juxta locum citatum poterat hic secundus maritus
 eam repudiare: libellus verò repudii locum non obtinebat
 nisi respectu veri mariti: ulterius mulier à secundo marito
 repudiata prohibebatur redire ad primum, atqui si prius
 Matrimonium non fuisset dissolutum, non erat hoc prohi-
 bendum, quin potius optandum, ut rediret, ne perseveraret
 in adulterio.

3º. Matrimonia cum repudiatis nullibi in Scriptura re-
 prehendantur.

4º. Levit. 21. v. 14. erat specialiter prohibitum Sacer-
 doti ducere repudiatam viduam aut meretricem: ergo alii,
 qui non erant Sacerdotes, poterant ducere repudiatas, sicut
 poterant ducere viduas et meretrices.

5º. Non videtur, quomodo lex divina toleraverit adulte-
 ria publica, cùm vel ipsam adulterii suspicionem aquis zelo-
 typiæ subjiceret: atqui tamen in sententia opposita ea tole-
 rasset, cùm permetteret repudiatæ, ut publicè alteri nuberet.

Obj. Loco citato Deuter. repudiata, quæ alteri nupsit,
 dicitur polluta et abominabilis coram Domino: ergo nu-
 bendo alteri peccavit.

R. 1°. Cum Cornelio à Lapide in Hebræo legi: “ quia abominatio hoc est coram Domino;” scilicet reditus ad priorem maritum, qui eam repudiavit, abominabilis est, quia orbicularis nuptiarum regressus speciem præ se fert adulterini concubitûs, quasi prior maritus alteri uxorem suam ad tempus commodare videretur.

2°. Repudiata vocatur polluta, non quòd peccasset ineundo secundas nuptias, sed ex eo, quòd à secundo viro cognita esset, ejusque semine polluta, ideoque ad priorem maritum redire non liceret: ita à Lapide. Juxta Authores alterius sententiæ dicebatur polluta, et abominabilis ex eo, quòd alteri nupsisset; poteratque juxta illos à priori viro recipi, antequam nupsisset alteri.

III. Concluditur, cum libellus repudii de facto non habeat locum, utpote abrogatus per Christum Dominum simul cum polygamia, (si jam antea non cessaverit), ut legimus Matth. 19. quòd Judæus, qui legitimam uxorem repudiavit, et aliam duxit, dum convertitur ad fidem, debeat primam interpellare, an velit pacificè ei cohabitare; quòd si consentiat, debet ei adhærere, relictâ secundâ ut illegitimâ: si verò prima renuat, poterit tunc inire aliud Matrimonium, ut constat ex dictis Num. 56. et charitas sæpe obligabit, ad ineundum Matrimonium cum secunda.

N. 61. DE DIVORTIO.

S. Thom. suppl. quæst. 62.

I. *Divortium.* II. *Triplex.* III. *Causæ Divortii sunt:* IV. *Sævitia compartis;* V. *Hæresis vel Apostasia;* VI. *Sollicititio ad grave peccatum;* VII. *Prodigalitas;* VIII. *Metus gravis mali.* IX. *Adulterium causa est præcipua.* X. *Exceptiones à divortio.* XI. *Casus in quibus propter adulterium divortium institui non potest.* XII. *Aliquando est obligatio instituendi divortium.* XIII. *Divortia ordinariè sunt dissuadenda.* XIV. *Divortium cujus auctoritate instituendum?* XV. *Non potest fieri privatâ auctoritate.* XVI. *Pars dimissa ab innocente requisita debet redire.* XVII. *Eadem emendata recipi debet, excepto casu adulterii.* XVIII. *Pars innocens potest ingredi religionem non nocens adultera.* XIX. *Non semper uxor debet sequi maritum aliò tendentem.*

PRÆNOTANDUM, inter conjuges considerandas esse tres conjunctiones: prima est quoad vinculum, secunda quoad thorum, sive usum carnalis copulæ, tertia quoad habitationem et adjutorium mutuum: de dissolutione primæ jam actum est, de aliarum dissolutione nunc agendum.

Quid est Divortium?

I. R. Est separatio conjugum quoad thorum, vel quoad habitationem, manente matrimonii vinculo.

II. Hinc dividitur in Divortium à thoro tantum, à cohabitatione tantum, et à thoro et cohabitatione simul, quod ultimum est Divortium communius et magis famosum.

Insuper aliud Divortium est perpetuum, aliud ad tempus.

III. Quænam sunt rationabiles Divortii causæ?

R. Causas esse multiplices, indicat Trident. sess. 24. can. 8. communiter allegantur sequentes:

IV. 1°. Compartis sævitia, v. g. percussiones graves et atroces, aut abortum causantes; adde etiam verbera immoderata, continua jurgia, convitia, odium implacabile, &c. conformiter ad cap. EX TRANSMISSA, et cap. LITTERAS, de restit. spoliator. lib. 2. decr. tit. 13. Attendi tamen debent qualitates personarum, v. g. si femina, quæ vexatur, sit nobilis, pudica, morigera, &c, minores molestiæ respectu talis censi debent nomine sævitiae.

Nota tamen, iram prætereuntem, leves rixas, percussio- nem etiam atrocem, sed ex insolita ortam perturbatione, non esse sufficientem divortii causam: unde etiam totis viribus allaborare debet Pastor, ne ob similia illud attentetur.

V. 2°. Hæresis vel apostasia alterius, juxta cap. ult. de conversione conjugatorum et cap. NON SOLUM, causa 28. q. 1. pro quo etiam adducitur illud Apostoli ad Tit. 3. v. 10. "Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita; observat porro S. Thom. Suppl. quæst. 62. art. 1. ad 3. quod propter unum actum hæresis Divortium fieri non possit: sed tantum propter consuetudinem vel habitum.

Nota, quod si Catholicus scienter contrahat Matrimonium cum parte hæretica, non possit ex eo capite se ab ea separare; quia renunciavit juri Divortii: excipe tamen, nisi hæreticus conversionem suam promississet, nec staret promissis: item si Catholicus sciat sibi imminere periculum amittendæ fidei ex cohabitatione cum hæretica.

VI. 3°. Si compars frequenter sollicitet ad peccata gravia: pro quo adducitur illud Matth 18. v. 8. "Si autem manus tua vel pes tuus (id est, res quantumvis utilis aut necessaria) scandalizat te, abscide eum et projice abs te;" hinc justa divortii causa est uxori, si vir ejus sit leno.

VII. 4°. Si compars sit prodiga, et rem domesticam seu bona conjugis et prolium dilapidet: cui tamen aliquando obviari poterit obtinendo decretum, quo declaretur inhabilis ad contrahendum.

VIII. 5°. Generatim justa divortii causa est, si timeatur à comparte grave malum, sive corporale, sive spirituale, v. g. morbus venereus, lepra, &c.

IX. 6°. Causa principalis, de se perpetua, et ex ipso Matrimonii jure resultans, est adulterium compartis; quia frangenti fidem fides servari non debet.

Hanc causam Christus ipse assignavit, Matth. 19. v. 9. dicens: "Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, &c." et quamvis tantum loquatur de viro, id tamen etiam intelligitur de muliere; quia paria sunt jura viri et mulieris quoad thorum. Vide S. Thomam Suppl. q. 62. a. 4.

Ad divortium instituendum propter adulterium, sufficit crimen illud semel esse commissum, ut observat S. Thomas Sup. q. 62. a. 1. ad 3. Sub adulterio comprehendunt plerique sodomiam, et bestialitatem; quia sic etiam dividitur caro contra Matrimonii fidem: aliud est de amplexibus, tactibus impudicis, aut pollutione; quia per hos actus non violatur consummatè matrimonium.

X. In Jure Canonico varii excipiuntur casus, in quibus ob adulterium fieri nequit divortium; qui omnes generatim ad tria capita reduci possunt; scilicet, quando alter conjux est ejusdem criminis particeps, et quando injuriam condonavit, et quando adulterium culpâ vacat: in particulari tamen septem casus enumerat S. Thomas Suppl. q. 62. a. 1. in Corp. qui sunt sequentes:

XI. 1°. Si uxor latenter fuerit cognita ab aliquo sub mariti specie; vel contra, vir putans accedere ad suam, accedit ad aliam, sicut contigit Jacob respectu Liæ, Gen. 29. v. 23.

2°. Si uxor fuerit vi oppressa.

3°. Si vir fuerit vel sit uxori adulterandi causa, prout si eam prostituat, si in factum ejus consentiat; à fortiori, si idem suadeat: idem est, si sciat crimen, nec impediat, cum facilè impedire posset, aliud est, si loqui non audeat ex metu gravi.

4°. Quando compars etiam adulterata est, quia tunc paria crimina compensatione mutuâ delentur: ita cap. TUA FRATERNITAS, de adulteriis, l. 5. decret. tit. 15. quod extendunt Authores, licet unus semel, et alter pluries esset lapsus, aut unus clam, et alter publicè peccasset, si tamen, inquit S. Antoninus, vir egisset pœnitentiam, et uxor nollet agere, sed perseveraret in adulterio, vir posset sine peccato uxorem accusare et dimittere. Vide plura apud Sanchez, l. 10. disp. 6. et sequent.

5°. Quando conjux alteri adulterium condonat, sicque reconciliantur: condonare autem potest, non tantum uxor marito, sed etiam maritus uxori; nisi hæc in crimine isto pergeret; tunc enim militaret illud Proverb. 18. v. 22. "Qui autem tenet adulteram, stultus est et impius."

Potest etiam condonatio fieri vel expressè, ut si innocens verbis vel litteris manifestè injuriam et adulterium alteri condonat; vel fit tacitè, veluti si pars innocens conscia adulterii cum comparte adulterata liberè copulam habeat; item familiarem se exhibeat cum ea, comedendo, ridendo, multò magis oscula et amplexus dando: si verò ignorans compartis adulterium eam cognoverit, manet in jure suo; et similiter, si vir, v. g. adulter, vi aut metu gravi ab uxore innocente copulam extorqueat.

Sed quid si post reconciliationem factam, pars antea innocens labatur in adulterium, poteritne ipsa jam dimitti?

R. Affirmativè; quia prior injuria per reconciliationem fuit omnino extincta: quia tamen parti resipiscenti pepercit, æquum est, ut ei, nunc resipiscenti, parcat altera pars.

6°. Quando uxor probabiliter virum mortuum credens, nubit alteri, vel è contrario: idem extendit Sanchez ad casum, quo conjux probabiliter credens compartem mortuam fornicatur.

7°. Si Matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, et uxor alteri nupserit: tunc enim, si uterque convertatur, tenetur vir eam recipere, licèt cum secundo copulam habuerit.

An una pars aliquando sit obligata alteram delinquentem per divortium dimittere?

XII. R. cum S. Thoma Suppl. quæst. 62. art. 2. per se non est talis obligatio, cum aliter et faciliùs sæpe compars delinquens corrigi possit. Si autem aliter non credatur compars corrigenda, bene tamen per dimissionem dimitti debet; similiter ob scandalum, aut alias circumstantias erit aliquando talis obligatio: sic maritus tenetur aliquando dimittere uxorem in adulterio perseverantem, ne censeatur consentire ejus peccatis, et ut corrigat vitium ejus.

XIII. Extra similes circumstantias non est obligatio dimittendi: quinimo licet conjux possit in rigore compartem dimittere ex causis supra dictis, officium charitatis sæpe contrarium exigit: per Pastores et Confessarios divortia ordinariè sunt dissuadenda propter inconvenientia ingentia, quæ inde timentur, et allaborandum conjugum reconciliationi.

Unde docet Sylvius, ordinariè non peccare mulierem

quæ à marito, etiam in adulterio perseverante, se non separat, nec ei debitum negat; quia rara est mariti adulteri propter secessionem uxoris correctio, potiùs namque metuendum est, ne deterior fiat.

XIV. Cujus autoritate fieri potest Divortium?

R. Possunt conjuges ex causa Deo liberiùs vacandi, ex mutuo consensu se separare ab eodem thoro seu lecto, non tamen ab eadem habitatione, nisi una pars Sacros Ordines reciperet, vel solemniter profiteretur.

Pars innocens de conjugis adulterio moraliter certa potest occultè privatâ autoritate eum, quoad solum thorum, dimittere; exceptis casibus, de quibus supra.

XV. In reliquis causis intervenire debet autoritas Superioris: sicut etiam non licet compartem dimittere à cohabitatione absque interventu autoritatis Superioris, quia illa separatio educitur ad pœnam publicam; nisi fortè ob necessitatem fiat per modum justæ fugæ, vel juxta aliquos, nisi publicitas causæ æquivalet sententiæ judicis.

XVI. Quando post divortium, licèt juridicè factum, pars innocens requirit nocentem, tenetur pars nocens redire; quia sententia est in favorem innocentis, per divortium jus suum non amittentis. Vide S. Thomam Suppl. q. 62. a. 6. ad 3. et regul. 61. juris in 6.

An cessante causâ divortii conjux teneatur recipere compartem emendatam?

XVII. R. Affirmativè, nisi in causa adulterii, quantùm ad thorum, cùm causa adulterii sit perpetua, officium tamen charitatis sæpe exigit, ut etiam pars dimissa ob adulterium recipiatur.

An facto ob adulterium divortio, licitum sit conjugibus religionem ingredi?

XVIII. R. Post divortium per judicem factum, potest pars innocens suscipere Ordines Sacros, vel ingredi religionem. Colligitur ex cap. *CONSTITUTUS*, de conversione conjugatorum, lib. 3. decret. tit. 31; sed pars nocens non potest ingredi religionem, nisi de consensu innocentis, quia revocari potest ab insonte.

Collige ex dictis quomodo graviter peccare possunt, qui invitâ comparte abscurrunt, vel se diutiùs absentant, cùm dictum sit Genes. 2. v. 24. "Adhærebit uxori suæ:" potest tamen maritus, non ita uxor, ad breve tempus sinè licentia uxoris abesse, maximè si justa subsit causa.

An uxor in mutatione domicilii teneatur sequi maritum?

XIX. R. Regulariter affirmativè, exceptis quibusdam casibus; scilicet si maritus intendat continuò vagari, aut si

uxori immineret ex itinere periculum gravis peccati, mortis, &c. vel maritus absque necessitate vellet migrare in regionem admodum remotam, aut etiam si inter eos aliter contractum sit: si tamen hoc ultimo casu gravis necessitas, v. g. insalubre cœlum, maritum ad alium locum avocaret, teneretur per se uxor sequi.

N. 62. DE POLYGAMIA.

S. Thom. suppl. quæst. 63. et 65.

I. *Polygamia est triplicis generis.* II. *Prima secundum se licita.* III. *Secunda semper fuit illicita.* IV. *Tertia repugnat primæ institutioni matrimonii.* V. *Non repugnat primariis juris naturæ præceptis.* VI. *Fuit illicita ante diluvium.* VII. *Cæpit esse licita post diluvium.* VIII. *Et verosimiliter extensa ad gentiles.* IX. *Abrogata in nova Lege.*

I. MONOGAMIÆ, quæ est unius tantùm cum una sola conjunctio, opponitur polygamia, quæ triplex est: prima quâ vir vel mulier successivè plures habet uxores vel maritos; secunda quâ mulier simul habet plures viros: tertia quâ vir plures simul habet uxores.

II. Prima secundum se est licita, ut contra hæreticos, Montanistas et Novatianos, probatur ex epist. 1. ad Cor. 7. v. 39. "Mulier... si dormierit vir ejus, liberata est: cui "vult nubat:" ergo, cum per mortem unius conjugum vinculum matrimoniale solvatur, nihil obest, quominus aliud possit iniri Matrimonium: confirmatur ex Can. 8. Concilii Nicæni primi, et ex praxi universalis Ecclesiæ.

Secundæ illæ nuptiæ, æquè ac primæ, inter fideles sunt Sacramentum, perinde ut primum; cum in eo reperiantur omnia essentialia Sacramenti.

Obj. Pastorale Mechliniense dicit, nuptias quæ sunt secundæ ex parte mulieris, non esse benedicendas: ergo non sunt Sacramentum.

R. Negando consequentiam: quia Pastorale illud non intelligit de forma Sacramenti, sed de benedictione quadam fœcunditatis, quæ adjicitur, sed quæ super muliere semel tantùm dicitur; et loco istius, in secundis nuptiis ex parte mulieris, legitur alia Oratio, quæ ibidem subjungitur.

III. Polygamia secundi generis, quâ mulier plures simul habet viros, omni tempore fuit illicita jure naturæ, estque contra primum Matrimonii finem, qui est procreatio et educatio prolis; etenim per commixtionem diversorum seminum impeditur generatio, ut constat in meretricibus; si

autem proles nascatur, incertum est cujus viri sit proles; unde natum est fieri, quòd debita educatio ab omnibus negligatur: deinde illa virorum pluralitas est contra pacificam cohabitationem, cùm natum sit sequi, quòd unus alteri velit prædominari: hinc Matrimonium cum secundo viro, adhuc vivente primo, omni tempore fuit invalidum.

IV. Polygamia tertii generis, quâ vir plures simul habet uxores, juxta primam Matrimonii institutionem fuit illicita; quia Gen. 2. v. 24. dicitur: "Erunt duo in carne una;" duorum autem in una carne conjunctio polygamiam excludit: hinc Christus Math. 19. v. 6. ex verbis Genesis relatis infert: "Itaque jam non sunt duo, sed una caro."

V. "Non est quidem hæc polygamia sive pluralitas uxorum contra primaria juris naturæ præcepta, ut docet S. Thomas supp. q. 65. a. 1. in Corp. quia non impedit primarium Matrimonii finem, qui est generatio prolis, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis et educandis filiis ex eis natis: sed secundarium finem Matrimonii, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit; eò quòd non ita facillè potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cùm non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sive quia dum plures sunt uxores, natæ sunt inter eas sequi discordiæ et dissensiones;" ex quibus ibid. a. 2. in Corp. iterum concludit: "Pluralitas uxorum dicitur esse contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda."

Fuit hæc polygamia, sive pluralitas uxorum aliquando licita, ut probatur exemplis Abraham, Jacob, David, &c. sed tantum per specialem Dei auctoritatem patefactam Patriarchis post diluvium.

Obj. I. Deus non potest dispensare in jure naturæ, atqui polygamia est contra jus naturæ: ergo, &c.

R. Deus propriè in jure naturæ non dispensavit, sed mutavit materiam; scilicet effecit, ut corpus viri esset aptum plurium dominio, et posset validè tradi pluribus uxoribus; ita ut unaquæque haberet dominium in idem corpus viri: dicta inconvenientia circa finem secundarium compensabantur per finem primarium; et credendum etiam est, quòd Deus permittendo polygamiam, effecerit ut saltem partialiter tollerenter molestiæ et zelotypiæ inter uxores.

Ex his intellige, quomodo Abraham, David, &c. in Scriptura dicantur habuisse concubinas absque peccato;

nimirum illæ erant veræ uxores ipsis Matrimonio junctæ sed vocabantur concubinæ, quia uxores tantùm secundariæ erant, quæ et quarum filii non admittebantur ad communionem bonorum vel hæreditatem, sicque quodammodo ad concubitum tantùm serviebant.

Obj. II. Nullibi legitur Deus dedisse facultatem habendi plures uxores: ergo, &c.

R. 1^o. cum S. Thom. suppl. quæst. 65. a. 2. ad 3. factam fuisse per inspirationem internam, sicuti lex naturæ quæ dictat Matrimonium esse unius cum una tantùm, est interna, seu mentibus impressa.

R. 2^o, cum Estio fundamentum divinæ hujus concessionis sumi ex Gen. 21. v. 12. dum Dominus dicit Abrahamæ: "Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus." Hinc deducitur, quòd sicut speciali revelatione admonitus fuit Abraham, ut ad instantiam Saræ dimitteret Agar cum filio suo Ismaël, quamvis id durum et naturæ repugnans videretur, ita divinitus admonitus fuerit, ut obsequeretur Saræ petitioni in Agar sibi Matrimonio copulanda.

Quandonam pluralitas uxorum incepit esse licita?

VI. R. Non videtur fuisse licita ante diluvium; quia nullus justorum ante diluvium legitur habuisse plures uxores: solus Lamech Gen. 4. v. 19. id attentasse legitur, qui etiam tanquam adulter reprehenditur à Nicolao Pontifice can. AN NON, causa 24. q. 3.

VII. Verosimiliùs statim post diluvium cœpit esse licita, quando ob paucitatem hominum multiplicandus erat populus fidelis, maximè cùm non esset longæva hominum ætas, sicut ante diluvium: unde Sara loquitur Abrahamo de hac re tanquam nota et usitata Gen. 16. v. 2. dicens; "Ingredere ad ancillam meam." An populo gentili etiam licita fuit ea polygamia sive pluralitas uxorum, negat Estius, eò quòd pro gentilibus non militaret ratio jam dicta, scilicet multiplicatio populi fidelis; VIII. sed probabiliùs Billuart, Sylvius, &c., affirmant, eam facultatem per concomitantiam fuisse ad gentiles extensam, ne occasionem scandali accepissent à Judæis: et sanè dum videbant viros probos pluribus uxoribus jungi, meritò existimare poterant, idem sibi licere quod aliis: hinc etiam Esther conjugio copulata est Assuero Regi gentili, habenti aliam uxorem: nisi fortè dicatur cum Estio, quòd Esther tanquam Judæa gauderet isto privilegio.

An in nova lege pluralitas uxorum sit licita?

IX. Est illicita jure naturali divino et Ecclesiastico: nam facultas præfata per Christum Dominum totaliter est

sublata, quando Matt. 19. revocavit Matrimonium ad primævam suam unitatem: unde triplici jam dicto jure, invalidum est in nova lege secundum Matrimonium stante primo: vide Trid. sess. 24. can. 2. et cap. GAUDEMUS, de divortiis.

Lex illa Christi polygamiam abrogans non tantùm ad fideles, sed etiam ad infideles spectat; cùm Christus, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, omne conjugium, sive Christianorum, sive aliorum, ad primam suam institutionem reduxerit: hinc concluditur, quòd Turcæ, amplectentes fidem Catholicam, possint solam primam uxorem retinere, et reliquas absque electione debeant dimittere.

N. 63 DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERALI.

S. Thom. suppl. quæst. 50.

I. *Impedimentum Matrimonii.* II. *Ejus divisiones.*

QUID hic dicitur impedimentum Matrimonii?

I. R. Id quod Matrimonium contrahendum reddit invalidum vel illicitum. Observa, quòd hic agatur de Matrimonio, prout est contractus.

Quomodo dividuntur impedimenta?

II. R. 1°. In impedimenta dirimentia et impedientia, seu prohibentia tantùm.

2°. In impedimenta juris naturæ et impedimenta juris positivi. Quæ impedimenta dirimant Matrimonium jure naturæ; quæ jure positivo, dicetur infra per singula.

3°. In absoluta et respectiva: absolutum dicitur, quo quis impeditur contrahere Matrimonium cum quacumque persona; ejusmodi impedimenta sunt Votum, Ordo sacer, Ligamen, &c.: respectivum dicitur, quod impedit Matrimonium cum certa quapiam persona, non cum omni; talia sunt cognatio, crimen, raptus, &c.

4°. In perpetua et temporalia: perpetua v. g. sunt votum, cognatio, crimen, &c. dicuntur autem perpetua; quia de se sunt talia, licèt in aliquibus ex iis possit dispensari: temporalia dicuntur, quæ cum tempore cessare possunt absque dispensatione, qualia sunt error, cultûs disparitas, vis, raptus, &c.

5°. In publica et occulta.

6°. In impedimenta Matrimonium præcedentia, et impedimenta Matrimonio supervenientia.

N. 64. DE POTESTATE CONSTITUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII.

I. *Ecclesia potest constituere impedimenta Matrimonii.* II. *Principes sæculares possunt constituere impedimenta Matrim.* III. *Modus irritandi Matrimonium duplex.* IV. *Cui potestas illa in Ecclesia competit.* V. *Consuetudo potest etiam introducere.* VI. *Per impedimenta Matrimonii non mutatur materia Sacramenti.*

QUIS potest statuere impedimenta Matrimonii?

I. R. Ecclesiam posse constituere impedimenta dirimentia Matrimonium, definivit Concil. Trid. sess. 24. canon. 4. ubi dicitur: "Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel iis constituendis errasse, anathema sit."

II. An etiam illa potestas competit Principibus sæcularibus?

R. Cùm Matrimonium sit contractus civilis, videtur Regibus et Principibus jure proprio et nativo potestas illa competere: ita S. Thomas Supp. q. 50. art. unico ad 4.

III. Modus irritandi Matrimonia per impedimenta duplex est: primus quo irritatur directè contractus: secundus quo inhabilitantur personæ ad sic contrahendum. Priori modo irritat impedimentum vis, utroque verò clandestinitas.

A quo in Ecclesia statui possunt impedimenta?

IV. R. A Summo Pontifice tanquam Ecclesiæ Capite, item à Concilio generali. Episcopus verò, licèt vi suæ jurisdictionis secundùm se spectatæ, impedimenta dirimentia statuere posse videatur, id hodie non potest, obstante generali et diuturnâ consuetudine. Idem est de Conciliis particularibus: vide Benedictum XIV. de Synodo Diocesana.

V. Consuetudo etiam potest introducere impedimenta, sicut et alias leges irritantes, si suis sit stipata conditionibus: vult tamen Fagnanus, consuetudinem id non posse; nisi à Pontifice sit approbata.

Sicut consuetudine possunt impedimenta introduci, ita per eandem possunt mutari vel abrogari: inò, lex aliqua faciliùs per consuetudinem abrogatur, quàm introducitur.

VI. Observa, quòd per impedimenta Matrimonii dirimentia, non mutetur materia Sacramenti Matrimonii, quia ad hoc requireretur, ut contractus validus non esset materia Sacramenti: jam autem in casu contractus non est validus, cùm per impedimentum supponatur esse irritatus,

sic enim non mutaretur materia Eucharistiæ, si quis ex vino faceret acetum.

N. 65. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII
IMPEDIENTIBUS TANTUM.

I. *Impedimenta impedientia.* II. *Hodie sunt quatuor tantum.*

I. QUÆ impedimenta dicuntur tantum impedientia vel prohibentia?

R. Ea, quæ reddunt Matrimonium illicitum sed non invalidum, juxta hunc versum :

Impediunt fieri permittunt facta teneri.

Quot sunt impedimenta solum impedientia?

II. R. Quatuor hoc versiculo expressa :

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Antiquitus, ultra hæc quatuor, erant adhuc alia octo, scilicet Catechismus, et septem crimina, quæ pro aliquali juris veteris notitia his quatuor versibus subjunguntur :

Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Septem hæc impedimenta posteriora vix nota sunt amplius nec ullus eorum in Belgio noscitur usus : similiter impedimentum Catechismi, quod oriebatur ex instructione baptizandi, vel professione fidei nomine ejusdem in Baptismo facta, penitus sublatum videtur per Concilium Trident. Sess. 25. de reformatione Matrimonii cap. 2. ubi aufert omnem cognationem spiritualem præter eam, quam recenset ex Baptismo et Confirmatione, adeoque cum nullam hujus ex Catechismo exurgentis cognationis mentionem faciat, hæc abrogata censenda est.

Impedimentis prohibentibus tantum annumerari non solet hæresis, status peccati mortalis, ignorantia rudimentorum fidei, &c. quia hæc communia sunt etiam pro aliis Sacramentis, saltem vivorum, et quia hic præcipue agitur de impedimentis Matrimonii, prout est contractus, non prout est Sacramentum.

N. 66. DE ECCLESIAE VETITO.

I. *Ecclesiæ vetitum :* II. *Aliud est generale, aliud particulare.*

I. QUID est Ecclesiæ vetitum?

R. Est prohibitio nuptiarum facta per Superiorem Ecclesiasticum, putà Episcopum, Officialem, vel etiam Parochum.

II. Prohibitio una est generalis, ut cùm Ecclesia prohibet celebrare Matrimonium sine præviis denuntiationibus. Alia particularis, ut dum aliquibus prohibetur Matrimonium celebrare ex causa particulari, v. g. ob litem pendentem, suspicionem impedimenti, &c.

Quamvis Matrimonium, contra prohibitionem Superioris contractum, sit validum, possunt tamen sic contrahentes graviter puniri, potestque Judex etiam per censuras illos ad separationem adigere, si ob impedimenti dirimentis suspicionem illos jungi vetuerit, donec legitimè de valore eorum Matrimonii cognoscat, ita “cap. 6. tit. de Matrimonio con-
“tracto contra interdictum Ecclesiæ.”

Quid faciet Pastor, dum tertius aliquis ei denuntiat sponsam, v. g. esse obstructam per anteriorem promissionem?

R. Differet Matrimonium, eumque remittet ad Officialem Curiaë Spiritualis, ut inde asserat interdictum secundùm formam juris: expedit tamen ut Pastor ipse allaboret, ut partes inter se componant. Vide Syn. 2. Provinc. tit. 1 et supra num 25.

Quod spectat ad Matrimonium tempore interdicti, censuræ Ecclesiasticæ et cessationis à divinis, videatur in “tract. de Censuris.”

N. 67. DE TEMPORE FERIATO.

I. *Tempus feriatum* II. *Inchoat.* III. *Episcopus dispensat.*

I. TEMPUS feriatum quod etiam clausum dicitur, est illud, quod Ecclesiæ nuptias celebrare vetat, nempe “ab Adventu Domini Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et à Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis “inclusivè.” Ita Trid. sess. 24. cap. 10. ubi adverbium *inclusivè*, non tantùm refertur ad octavam Paschatis, sed etiam ad diem Epiphaniæ, ut notat Sanchez, sicque observat praxis hujus diœcesis.

II. Initium numerari debet à media nocte Dominicæ primæ Adventûs, (licèt Sanchez numerandum velit à primis vesperis) et à media nocte feriæ quartæ Cinerum; quia dies naturalis à media nocte inchoatur. Ita Bonacina, Braunman, &c.

Ratio quare Ecclesia illis temporibus celebrationem

nuptiarum vetet, est, quòd tunc fideles suos velit orationi et pœnitentiæ intentos. “Ipsa autem nuptiarum novitas (ait S. Thomas in 4. dist. 32. quæst. unicâ) ad voluptatum “curam animos occupat, illosque vana lætitia dissolvit.”

Quamvis autem jure communi illo tempore tantùm prohibeantur solemnitates Matrimonii, ut patet ex Concilio Tridentino loco citato, item ex Rituali Romano, dicente: “Memnisse debent Parochi, solemnitates nuptiarum tempore clauso prohibitas esse, quales sunt: nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest;”

In Belgio tamen, per consuetudinem contractus matrimonialis censetur etiam interdictus, idque praxis observat. Rationem dat Zypæus lib. 4. de Matrimonio, in suo jure Pontificio novo, quòd in his partibus semper benedicantur nuptiæ eo tempore, quo contrahuntur: unde cùm benedictio nuptiarum tanquam quid solemnè inhibeat, etiam inhibitum censetur Matrimonium.

Praxim hanc obligare sub gravi, docet Steyaert contra Sylvium.

Si Matrimonium ante tempus clausum fuerit contractum, vel ipso tempore clauso cum dispensatione contrahatur, convivia nuptialia, choreæ aliæque insolentiæ fieri solitæ, interdicuntur tempore clauso: vide Synod. Provincial. celebratam Lovanii, quæ id vetat sub pœna expressa, Synod. 1. Provinc. decret. cap. 7. de Matrimonio.

III. Dispensatio in tempore feriato conceditur ab Ordinario, idque jure consuetudinario, ut ait Daelman. Tempore clauso non prohibentur proclamationes, celebratio Sponsalium, neque consummatio Matrimonii.

F. 68. DE IMPEDIMENTO SPONSALIUM.

I. *Sponsalia impediunt Matrimon.* II. *Comprehenduntur etiam promissiones.* III. *Impediunt jure naturæ.*

I. QUOMODO Sponsalia impediunt Matrimonium?

R. Inquantùm Sponsalia valida cum una persona impediunt, seu prohibent Matrimonium cum quacumque alia persona, priori rationabiliter invitâ.

II. Sub Sponsalibus hîc etiam comprehenduntur simplices promissiones, juramenta et quæcumque aliæ obligationes, quibus aliquis alteri in ordine ad Matrimonium obstringitur.

Quo jure Sponsalia cum una persona impediunt Matrimonium cum alia?

R. III. Jure naturæ: quia corpus promissum uni, il-

licitè traditur alteri, priori rationabiliter invito : traditur tamen validè ; adeoque Matrimonium cum altero est validum.

Notandum, hìc non agi de impedimento Sponsalium dirimente, seu publicæ honestatis, quod Matrimonium reddit nullum cum consanguineis sponsæ in primo gradu : de hoc postea.

N. 69. DE IMPEDIMENTO VOTI.

I. *Quadruplex votum impediens.* II. *Conditio regulariter illicita.* III. *Impediunt jure naturæ.*

QUALE votum est impedimentum impediens tantùm Matrimonii ?

I. R. Votum simplex, idque est quadruplex, nempe :

1º. Votum simplex castitatis, eo excepto, quod post biennium probationis emittebatur in suppressa Societate Jesu ; nam hoc Matrimonium dirimebat.

2 . Votum ingrediendi religionem.

3º. Votum suscipiendi Ordines Sacros.

4º. Votum non nubendi ; hoc Matrimonium omnimodo prohibet : tria priora impediunt saltem contrahendum modo ordinario, seu cum intentione illud consummandi.

II. An habens votum simplex castitatis, licitè init Matrimonium, sub conditione eam servandi in pactum deducta ?

R. Præterquam quòd non satis constet, utrùm illa conditio in pactum deducta non repugnet substantiæ Matrimonii, utì vidimus N. 40 ; res illa etiam plena est periculis ; ut proinde, vel ex hoc solo capite regulariter sit illicitum Matrimonium sub tali conditione contrahere.

An habens votum castitatis, religionis ingrediendæ, vel Ordines sacros suscipiendi, licitè contrahit Matrimonium cum intentione occulta ante consummationem religionem ingrediendi ?

R. Sanchez cum plerisque aliis negat ; quia compartem graviter decipit, quæ certè Matrimonium nolisset contrahere, si intentionem alterius cognovisset. Adde, quòd talis etiam sæpe se exponat periculo, contra suum votum agendi.

Ad quid teneatur ille, qui, cum voto simplicis castitatis, Matrimonium contraxit, dictum est Num. 49 et 43.

Matrimonium contrahens cum voto non nubendi, peccat contrahendo ; sed post illud contractum, statim potest

reddere et petere debitum; nisi illud votum ex voventis intentione includeret votum castitatis.

Qui cum voto Ordines sacros suscipiendi, init Matrimonium, post elapsam primum bimestre, debitum reddere tenetur, et deinceps etiam petere potest.

Qui vovit ingredi religionem, peccat regulariter Matrimonium contrahendo, at illo semel consummato, potest licitè petere et reddere debitum. Dicunt tamen communiter Authores, quòd peccet graviter primâ vice Matrimonium consummando, sive petat, sive reddat, quod certò verum est primo bimestri; at illo elapso, cùm tunc probabilius invitâ comparte religionem ingredi non possit, ut dictum est N. 57, videtur tali casu licitè Matrimonium consummare posse, cùm votum sine peccato implere non possit; peccavit tamen graviter ante elapsam bimestre religionem non ingrediendo.

Hæc vota post mortem compartis reviviscunt, ut dictum est N. 49.

Quo jure dicta vota Matrimonium impediunt?

III. R. Jure naturæ; quia promissio facta in iis, jure naturæ prohibet traditionem faciendam per Matrimonium. Hic non tantùm peccat voto ligatus, sed etiam liber, qui scienter cum alio uno ex illis votis ligato, contrahit Matrimonium, quia scienter coöperatur violationi voti alterius; nisi fortè Matrimonium contraheretur ad legitimandam prolem jam natam, et ante consummationem, pars voto obstricta religionem ingrederetur, aliove modo religionem voti consuleret; tunc enim neutra pars peccaret.

N. 70. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

I. *Definitio.* II. *Sunt 16 impedimenta dirimentia.* III. *Non cessant ob ignorantiam.* IV. *Quandonam fornicatio inter quos est impedimentum, habet specialem malitiam.* V. *Ostenditur exemplis.*

QUID est impedimentum dirimens Matrimonium?

I. R. Illud quod Matrimonium contrahendum reddit invalidum inter personas, inter quas hujusmodi impedimentum intercedit.

Nota, quòd non dicatur dirimere, quasi dirimeret vel dissolveret Matrimonium antea validè contractum; sed quia irritat Matrimonium contrahendum, sive attentatum.

Quot et quæ sunt impedimenta dirimentia?

II. R. Communiter enumerantur quindecim quibus ab aliquibus additur defectus ætatis; sicque numerantur 16 sub his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
 Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
 Amens, affinis, si clandestinus et impos,
 Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
 Si impubes, ni fortè potentia suppleat annos:
 Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Duo ex his impedimentis, clandestinitas nempe et raptus, introducta sunt jure novo per Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1. et 6.

III. An illa impedimenta dirimunt Matrimonium, quando contrahentes illa invincibiliter ignorant, aut quando necessitas urget, v. g. periculum mortis?

R. Affirmativè: quia perseverat ratio irritandi; unde lex non cessat, quatenus irritans, licet cessare possit, quatenus prohibens, et ita contrahentes à peccato excusari possunt, uti videbimus agendo de impedimento *vis*.

An validè contrahit Matrimonium, qui erroneè putat, se habere impedimentum dirimens respectu personæ quâcum contrahit?

R. Si tales intendat consentire quantum in se est, Sanchez et Neesen validè ipsum contrahere sustinent; quia est habilis ad contrahendum, et intendit contrahere in quantum potest. Sed hoc mirum non est; quia tunc consensus videtur esse quasi conditionatus, *si possim*; quod est extra hypothesim: ubi ergo similis intentio non formatur, videtur respondendum sub hac distinctione: si talis putet non obstante impedimento dirimente, validum posse contrahi Matrimonium, Matrimonium valebit; si verò putet se non posse, Matrimonium erit invalidum defectu consensûs: ratio hujus est, quòd voluntas non possit efficaciter ferri in id, quod intellectus proponit ut impossibile.

IV. An copula fornicaria aut aliæ luxuriæ inter personas, inter quas est impedimentum dirimens, habent specialem malitiam in confessione exprimendam.

R. Sanchez lib. 7. distinc. 5. N. 7. respondet sub hac distinctione: “quando impedimentum statutum est ex
 “ speciali virtutis motivo, ratione cujus inter illas personas
 “ dedecet copula carnalis; tunc prohibitâ copulâ conjugali
 “ censetur etiam specialiter prohibita fornicaria: si autem
 “ impedimentum solummodo statutum sit in alicujus cri-
 “ minis pœnam, aut ad aliquod malum præcavendum;

“ tunc prohibita copulâ conjugali in impedimento, non
 “ etiam propterea prohibita specialiter censetur fornicaria.”

V. Ex his cum Sanchez deduci possunt sequentia :

1°. Copulam fornicariam, inter quos est impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, sive ex copula licita sive illicita, contrahere specialem malitiam incestûs.

2°. Si copula habeatur inter illos, inter quos est impedimentum cognationis legalis, accedit huic specialis malitia reductiva ad incestum.

3°. Si copula habeatur inter illos, inter quos est impedimentum cognationis spiritualis, contrahit inde malitiam cujusdam incestûs spiritualis : quidam volunt esse sacrilegium, quia copula interdicta est ob reverentiam Sacramenti, et simul habere modum incestûs : eò quòd assimuletur violationi cognationis carnalis.

4°. Copula fornicaria inter quos est impedimentum publicæ honestatis, induit etiam quamdam malitiam incestûs : vide quoad hæc, tract. de temperantia.

5°. Ratione impedimenti disparitatis cultûs copula inter fidelem et infidelem habet specialem malitiam contra virtutem Religionis ; quia Ecclesia inter eos Matrimonium irritat, eò quòd cedat in Religionis dedecus : quæ ratio etiam reperitur in copula fornicaria ; deinde quòd sit periculum educandi prolem in infidelitate, et subversionis partis fidelis.

6°. Ratione impedimenti voti vel Ordinis sacri, copula induit malitiam sacrilegii ; non videtur tamen esse duplex circumstantia, inquantum agitur contra votum, et inquantum contra prohibitionem Matrimonii ; quia utrobique est idem prohibitionis motivum.

7°. Ratione impedimenti ligaminis, copula contrahit malitiam adulterii, ubi iterum non est duplex circumstantia, licet agatur contra fidem Matrimonii et contra impedimentum ; quia utrobique est eadem prohibendi ratio.

8°. Ratione impedimenti impotentiae accedit copulæ, seu ejusdem attentationi, malitia peccati contra naturam.

Specialis illa malitia etiam reperitur inter personas, inter quas est impedimentum tantum impediens, si motivum prohibitionis Matrimonii etiam militet contra copulam fornicariam, et ita ratione simplicis voti castitatis copula habet malitiam sacrilegii, non tamen est duplex circumstantia, ut dictum est supra casu sexto.

Similiter Sanchez existimat in copula fornicaria partis Catholicæ cum hæretica reperiri malitiam contra religio-

nem; quia quamvis validum sit Matrimonium cum parte hæretica, per se tamen est illicitum et dedecus religionis: item ob periculum perversionis, educationis prolis in hæresi, quæ rationes militant etiam in copula fornicaria.

E contra non reperitur specialis malitia in copula fornicaria inter personas, quæ habent impedimentum, sive dirimens, sive impediens tantum; si ratio prohibitionis Matrimonii non reperiatur in copula fornicaria; et ita non videtur copula inter quos est impedimentum criminis, inde contrahere speciale malitiam; quia Ecclesia hoc impedimentum statuit in pœnam delicti, et ut auferatur occasio adulterandi, vel compartem occidendi, sub spe Matrimonium cum complice contrahendi, quæ rationes non reperiuntur in copula fornicaria.

Pariter copula raptoris cum muliere rapta adhuc sub ejus potestate constituta, si illa consentiat in copulam, non contrahit specialem malitiam: quia ratio impedimenti raptûs, est plena libertas pro amplectendo statu perpetuo, quæ ratio non militat in copula.

An specialis malitia reperiatur in copula fornicaria inter eos, quibuscum est dispensatum, examinabitur infra, ubi de dispensatione in impedimentum Matrimonii.

N. 71. DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

- I. *Definitio.* II. *Divisio.* III. *Error substantialis dirimit Matrimonium jure naturæ.* IV. *Qualiscumque sit.* V. *Error accidentalis per se non dirimit Matrimonium.* VI. *Excipiuntur tres casus.* VII. *Explicatur primus casus.* VIII. *Secundus casus.*

QUID est impedimentum erroris?

I. R. Error qui est impedimentum Matrimonii, est judicium erroneum, quo quis putat personam, quacum Matrimonium contrahit, esse aliam, quam à parte rei est.

II. Pro elucidatione notanda est divisio in errorem substantialem et accidentalem, item in errorem antecedentem, et concomitantem.

Quis error dirimit Matrimonium?

III. R. Error substantialis, qui etiam dicitur error personæ, v. g. quis putans contrahere cum Anna, contrahit cum Catharina. Ratio est, quòd ad Matrimonium requiratur consensus; consensus autem in casu non fertur in personam, quacum contrahitur, sed in eam quæ adesse putatur, unde patet errorem irritare Matrimonium jure naturæ, defectu consensûs.

IV. Perinde est, sitne error ille antecedens, sive concomitans, vincibilis vel invincibilis, crassus vel affectatus, sive procedat ab ipso contrahente sive ab alio, qui ipsum decepit, quia equidem non est consensus directus in personam præsentem.

Si tamen error fuerit culpabilis, tunc quamvis Matrimonium sit invalidum, tenebitur equidem resarcire damna, si quæ alteri parti, bonâ fide contrahenti, ex nullitate contractûs obvenerint.

Obj. I. Error personæ in aliis Sacramentis non impedit valorem, et ita Sacerdos validè baptizat Petrum, putans esse Joannem; ergo à pari.

R. Disparitas est, quòd intentio baptizantis aut aliud Sacramentum conferentis non restringatur ad peculiarem personam, sed illa primariò et directè fertur in confectionem Sacramenti: in Matrimonio autem primariò et directè intentio fertur in personam, tanquam in rem, de qua contrahitur.

Obj. II. Error personæ in aliis contractibus non officit valori, ut si quis putans se vendere equum Petro illum vendat Paulo; ergo, &c.

R. Disparitas est, quòd, ut jam tetigimus, in aliis contractibus persona non sit res seu objectum *quod*, de quo contrahitur, in contractu autem Matrimonii persona est objectum *quod*, de quo contrahitur.

Obj. III. Jacob Genes. 29. erravit in persona Liæ, et tamen validum habuit cum ea Matrimonium; ergo, &c.

R. Validum non fuit Matrimonium ab initio, sed tantùm postquam Jacob cognito errore, in Liam censensit.

An error accidentalis fortunæ vel qualitatis etiam dirimit Matrimonium?

V. R. Per se non dirimit, quia habetur consensus directus in substantiam, et tantùm erratur circa accidentia, et ita, v. g. quis validè Matrimonium contrahit cum paupere, quam putabat divitem, cum corrupta, quam credebat virginem, cum rixosa, quam pacificam judicabat, &c. quamvis etiam per dolum vel fraudem deceptus fuisset; quia fraus illa non inducit errorem circa substantiam: idem erit à fortiori, si tantùm erret circa nomen, neque rescindibilitas hîc locum habet, quia Matrimonium est indissolubile; et hinc injuria, si quæ commissa sit, alio modo debet reparari.

Nec obest, quòd talis, si illam pauperem, rixosam, &c. scivisset, Matrimonium non contraxisset, quia non debet

respicí, quid fecisset, sed quid fecerit. Jam autem supponitur, quòd absolutè in illam personam consenserit. Aliud foret, si consensum suum conditionatè ab illis qualitatibus suspendisset; quia tunc Matrimonium defectu consensûs esset invalidum.

An error qualitatis, vel accidentis aliquando dirimit Matrimonium?

VI. R. Affirmativè, idque in triplici casu, nempe:

1^o. Quando est error qualitatis redundantis in substantiam seu personam.

2^o. Quando contrahens efficaciter consensum suum suspendit à tali qualitate.

3^o. Quando est error conditionis servilis; de quo N. sequenti.

Quandonam error qualitatis censetur redundare in substantiam seu personam?

VII. R. cum S. Thoma q. 51. art. 2. ad 5. dum consensus directè fertur in illam qualitatem, seu in personam, sub illa qualitate; tunc autem signanter censetur contrahens primariò et directè illam qualitatem intendere, quando qualitas est notabilis et singularis, et persona non est ipsi nota, nisi sub tali qualitate; et ita mulier putans contrahere cum primogenito Regis, quicumque ille sit, si alius præsentetur, Matrimonium est nullum: si verò persona non tantùm sub ista qualitate, sed etiam aliunde alteri sit cognita, licèt hic illam erroneè nobilem, virginem, primogenitam, &c. putat, consensus censetur directè ferri in personam, et proinde error qualitatis est accidentalis, et non irritat Matrimonium.

Vagus quidam jactitabat se nobilem et multorum bonorum possessorem, quo titulo frequentabat puellam nobilem; hæc ipsi nuptias spondet, si genus suum probet: probat ille fictis testimoniis, et nuptiæ celebrantur: postea detegitur omnium falsitas, ipseque est ex infima plebe: quæritur quid judicandum de valore istius Matrimonii?

R. Cùm vagus ille jam esset aliunde puellæ notus, error in quem per fraudem alterius puella inducta est, fuit tantùm circa accidens; unde puellam illam in personam directè consensisse, censendum est, adeoque Matrimonium valere.

VIII. Joannes putans se contrahere Matrimonium cum Catharina, contrahit cum Anna, ita tamen animo constitutus, ut si scivisset esse Annam, equidem cum ea contraxisset: quid judicandum de tali Matrimonio?

R. Matrimonium cum Anna est invalidum; quia contractum est cum errore concomitante circa substantiam sive personam; nec habitualis illa dispositio facit, ut actualiter in Annam consentiat. Aliud esset, si ita esset dispositus, ut actu et et absolutè consentiat in personam præsentem, quæcumque illa sit, vel si non circa personam erraret, sed circa nomen, vel si ita actualem consensum direxisset in Annam sub conditione si sit præsens: validum enim his casibus Matrimonium erit.

N. 72. DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS.

I. *Quandonam dirimat Matrimonium.* II. *Dirimit jure Ecclesiastico.* III. *Fortè etiam jure gentium.*

QUID est impedimentum conditionis?

R. Est impedimentum, quo irritatur Matrimonium inter servum, seu mancipium, et personam liberam, servitutis alterius ignaram.

Per conditionem ergo intelligitur conditio servilis, seu servitus strictè dicta, quæ talis est, ut Dominus in servum plenam habeat libertatem, eum tanquam rem suam aliis vendendi, locandi, &c.

I. Illa autem servitus tunc tantùm dirimit Matrimonium, quando altera pars est libera, et servitatem prioris ignorat, ita ut non ipsa servitus, sed error servitutis dirimat Matrimonium; hinc valet Matrimonium, si persona libera illud contrahat cum serva, modò libera sit servitutis conscia: item juxta Sanchez et Sylvium, si servus contrahat cum serva, putans eam esse liberam.

Quo jure hoc impedimentum dirimit Matrimonium?

II. R. Jure positivo Ecclesiastico: patet ex cap. AD NOSTRAM, de conjugio servorum, lib. 4. decret. tit. 9. et can. SI QUIS INGENUUS, caus. 29. quæst. 2. non videtur autem dirimere jure naturæ, licèt ipsi valdè consentaneum videatur propter maximam illam inæqualitatem, quæ est, dum pars libera traderet plenam sui corporis potestatem servæ tradenti tantùm restrictam, et multis modis impeditam: III. unde jus gentium impedimentum hoc introduxisse videtur, cùm lex scripta idem introducens non reperiatur: nam leges supra ex Jure Canonico allegatæ illud non statuunt, sed potius supponunt et confirmant.

Cùm hæc patria non ferat servos strictè dictos, (imò teste Zypæo beneficio regionis hîc fiant liberi,) sed tantum famulos et mercenarios, non est opus hîc plura inquirere.

N. 73. DE IMPEDIMENTO VOTI.

- I. *Votum dirimit Matrimonium* II. *Jure Ecclesiastico.*
 III. *An jure naturæ, disputatur.*

QUALE votum est impedimentum dirimens Matrimonium?

I. R. Votum solemne emissum in religione approbata, secundum Concilium Trident. sess. 24. can. 9. huic Gregorius XIII. Bullâ ASCENDENTE DOMINO, etiam adjunxerat votum simplex à scholaribus in Societate suppressâ post beinnum probationis emitti solitum.

Quo jure votum solemne dirimit Matrimonium?

II. R. In primis certò dirimit jure Ecclesiastico, ut patet ex Concilio Tridentino loco citato et variis capitulis juris canonici.

At acris est controversia: an votum solemne etiam jure naturæ dirimat Matrimonium subsequens?

III. R. S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. et suppl. q. 53. art. 2. affirmativam tenet sententiam, quam etiam amplexi sunt Sylvius, Collet, Steyaert, Billuart, &c. Ratio illorum est, quòd votum solemne non tantum involvat promissionem, sed etiam traditionem, quâ sicuti in Matrimonio corpus traditur comparti, ita hîc quis corpus suum tradit religioni ad continentiam, et à se abdicat omnem potestatem ad actus venereos, hocque à superiore religionis vice Dei acceptatur; ergo, inquiunt, jure naturæ invalidè postea traderet suum corpus in Matrimonio ad usum conjugalem: sententiam hanc à præcipuis objectionibus vindicatam vide tract. de Religione.

An Pontifex in voto solemni dispensare potest?

R. Si votum solemne tantum dirimat jure Ecclesiastico Matrimonium, Pontifex certè in eo dispensare potest: illi verò qui docent votum illud jure naturæ dirimere Matrimonium, etiam passim docent post S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Pontificem in illo voto dispensare non posse. Vide tract. de virtute Relig.

N. 74. DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

S. Thom. suppl. quæst. 54.

- I. *Triplex cognatio.* II. *Consanguinitatis.* III. *Linea*
 IV. *Recta,* V. *Collateralis.* VI. *Hæc est æqualis vel*
inæqualis. VII. *Stipes.* VIII. *Gradus.*

QUOTUPLEX est cognatio dirimens Matrimonium?

I. R. Triplex, scilicet cognatio carnalis, quæ dicitur

consanguinitas, quasisanguinis unitas : cognatio spiritualis, quæ etiam nunc vocatur compaternitas ; et cognatio legalis, quæ per adoptionem contrahitur : de prima hîc agendum ; de aliis infra.

Quid est cognatio carnalis, sive consanguinitas ?

II. R. Est vinculum personarum à communi et propinquo stipite descendentium, vel quarum una sic descendit ab altera.

Ex hac definitione patet, consanguinitatem etiam contrahi cum illegitimis et spuriiis.

Quomodo distingui et mensurari solet consanguinitas ?

R. Distinguitur per lineas, et linea mensuratur per gradus.

III. Linea est series personarum consanguinearum, et dividitur in lineam rectam et collateralem seu transversam.

IV. Linea recta est series consanguineorum, quorum alter ab altero descendit ; ita filius, pater, avus, &c. sunt consanguinei in linea recta.

V. Linea collateralis seu transversa est series consanguineorum, qui ab eodem stipite communi descendunt ; nullus tamen ab alio : sic frater et soror, patruus et neptis, sunt consanguinei in linea collateralis.

VI. Linea collateralis est duplex : æqualis scilicet, quando consanguinei æqualiter distant à stipite communi, ut duo fratres, duo consobrini, &c. et inæqualis seu mixta, dum à stipite communi distant inæqualiter, ut patruus et neptis.

VII. Stipes seu truncus, sive radix vocatur illa persona, à qua descendentes communem trahunt originem : sic respecta fratrum et sororum, communis stipes est pater vel mater.

VIII. Gradus est mensura seu distantia consanguineorum tum à se invicem, tum à communi stipite.

N. 75. DE MODO COMPUTANDI GRADUS CONSANGUINITATIS.

I. *Modus computandi gradus consanguinitatis.* II. *In linea recta ;* III. *Collaterali æquali ;* IV. *In collateralis inæquali.* V. *Modus computandi juris civilis in linea laterali.*

PRO computandis gradibus consanguinitatis solent tradi tres sequentes regulæ :

I. Primo : in linea recta duæ personæ tot gradibus ab invicem distant, quot in generationis processu numerantur

personæ, dempta una, quæ stipes est: sic pater et filia sunt duæ personæ: si demas stipitem, qui pater est, restat una, adeoque pater et filia se contingunt in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ. Avus et neptis in secundo; dempto enim avo, restant neptis et pater ejus vel mater, et sic de cæteris. In modo computandi gradus in linea recta jus canonicum et civile conveniunt.

II. 2°. In linea collateralis duo consanguinei æqualiter distantes à communi stipite tot gradibus distant inter se, quot distat unus à communi stipite: III. ita frater et soror distant uno gradu, sive se contingunt in primo gradu consanguinitatis lineæ collateralis, duo consobrini in secundo, &c.

IV. 3°. In linea collateralis duo consanguinei inæqualiter distantes à communi stipite tot gradibus distant inter se, quot distat à communi stipite persona remotior: sic avunculus et neptis sunt consanguinei in secundo gradu lineæ collateralis; quia avunculus uno, neptis verò duobus gradibus distat à stipite communi.

Solet tamen distantia utriusque gradûs exprimi, idque exigit stylus Curia Romanæ pro petenda dispensatione, et ita in allegato exemplo avunculus et neptis sunt consanguinei in primo et secundo gradu mixtim.

Nota, quòd modus hic computandi gradus consanguinitatis in linea collateralis, sit secundum jus canonicum, quod observari debet in impedimentis Matrimonii et dispensatione in illis obtinenda.

V. Secundum jus civile alia fit computatio in linea collateralis; et consanguinei tot gradibus inter se distare dicuntur, quot sunt generationes ab utraque parte seu quot sunt personæ in linea recta ab utraque parte dempto stipite; et ita computu civili frater et soror sunt consanguinei in secundo gradu, qui secundum jus canonicum sunt in primo gradu: similiter duo consanguinei, quorum unus distat à stipite communi duobus, alter tribus gradibus, secundum jus civile distant quinque gradibus inter se, et juxta jus canonicum sunt consanguinei in secundo et tertio gradu mixtim.

Hinc patet, quòd computu civili insistendo plura Matrimonia essent valida, quæ in computu canonico sunt invalida: atque hinc Alexander III. causa 25. q. 5. can. AD SEDEM, graviter invehitur in illos, qui juxta modum computandi civilem Matrimonia contraxerant, quæ secundum computum canonicum erant invalida. Computus ergo

civilis tantùm attendi debet in causis civilibus, ut pro acquirenda hæreditate, &c.

Pro clariori linearum et graduum intelligentia vide appositum schema exhibens arborem consanguinitatis.

N. 76. DE GRADIBUS CONSANGUINITATIS DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM.

I. *Concernit etiam illegitimos.* II. *Si unus excedat quartum gradum, cessat impedimentum.* III. *Rationes hujus impedimenti.*

AD quem gradum consanguinitas dirimit Matrimonium?

R. Jure Ecclesiastico dirimit ad quartum gradum inclusivè, non ultra. Ita statuit Innocent III. in Conc. Lateranensi IV. anno 1215. quæ lex usque ad hæc tempora observatur et reperitur in cap. NON DEBET, de consang. et affinitate, lib. 4. decret. tit. 44.

Ante præfatum Concilium non eadem fuit Ecclesiæ disciplina; nam primis Ecclesiæ sæculis non videtur hoc impedimentum fuisse extensum in linea callaterali ad quartum gradum: à sæculo verò septimo extensum fuit usque ad septimum consanguinitatis gradum, donec per dictum Concilium Lateranense fuit restrictum ad quartum gradum.

In quibus gradibus Matrimonium in veteri Lege fuerit prohibitum: vide Levitici 18. et in Analogia Becani cap. 21. q. 2.

Nota, quòd præfatum impedimentum usque ad quartum gradum inclusivè etiam locum habeat respectu eorum, qui in communi stipite conveniunt solùm ratione unius personæ, qui ex eodem patre non ex eadem matre geniti sunt, et vocantur fratres consanguinei; vel qui ex eadem matre non ex eodem patre nati sunt, et vocantur fratres uterini.

I. Eadem ratio quoad hoc impedimentum et modum supputandi gradus, est spuriorum et illegitimorum atque legitimorum. Vide N. 74.

An illud impedimentum dirimens est etiam inter consanguineos, quorum alter quartum gradum excedit?

II. R. Negativè: juxta cad. VIR QUI, de consanguinit. et affinitate; et ita si quis esset in primo, et alter in quinto gradu consanguinitatis lineæ collateralis, validum inter illos erit Matrimonium: de quinto gradu lineæ rectæ dicetur Num. sequenti.

Ob quas rationes irritatur Matrimonium inter consanguineos?

R. S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. in Corp. assignat tres rationes.

Prima, quia commixtio carnalis est contra honorificentiam illis debitam, qui vel à se invicem, vel ex eodem stipite de propinquo originem trahunt.

2^o. Quia familiaritas consanguineorum, quos simul conversari necesse est, præberet ansam effrenatæ libidini, si à Matrimonio inter se non arcerentur.

3^o. Quia aliàs impediretur multiplicatio amicorum: ad plures enim amicitia propagatur quando extranei in familiam per Matrimonium assumuntur: III. deinde S. Thomas addit quartam rationem ex Aristotele, quia cùm naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commixtione carnali, esset nimius ardor amoris et maximum libidinis incentivum, quod repugnat castitati.

N. 77. QUO JURE CONSANGUINITATIS DIRIMIT MATRIMONIUM.

I. *In primo gradu lineæ rectæ jure naturæ dirimit Matrimonium.* II. *Solvitur fundamentum.*

CONSTAT ex dictis N. præced. quòd consanguinitas dirimat Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè jure Ecclesiastico: quæritur nunc an aliquis gradus dirimat Matrimonium jure naturæ.

R. Quidam in nullo gradu Matrimonium jure naturæ dirimi volunt: eò quòd rationes supra allegatæ tantùm probare videantur Matrimonium tale esse jure naturæ illicitum, non autem irritum.


I. Communis tamen sententia et practicè certa habet, quòd consanguinitas primi gradûs in linea recta jure naturæ dirimat Matrimonium, ut inter patrem et filiam, matrem et filium: ratio est, quòd sit contrarium pudori maximèque repugnet reverentiæ parentibus debitæ, quòd nati per Matrimonium illis associantur ut æquales, et eorum revelent turpitudinem; unde et gentiles ejusmodi Matrimonia detestati fuerunt, et bruta moderatiora à simili congressu abhorrere, tradit S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. ex Aristotele: idemque docet Plinius lib. 9. historiæ naturalis cap. 42. Hâc ratione etiam probatur, ut observat S. Thom. hîc q. 54. art. 3. in Corp. magis adhuc repugnare rationi, quòd mater nubat filio, quàm quòd pater ducat filiam; quia priori casu magis derogatur reverentiæ parentibus debitæ, cùm mater tanquam uxor aliquàlter filio subjiceretur.

vd Neptis.
4.

ocue distinctè
nis assignat
inferior verò

F
Sor
vel

Abnepos
vel
Abneptis.





Quantum ad reliquos gradus lineæ rectæ, multi docent eos Matrimonium dirimere in infinitum jure naturæ, eò quòd descendens in suo esse dependeat ab ascendentibus, adeoque eos tanquam parentes debeat revereri, atque inde volunt quòd Henoch, à quo omnes descendimus, reversurus contra Antichristum; cum nulla posset Matrimonium inire.

Plures tamen dicunt, non omnes gradus lineæ rectæ jure naturæ Matrimonium dirimere; imo multi hoc ad primum gradum restringunt: ratio est, quòd non sit tanta indecentia copulæ cum consanguineis remotioribus, quanta est cum proximis parentibus, ut jure naturæ Matrimonium dirimatur, licet sit sufficiens, ut legislator illud dirimat, et ita jure civili lib. 1. institut. tit. 10. de nuptiis, Matrimonium in linea recta dirimitur in infinitum; eamque legem adoptavit Nicolaus I. in responsione ad Bulgaros. Huic tamen legi per Canonem *NON DEBET*, supra ex Concilio quarto Lateranensi allegato, derogatum videtur, attento quòd ibidem, nullâ factâ lineam rectam inter et collateralem distinctione, generaliter decernatur: "Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum non excedat."

An in linea collateralis aliquis gradus consanguinitatis dirimit Matrimonium jure naturæ?

R. Sanchez, Sylvius, &c. Matrimonium jure naturæ irritum putant in primo gradu lineæ collateralis: ratio illorum est, quòd S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. in Corp. dicat: "Naturaliter hominem debere quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ab eisdem parentibus de propinquo originem ducunt:" jam autem, inquit, commixtio carnalis repugnat isti honorificentiae, ideoque Matrimonium inter patrem et filiam jure naturæ nullum est, ergo ob eandem rationem etiam nullum dici debet inter fratrem et sororem.

Pontius tamen, Salmanticenses, Daelman, Billuart, aliique sustinent tale Matrimonium jure naturæ non esse irritum; atque huic sententiæ apertè favere videtur S. Thom. loco mox citato ad 3. ubi, postquam docuisset Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ esse nullum, subjungit: aliæ verò personæ, quæ non junguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam; sed variatur circa hoc decencia vel indecentia secundum consuetudinem et legem (humanam vel divinam)... et ideo sicut S. Augustinum dicit lib. 15. de civit. Dei cap. 16. "Commixtio sororum et fratrum

“quantò fuit antiquior compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior religione prohibente.”

Similiter S. Thom. Suppl. quæst. 54. art. 3. in Corp. nullitatem Matrimonii in omnibus gradibus consanguinitatis, excepto primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, adscribit juri positivo divino in veteri lege, et Ecclesiastico in nova.

II. Quare ad fundamentum aliorum responderi potest, quòd honorificentia fratribus, &c., debita, quidem efficiat, ut (seclusâ necessitate, qualis erat inter filios et filias Adæ) Matrimonium inter fratres et sorores illicitè contrahatur; non tamen impediat, quominus validè contrahatur, eoque contracto, commercium carnale inter illos licitè exerceatur; sicuti prodigus illicitè quidem, sed validè promittit, factâque promissione, illam licitè exequitur: adeo verò copula carnalis in primo gradu lineæ rectæ naturali pudori ac reverentiæ parentibus debitæ repugnat, ut etiam posito Matrimonio, adhuc turpe esset tales personas inter se commisceri; adeoque, cùm ad turpe jus acquiri nequeat, sequitur, Matrimonium inter illos debere esse nullum: accedit etiam, quòd societas conjugalis cum subjectione parentibus debita non possit subsistere.

Cæterùm, ultra primum gradum lineæ collateralis Matrimonium non dirimi ferè omnes admittunt, idque practicè certum est, quandoquidem Pontifices in illis gradibus sæpius dispensaverint.

Nota ex cap. GAUDEMUS, de divortiiis tit. 19. lib. 4. duos conjugatos non baptizatos, si solùm sint consanguinei in secundo vel ulterioribus gradibus lineæ collateralis, separandos non esse, dum ad fidem convertuntur.

Item juxta Cajetanum, Sylvium, Collet et alios, si quis non baptizatus duxisset nepotem suam, ipsum in secundo gradu lineæ rectæ contingentem, ab illa, ab fidem conversus, separari non deberet; attento quòd Matrimonium inter illos probabiliùs validum fuerit. Idem dicendum videtur de Matrimonio, quod frater et soror in infidelitate contraxissent, quamvis Sylvius et Collet putantes tale Matrimonium jure naturæ esse nullum, illud negant; nemo interim privato suo judicio in simili dubio procedere posset; sed Ecclesiam consulere deberet, quæ. ut notat Collet, hactenus occasionem non habuit pronuntiandi super illo puncto, et fortè nunquam habebit; attento quòd vix ulla sit natio tam barbara, ubi à lege civili vel consuetudine similia Matrimonia non irritentur.

Unde pro infidelibus inquiri debet, quæ leges aut con-

suedines vigeant in loco, ubi Matrimonium contraxerunt, ut adhuc dictum est supra N. 49. et ita per jus civile Romanum, quod obtinet in hac patria, Matrimonium inter fratrem et sororem est nullum.

Nota, quòd in quibusdam regionibus Matrimonium contrahatur solùm ad tempus, v. g. ad annum, tres annos, t&c. quo casu Matrimonium ab initio invalidum est; quiaialis modus repugnat substantiæ Matrimonii, nempe ejus indissolubilitati. Vide N. 55.

N. 78. DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS.

I. *Personæ inter quas hoc impedimentum contrahitur.* II. *Dirimit jure Ecclesiastico tantùm.* III. *Impedimentum supponitur in Baptismo conditionato.* IV. *In Baptismo privatim collato contrahitur à baptizante, et probabiliter à susceptoribus.* V. *Non autem in suppletionem cæremoniali.* VI. *Suscipiens per procuratorem contrahit impedimentum, non procurator.* VII. *Disputatur, utrum requiratur contactus physicus.* VIII. *Non Baptizatus est incapax cognationis spiritualis.* IX. *In Baptismo tantùm possunt admitti duo susceptores.* X. *Si tantum plures admittantur omnes probabilius cognationem contrahent.* XI. *Quid si quis propriam prolem baptizet.* XII. *Excipitur ignorantia vel necessitas.* XIII. *Cognatio Matrim. superveniens impedit petitionem debiti.* XIV. *Quæ ignorantia,* XV. *Et necessitas intelligatur.*

QUID est cognatio spiritualis?

R. Est propinquitas personarum proveniens ex Baptismo vel Confirmatione.

Inter quas personas contrahitur impedimentum cognationis spiritualis?

I. R. Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de Reform. impedimentum hoc restrinxit ad has personas, scilicet ut baptizans et susceptores ab una parte singuli contrahant impedimentum cum prole baptizata et ejus parentibus ab altera parte, nimirum cum baptizato per modum paternitatis et filiationis quasi in linea recta, et cum ejus parentibus per modum compaternitatis quasi in linea transversa.

Eodem planè modo oritur impedimentum cognationis spiritualis ex Confirmatione, scilicet: confirmans et tenens ab una parte contrahunt impedimentum cum confirmato ejusque parentibus ab alia parte.

Igitur susceptores seu patrini non contrahunt impedi-

mentum inter se, nec cum baptizante; proinde patrinus et matrina alienæ prolis, possunt inter se Matrimonium inire; item duo conjuges possunt eandem prolem alienam suscipere, absque eo, quòd ab usu conjugii impediatur; et sic S. Pius V. declaravit in bulla, CUM ILLIUS VICEM, datâ anno 1566: similiter baptizatus ejusque parentes non contrahunt impedimentum cum conjuge baptizantis aut tenentis.

Cæteræ cognationes spirituales, de quibus videri potest S. Thom. Suppl. quæst. 56. art. 4 et 5. per Concilium Tridentinum loco citato, penitus sublatae sunt.

Quo Jure cognatio spiritualis dirimit Matrimonium?

II. R. Jure merè Ecclesiastico, Ecclesia enim ad normam cognationis naturalis impedimentum hoc constituit, eò quòd Baptismus sit quædam generatio spiritualis, et Confirmatio ejusdem perfectio.

Notandum, hoc impedimentum tantùm oriri ex Baptismo et Confirmatione validè susceptis.

An hoc impedimentum oriatur ex Baptismo sub conditione, si non es baptizatus, collato?

III. R. cum Sylvio, quamdiu non constat Baptismum antea validè fuisse collatum, tandiu supponitur impedimentum ex tali Baptismo fuisse contractum: quamquam, quia dubium est, utrum cognatio reipsa contracta sit, facilius in ea dispensetur; unde in registro baptismali annotari debet, Baptismum sub conditione fuisse collatum.

An contrahitur hoc impedimentum ex Baptismo sine solemnitatibus collato, v. g. domi ab obstetrice?

IV. R. Certè baptizans impedimentum contrahit: de susceptoribus negant Sanchez, Soto, alique, eò quòd tali casu dici non possit, quòd baptizatum de sacro Fonte suscipiant, prout requirere videtur Concilium Tridentinum. Hanc sententiam Collet in praxi tutam dicit; cui tamen ob Sylvii aliorumque gravium Authorum contra tenentium auctoritatem adhærere non ausim, neque illa verba, “de sacro Fonte suscipiant,” ex Tridentino adducta urgent: ideo enim Tridentinum adhibuit ista verba, quia ibi agebatur de admissione patrini ad Baptisma solemne, in quo sic fieri solet: non autem hoc tanquam omnino necessarium ad hoc impedimentum contrahendum requisivit, nam circa initium ejusdem capituli secundi, ad hanc cognationem tantùm requirit “ut unus, vel unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant,” nullâ sacri Fontis factâ mentione. Vide Sylvium, part. 3. q. 67. art. 7.

An contrahitur hoc impedimentum, quando Baptismate validè collato, postea suppleantur ceremoniæ?

V. R. Negativè: quia tunc Sacramentum Baptismi non confertur: unde illi, qui in solis solemnitatibus adhibiti fuerunt, non tanquam simpliciter patrini in registro baptismali annotari debent; sed ut patrini Catechismi, qui nullum inducit impedimentum; uti probavimus N. 65.

Uter hanc cognationem contrahit, procurator, an ille, cujus nomine proles suscipitur?

VI. R. Eam non contrahit procurator, sicut nec contrahit reliquas patrini obligationes; sed ipse principalis, qui et cæteras contrahit obligationes; quia juxta regulas juris: Quod quis per alium facit, per seipsum facere censendus est. Hanc responsionem à Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum firmatam esse, referunt Sylvius et Fagnanus; unde in registro baptismali annotari debet ille, qui per procuratorem prolem suscipit.

An ad hoc impedimentum requiritur, ut suscipiens physicè tangat baptizandum vel confirmandum?

VII. R. Affirmant Sanchez, Neesen, Daelman, &c. quia Concilium Tridentinum et Canones actum patrinorum exprimentes, constanter utuntur verbis suscipere, tangere, tenere, &c. hinc Pastorale Meehliniense præscribit, ut Sacerdos præcipiat susceptoribus apponere manum baptizando.

Negant Sylvius, Braunman, aliique; et sufficere existimant tactum moralem, ut si patrinus verbis aut signis baptizandum aut confirmandum præsentet, aut suscipiat, quod probant exemplo statim allegato, ubi quis per procuratorem prolem suscipit, qui tactus certè tantum est moralis: hæc sententia apparet priori probabilior. Vide Sylvium 3. part. q. 67. art. 7.

VIII. Non baptizatus baptizans vel suscipiens aliquem, non contrahit hoc impedimentum, licèt ipse postea baptizetur; quia est incapax cognationis spiritualis contrahendæ. Similiter fidelis baptizans vel tenens prolem mulieris non baptizatæ, contrahit quidem impedimentum cum prole, sed non cum ejus matre; adeoque, cum ipsa, si postea baptizetur, potest sine dispensatione Matrimonium inire.

Baptizatus non confirmatus est certò capax cognationis spiritualis ex Baptismo; an etiam ex Confirmatione, disputatur; negat Sanchez, eò quòd non confirmatus ab officio patrini arceatur in Confirmatione juxta can. 102. de Consecratione dist. 4. ubi dicitur: "in Baptismate vel Chris-

“mate (Confirmatione) non potest alium suscipere in “filiolum ipse, qui non est baptizatus vel confirmatus:” affirmant Sylvius, Daelman, aliique: quia per Baptismum unusquisque capax fit cognationis spiritualis, nec Canon ille 102, quo ab officio patrini non confirmatus repellitur, est irritans, sed tantum prohibens.

Quot in Baptismo, vel Confirmatione susceptores admitti possunt?

IX. R. Olim statutum fuit, ut unus tantum baptizatum aut confirmatum teneret: postea tamen consuetudine introductum fuit, ut plures admitterentur; novissimè autem in Concilio Tridentino statutum est, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum suscipiant. In Confirmatione ex eodem Tridentino in fine cap. 2. unus tantum patrinus admitti potest.

Parochus ab iis, ad quos spectabit, ex præcepto Tridentini sciscitari debet quem vel quos in susceptores elegerint, et eos solos (qui tamen si duo sint, non possunt esse ejusdem sexûs) ad suscipiendum admittere potest: et si alii præter admissos baptizatum tangant, cognationem non contrahunt.

Sed quid, si Parochus plures quàm duos admittat, vel ex illis pluribus, qui se ad officium patrini præsentant, eodem nomine baptisandum tangunt, nullum designet?

X. R. Quibusdam videri neminem tali casu cognationem contrahere; quia Concilium Tridentinum numquam plures quàm duos ad officium patrini admitti vult: probabilius tamen nobis cum Sylvio, Collet, aliisque videtur, quòd omnes qui baptizatum tetigerint, cognationem contrahant; quia licèt Tridentinum vetet ultra duos admitti, nullibi tamen decernit, plures si admittantur, cognationem non contracturos, sed tantum puniendum decernit Parochum plures admittentem.

Hactenus egimus de impedimento cognationis spiritualis Matrimonium antecedente: nunc quæritur, quid faciat cognatio illa Matrimonio jam contracto, superveniens ex eò, quòd quis propriam prolem baptizet aut teneat?

XI. R. Cognatio illa Matrimonium subsequens non potest ejus vinculum dirimere; sed impedit illius usum.

Ita Doctores communiter, et probari potest ex Can. AD LIMINA, Causa 30. q. 1. et ex cap. SI VIR VEL MULIER, de cognat. spirituali, lib. 4. decret. tit. 10. XII. Excipitur tamen ibidem casus, quo alter conjugum communem aut compartis suæ prolem baptizet in necessitate vel ex

ignorantia invincibili: tunc enim nullam cum comparte sua cognationem contraheret, et ita à petitione debiti non impediretur. XIII. Si verò extra necessitatem aut ignorantiam inculpatam quis communem vel conjugis suæ prolem baptizaret vel teneret, is debitum petere non posset, reddere tamen comparti innocenti teneretur, attento quòd illa sine sua culpa jure suo privari non debeat: unde si et ipsa compars in culpa sit consentiendo, et à fortiori inducendo conjugem, ut prolem baptizet aut teneat, neutra pars petere, et consequenter nec reddere debitum poterit.

Quod dixi de ignorantia inculcata, intelligi debet de illa, quâ quis ignorat prolem illam, quam baptizat aut tenet esse compartis suæ; item juxta plures de illa, quâ quis ignorat ab Ecclesia conjugibus interdictum, communem aut compartis prolem baptizare vel tenere: XIV. non autem intelligi debet de ignorantia impedimenti per Ecclesiam appositi, cum ibi pœna sit: pœna autem absque eo quòd noscatur, præterquam in censuris, incurri posset.

XV. Necessitas verò, ob quam quis communem aut compartis suæ prolem baptizare possit, tunc solum habetur, quando neque Sacerdos nec alius quicumque, sive clericus, sive laïcus, etiam mulier, adest, qui prolem in periculo mortis constitutam baptizare possit: ita colligitur tum ex ipso nomine necessitas, tum ex Rituali Romano, in quo dicitur: “pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet:” neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonium impediatur. Pontas tamen et ex illo Collet putant virum, v. g. impedimentum cum uxore non contracturum, nisi prolem baptizaverit, præsentem Sacerdote, etiamsi aliàs obstetrix aliive præsentem essent, qui prolem baptizare possent; sed ut apparet ex dictis, minùs probabiliter. Finaliter notandum, quòd si quis etiam in necessitate baptizaret propriam prolem fornicariam, contraheret cum illa, quâcum fornicatus erat impedimentum cognationis spiritualis dirimens Matrimonium; quia casus hic in jure non excipitur, sicuti casus præcedens: ratio hujus discriminis est, quòd impedimentum cognationis superveniens Matrimonio, sit per modum pœnæ: adeoque culpam supponat; non ita impedimentum Matrimonium antecedens.

N. 79. DE COGNATIONE LEGALI.

I. *Definitio.* II. *Adoptio.* III. *Duplex: perfecta,* IV. *Imperfecta.* V. *Personæ, inter quas dirimit.* VI. *Dirimit jure Ecclesiastico.*

QUID est cognatio legalis?

I. R. Est propinquitas personarum proveniens ex adoptione.

II. Adoptio autem est personæ extraneæ in filium vel nepotem, filiam vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio.

III. Adoptio duplex est, perfecta et imperfecta: perfecta est, quâ adoptatus transfertur in potestatem adoptantis, et fit hæres ejus necessarius, diciturque arrogatio.

IV. Imperfecta, quâ adoptatus non transfertur in potestatem adoptantis, sed tantum acquirit jus ad succedendum in hæreditatem adoptantis ab intestato, et dicitur simplex adoptio.

Posterior hæc non causat impedimentum cognationis legalis, et fieri potest autoritate magistratûs. Prior autem, quæ impedimentum inducit, fieri debet autoritate Principis et utriusque, tam adoptantis quàm adoptati consensu.

Ad quem gradum cognatio hæc inducit impedimentum dirimens Matrimonium?

V. R. Distingui potest triplex cognatio legalis. Prima dirimit in linea recta inter adoptantem et adoptatum, item verisimilius inter adoptantem et filios ac filias adoptati usque ad quartum gradum.

Secunda est in linea collateralis, et dirimit Matrimonium inter adoptatum et filios et filias naturales adoptantis: et primum gradum non excedit.

Tertia, quæ potiùs est affinitas quàm cognatio, dirimit Matrimonium inter adoptantem et uxorem adoptati, et vice versâ inter adoptatum et uxorem adoptantis: hæc etiam primum gradum non excedit.

Hæc autem inter tres illas cognationes est differentia, quòd prima et tertia semper maneat, licèt adoptio postea dissolvatur, aut adoptatus emancipetur; secunda verò non nisi quamdiu adoptatus et filius vel filia adoptantis simul manent sub potestate patris adoptantis; unde inter adoptatum et filiam adoptantis potest subsistere Matrimonium, si alterutra pars sit emancipata.

Quo jure cognatio legalis dirimit Matrimonium?

VI. R. Jure solum Ecclesiastico, quod leges civiles ea de re latas, confirmavit. Vide cap. unic. de cognatione legali, et cap. PER ADOPTIONEM, causa 30. quæst 3.

Cùm rarissima de facto sit hæc adoptio, pluribus hæc non est opus.

N. 80. DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

I. *Definitio.* II. *Est triplex.* III. *Dirimit solo jure Ecclesiastico.* IV. *Eadem est ratio viri ac mulieris.* V. *Contrahitur illud impediment.* *Etiam si una pars tantùm sit fidelis.*

QUID est impedimentum criminis?

I. R. Est impedimentum dirimens Matrimonium proveniens ex adulterio, vel homicidio aut utroque simul, junctis certis circumstantiis.

II. Igitur duo sunt crimina, ex quibus tripliciter exurgit impedimentum criminis :

1°. Ex solo adulterio, quando illi jungitur promissio Matrimonii acceptata, vel Matrimonii attentatio.

2°. Ex solo homicidio conjugis, causato ex machinatione alterius conjugis cum tertia persona.

3°. Ex adulterio simul cum homicidio conjugis, procurato ab alterutro adulterorum: singulos casus sigillatim expendemus.

Quo jure impedimentum criminis dirimit Matrimonium?

III. R. Jure solo Ecclesiastico, ne criminosi spe transeundi ad alias nuptias sumant ansam adulterandi vel occidendi conjugem; partim etiam in pœnam dictorum criminum: jus illud videri potest lib. 4. decret. tit. 7. item lib. 3. tit. 33. et in decreto Gratiani, causa 31. q. 1.

IV. Ex citatis textibus etiam constat, quòd hæc crimina impedimentum inducant, sive à viro sive muliere committantur: unde quòd de viro in sequentibus dicemus, intelligi etiam debet de muliere et vice versâ.

Cùm impedimentum hoc sit juris Ecclesiastici tantùm, patet illud non fuisse Davidem inter et Bethsabeam, licèt ipse cum ea adulterium commiserit, ejusque virum Uriam curaverit interfici.

V. Similiter patet hoc impedimentum non habere locum inter infideles, nisi speciali lege Principum apud illos esset introductum: si verò una pars sit fidelis, alia infidelis, illæque unum ex tribus prædictis criminibus committant, non videtur dubium, quin illi duo inter se impedimentum

criminis contrahant; ita ut infidelis, etiam ad fidem conversus, cum fidei Matrimonium inire non possit, quia fidelis poterat hoc impedimento ligari et ita reddi ad contrahendum inhabilis; unâ autem parte inhabili, nequit existere Matrimonium: ita colligitur ex cap. 1. de conversione infidelium, ubi Clemens III. dicit, mulieres Christianas non posse nubere viris Saracenis; quia ad istarum mulierum sollicitationem, earundem viros occiderant, et postea ad fidem conversi fuerant.

Quid si duo infideles partem impedimenti criminis v. g. promissionem Matrimonii ponant tempore infidelitatis, et aliam partem impedimenti criminis, in exemplo, adulterium, committant post Baptismum: an inter eos erit impedimentum criminis?

R. Si promissio in casu tempore infidelitatis facta, post Baptismum ratificetur, vel ex circumstantiis significant, sese in ista promissione perseverare, impedimentum inter illos omnino subsistit: quia sic æquivalenter promissio post Baptismum facta est.

Sepositâ verò istâ ratificatione, existimat Sanchez impedimentum non contrahi, eò quod neutrum crimen seorsum ab Ecclesia puniatur, sed tantùm utrumque simul, seu ipsum complexum; adeoque saltem alterutra pars debet utrumque crimen commississe post Baptisma, cum ante Baptisma commissum, ab Ecclesia puniri non possit, ac proinde nec in complexum quod puniatur cum crimine post Baptisma commissio venire possit. Hæc sententia est valdè probabilis, interim non expediret in hoc similibusque casibus proprio iudicio procedere.

N. 81. DE IMPEDIMENTO EX ADULTERIO SINE HOMICIDIO.

I. Impedimentum criminis exurgit ex adulterio, si accedat promissio, II. Vel Matrimonii attentatio. III. Adulterium debet esse formale ex utriusque parte, IV. Et completum. V. Sufficit promissio unius. VI. Etiam si ficta sit. VII. Promissio et adulterium fieri debent vivente eodem conjuge. VIII. Corollaria.

I. DUO sunt casus, quibus ex adulterio sine homicidio impedimentum exurgit:

Primus: dum inter adulterum et adulteram ante vel post adulterium, vivente adhuc altero conjuge, promissio facta est et acceptata de contrahendo inter se Matrimonio post

mortem alterius conjugis; v. g. Herus cum ancilla adulteratur, et promittit eam ducere post mortem uxoris suæ, illaque promissionem acceptat; oritur inter Herum et ancillam impedimentum criminis dirimens Matrimonium.

II. Secundus casus est: dum adulter et adultera, sive ante sive post adulterium, vivente altero conjuge, attentant inter se Matrimonium, v. g. si ille Herus et ancilla adulteri abscurrant, et alibi coram Parocho, vel etiam clandestinè Matrimonium contrahant; uterque casus exprimitur cap. VENIENS, lib. 4. decret. 7. et cap. finali si QUIS, eodem titulo.

III. Nota 1^o. hìc intelligi adulterium formale, ita ut uterque sciverit, saltem alterutrum ipsorum esse Matrimonio junctum: unde si conjugatus, sub promissione Matrimonii, cognoscat puellam Matrimonii alterius ignaram, hæc non contrahit cum illo impedimentum; quia non est adulterium formale ex parte puellæ: ita cap. 2. et penultimo eodem libro 1. Juxta eadem capitula, adulter ille, qui sic puellam Matrimonii ignaram sub promissione Matrimonii cognovisset, vel cum ejusdem attentatione, teneretur tam post mortem uxoris suæ ducere.

IV. Nota 2^o. adulterium debere esse perfectum et in sua specie consummatum: probabilius tamen juxta Collet et alios non requiritur ut vir intra vas seminet.

V. Nota 3^o. sufficere, quòd promissio Matrimonii sit facta ab uno adulterorum, ita tamen, ut sit acceptata ab altera parte: aliàs enim non esset promissio. Similiter sufficiens videtur simile juramentum unius acceptatum ab altero.

An taciturnitas censeatur esse sufficiens acceptatio?

R. Plures negant cum Sanchez, eò, quòd tacens in dubio non censeatur consentire in suù præjudicium; item quòd inter adulteros insano amore raptos, taciturnitas potiùs dissensùs signum videatur: alii tamen cum Pontio non improbabiler affirmant.

VI. Sufficit promissio facta sine interno promittendi animo; quia sub illa manet ratio legis. Ita Sanchez, Collet et alii.

Similiter juxta Sanchez, Collet, &c. sufficit promissio conditionata, licèt conditio sit turpis vel impossibilis, imò licèt substantiæ Matrimonii repugnet; quia iterum manet ratio legis, nec hoc impedimentum pendet ex promissionis valore, attento quòd promissio illa essentialiter nulla sit.

Si tamen altera pars sentiret promissionem non verè, sed mendaciter fieri ex promittendi modo, non esset impedi.

mentum ; quia non censeretur promissio illa seriò acceptata, saltem pro foro conscientiae.

VII. Oritur impedimentum hoc, sive promissio adulterium antecedit, sive subsequatur, modò illa duo, promissio et adulterium, vivente altero conjugè.

Hinc sequitur primò, si promissio fiat vivente primo conjugè, et adulterium vivente secundo, non oriri impedimentum.

2°. Neque oriri illud impedimentum, si promissio adulterio tantùm accedat post mortem conjugis, vel etiam si promissio Matrimonium præcedat, nisi postea adulterando in eadem promissione perseveraret, ut in simili dictum est Num. præcedenti.

VIII. Similiter non oriri impedimentum, si promissio ante adulterium sit revocata ; si verò tantum revocetur post commissum adulterium, manet impedimentum, sive ante sive post adulterium promissio facta sit ; quia jam impedimentum contraxerant, neque ad hoc se propriâ auctoritate eximere valent.

An promittens conjugatæ Matrimonium ignorans esse conjugatam, contrahit cum illa impedimentum, si post conjugii notitiam cum illa adulteretur ?

R. Si promissio ante adulterium sit revocata, impedimentum non contrahit ; si verò non sit revocata, contrahit : ita Sanchez. Ratio posterioris est, quòd promissio illa, per hoc, quòd partes in ea post notitiam Matrimonii perseverent, æquivalenter post Matrimonium facta videatur.

An hæc verba adulteri : Ducerem te, si non essem Matrimonio junctus ; continent sufficientem promissionem ad inducendum impedimentum ?

R. Negativè : quia illa verba non continent promissionem, sed tantùm important desiderium quoddam Matrimonii contrahendi, nisi præsens obstaret.

N. 82. DE IMPEDIMENTO EX HOMICIDIO SINE ADULTERIO.

I. *Probabiliùs requiritur intentio Matrimonii.* II. *Sufficit tamen quòd sit in alterutro.*

QUÆ circumstantiæ concurrere debent, ut homicidium sine adulterio inducat impedimentum dirimens Matrimonii ?

R. 1°. Ut mors conjugis effectu et reipsa sequatur : proinde non sufficit vulnus esse inflictum vel venenum datum, nisi mors inde actu sequatur.

2°. Ut illa mors sequatur ex machinatione utriusque, ita ut uterque verè in mortem influat, vel per se physicè, vel saltem moraliter, ut mandato, consilio, consensu, &c. ita cap. LAUDABILEM, lib. 3. decret. tit. 33. Ex his conclude sequentia :

1°. Non esse impedimentum inter Herum, v. g. et ancillam, si hæc sine consensu aliave cooperatione Heri, ejus uxorem occiderit : et hoc verum est, etiamsi Herus mortem uxoris suæ per ancillam illatam postea ratificaret ; quia, ut dictum est, requiritur propriè dicta machinatio utriusque in mortem conjugis : sola autem ratihabitio mortis jam illatæ efficere non potest propriè dictam machinationem seu influxum, ergo, &c.

2°. Non sufficere, quòd mors sequatur quomodocumque, sed eam deberi sequi ex mutua machinatione ; unde licèt vulnus, v. g. ex mutua conspiratione inflictum sit, non oriatur tamen impedimentum, si mors non sequatur ex vulnere, sed v. g. ex imperitia Medici vel Chirurgi, particulari rixâ, &c.

An ulterius requiritur ad hoc impedimentum, ut præfati machinantes procurent mortem conjugis ex intentione vel spe contrahendi inter se Matrimonium ?

I. R. Negant Sylvius, Steyaert, Braunman, Pauwels, aliique, eò quòd nec capitulum LAUDABILEM, neque alius textus juris canonici illam intentionem requirat. Affirmant post Sanchez (qui pro sua sententia, præter alios plures Theologos et Canonistas, adducit SS. Thomam et Bonaventuram et Antoninum) Daelman, Antoine, Collet, &c. ; quia lex lata est, ne spe Matrimonii quis propriam vel alterius conjugem occidat ; adeoque ratio legis intentionem illam requirit et supponit, licèt eam lex non exprimat. Hæc sententia licèt priori probabilior videatur, illam tamen cum Collet in praxi asserere non ausim.

II. Interim posterioris sententiæ patroni passim docent post Sanchez, sufficere quòd unus ex machinantibus istam intentionem habeat, licèt illa sit merè interna, nec alteri manifestetur ; quia tunc ratio legis militat : in foro tamen externo passim intentio illa præsumitur, quando duo ex communi machinatione conjugem occidunt, et postea Matrimonium inter se contrahere volunt.

N. 83. DE IMPEDIMENTO EX ADULTERIO ET HOMICIDIO SIMUL.

- I. *Debet esse ex machinatione utriusque.* II. *Exemplum.*
 III. *Probabiliùs requiritur intentio Matrim. contrahendi.*
 IV. *Observatio practica.* V. *Occasio examinandi super impedimentum criminis.* VI. *Modus examinandi* VII.
Si sit rumor impediendi, sic procedendum.

I. IMPEDIMENTUM hoc ex adulterio et homicidio tunc exurgit, quando alteruter adulterorum procurat mortem conjugis suæ, vel sui complicitis in adulterio; juxta cap. SUPER HOC, et cap. SIGNIFICASTI, de eo qui duxit lib. 4. decret. tit. 7.

II. Hinc v. g. oritur impedimentum, inter Herum et ancillam adulterantes, si Herus vel ancilla mortem uxoris procuret.

Adulterium debet committi vivente conjuge qui occiditur: unde si v. g. Herus tempore sui primi conjugii adulteretur cum ancilla, et postea sine cooperatione, ancilla secundam ejus uxorem occidat, non erit locus huic impedimento: similiter non erit impedimentum, si quis sine machinatione alterius, suam uxorem occidat, postea cum conjugata adulteretur; sed in cujus mariti mortem neuter adulterorum machinatur.

Cùm adulterium committi debeat vivente conjuge qui occiditur, debet illud præire homicidio, sed non machinationi homicidii; et ita si Herus uxori suæ venenum propinet, et eâ adhuc vivente adulteretur cum ancilla, contrahitur inter Herum et ancillam impedimentum, modò uxor ex dato veneno moriatur.

Nota, pro hoc impedimento non requiri machinationem utriusque, sed sufficere, quod mors conjugis procuretur per unum adulterorum, licèt alter illius sit ignarus; similiter non requiritur promissio vel attentatio Matrimonii.

III. Utrum hìc concurrere debeat intentio Matrimonium cantrahendi cum altera parte adultera, est quæstio sicuti N. præced.; eò magis quòd illa intentio in hoc casu, quasi involvatur in adulterio; interim omnes pene Authores, qui, N. præc. illam intentionem requirebant pro impedimento ex solo homicidio, eandem etiam requirunt pro impedimento exurgente ex homicidio cum adulterio quia intentionem illam ratio legis supponere videtur.

In foro externo intentio illa præsumitur ad esse, si quis uxorem suam occidat, et postea ducere velit mulierem, quâcum, vivente sua uxore, fuerat adulteratus.

IV. Observa, personas quasdam super impedimento criminis quandoque interrogari debere, v. g. V. si ancilla petat jungi Hero suo recenter viduo, cui uxore vivente cohabitavit, præsertim si uxor diu ægrotaverit. Similiter si domesticus brevi post mariti mortem petat jungi relictæ viduæ.

VI. Confessarius prudenter instituet illud examen hoc vel simili modo :

Quomodo tam citò post mortem conjugis vultis conjugii; an sat mature et satis diu deliberastis de Matrimonio ineundo : an de eo jam cogitastis ante mortem conjugis ?

R. Pœnitens. Ita jam ante mortem conjugis.

Confessarius. An promisistis Matrimonium unus alteri, et hoc ante mortem conjugis ?

R. Pœnitens. Ita.

Confessarius. An aliqua familiaritas in materia venerea inter vos fuit vivente conjuge ?

Quòd si ita, inquiret : num ventum fuerit ad copulam, et si illam habuerint ; tunc, attentâ promissione Matrimonii inter illos, dicet inter illos esse impedimentum : si verò neget se aliquam familiaritatem, aut etiam copulam habuisse ; quæret Confessarius, num fortè non sit aliquo modo causa mortis conjugis ?

R. Pœnitens Sic puto, nam dedi illi venenum, medicinas contrarias, &c. Ulteriùs inquiret Confessarius an id factum sit ex alterius machinatione vel consilio ?

R. Pœnitens. Quòd sic.

Confessarius. Est inter vos impedimentum dirimens, super quo non datur dispensatio in Dataria ; sed, si crimen sit occultum, poterit obtineri in pœnitentiaria.

Si verò inaudiens subesse impedimentum aliquod, retractet vel neget, quod modò affirmaverat, præsumitur jam mentiri ; tunc Pastor (si res extra confessionem peracta sit) illos jungere non potest, sed casum ad Ordinarium deferre debet. Idem circa alia impedimenta est observandum ; quod enim quis suâ voce dilucidè est protestatus, id in eundem casum proprio testimonio infirmare indignum est, ait cap. PER TUAS, lib. 4. decret. tit. 19.

VII. Poterit etiam Parochus, præsertim si quidam

rumor impeditenti spargatur, procedere hoc vel simili modo. Auditur aliquis rumor, cui ego quidem fidem non habeo; sed saltem muneris mei est, illum vobis declarare; quia si reipsâ impedimentum subsit, ut quidam suspicantur et nolis manifestare, vestrum Matrimonium erit nullum, et ita vivetis in continuo peccato, &c. quòd si velis manifestare, facilè dispensationem procurabo á sacra pœnitentiaria, et nullum inde famæ detrimentum patieris, cum ibi nomina personarum, quibuscum dispensatur, non exprimantur.

N. 84. DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

S. Thom. suppl. quæst. 67.

I. *Impedimentum hoc est inter baptizatum et non baptizatum.* II. *Dirimit Matrim. jure Ecclesiastico.* III. *Non naturali vel divino.* IV. *Matrimonium cum hæreticis validum, sed illicitum.* V. *Monitum.*

CULTUS disparitas est impedimentum dirimens Matrimonium inter duas personas, quarum una est baptizata, non altera, ut inter personam Judæam et Christianam.

I. Perinde est sitne pars illa baptizata Catholica, Hæretica, Apostata, &c. modò sit verè baptizata: pariter nil refert, sive pars non baptizata profiteatur fidem veram, sive non: modò verè seu validè beptizata non sit: atque hinc nullum est Matrimonium, quod hæreticus baptizatus contraheret cum Judæa; item illud, quod Catholicus iniret cum cathecumena, aut illa, quæ ignorantia Baptismi invalidè collati laboret.

Quo jure cultûs disparitas dirimit Matrimonium?

II. R. jure Ecclesiastico, quod consuetudine introductum esse videtur; primis enim Ecclesiæ sæculis Matrimonia Christianorum cum infidelibus valida erant: quinto sæculo per leges Imperatorum, præsertim Justiniani, irritari cœperunt, et tandem sæculo duodecimo hæc consuetudo obtinuit per totam Ecclesiam.

III. Impedimentum hoc non dirimit Matrimonium jure naturali vel divino, ut ex exemplis SS. Cæciliæ, Monicæ, &c. quæ infidelibus nupserunt, satis constat.

Interim passim illicita sunt hujusmodi Matrimonia ob periculum perversionis partis fidelis, prolis futuræ, &c. atque hinc Apostolus eadem dissuadet, 1. ad Cor. 7. dicens de vidua: "Cui vult nubat, tantùm in Domino," id

est, tantùm viro Christiano: item 2. ad Cor. 6. “Nolite jugum ducere cum infidelibus.”

An hoc impedimentum etiam dirimit Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis vel Apostatis?

IV. R. Negativè, si nempe sint baptizati; ita constat ex praxi Ecclesiæ.

Quia tamen hujusmodi Matrimonia plena periculis sunt respectu partis fidelis, sanctæ prolis educationi contraria, eâque ratione ab Apostolo improbata locis mox citatis, ad Titum 3. ubi hæreticum hominem devitari jubet: hinc Ecclesia meritò ejusmodi Matrimonia damnavit, can. 14. Concilii Chalcedonensis. can. NON OPORTET, causa 28. quæst. 1. et alibi, ita ut gravis peccati reus censeri debeat, qui sine legitima dispensatione, Matrimonium cum hæretica contraheret.

Potest tamen Ecclesia ex justa causa dispensare, ut licitè tale Matrimonium contrahatur; uti satis constat ex praxi Ecclesiæ. Cæterùm pessima est hæc conditio apponi solita de educanda prole in hæresi, illamque Ecclesia, dum dispensat, excludere solet. Vide N. 41.

V. Nota, Parochos circumspèctè hìc procedere debere, ne decipiantur ab hæreticis, præcipue tempore belli; quia quandoque contingit quòd se Catholicos fingant, Sacramenta frequentent, &c., ut ita cum muliere Catholica Matrimonium inire possint. Exemplum hujus dat Paulus, agens de hoc impedimento.

N. 85. DE IMPEDIMENTO VIS.

I. *Definitio.* II. *Metus.*

QUID est vis prout impedimentum dirimens Matrimonium?

I. R. Est metus gravis injustè incussus ad extorquendum consensum matrimonialem.

II. Metus est mentis trepidatio instantis mali vel periculi causâ: solent autem hìc æquivalere termini, vis, metus, coactio, &c.

Colligitur ex definitione, ad hoc ut vis dirimat Matrimonium, requiri has tres conditiones:

1º. Ut metus sit gravis: 2º. ut sit injustè incussus: 3º. ut sit incussus in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem. De his conditionibus per tres numeros ordine agendum.

N. 86. DE METU GRAVI.

I. *Metus gravis.* II. *Duo requisita, 1°.* Grave malum. III. *2°.* Verisimiliter imminens. IV. *Etiam si aliquem graviter turbaret.* V. *Nisi tolleretur deliberationem.* VI. *Gravitas vel levitas metus respectivè consideranda.* VII. *Metus reverentialis secundùm se levis.* VIII. *Idem de precibus importunis.*

QUIS metus dicitur gravis?

I. R. Is qui cadit in constantem virum, seu quo persona constans moveretur ad Matrimonium contrahendum, quod nullo modo faceret, si metus abesset.

II. Duo concurrere debent, ut metus aliquis censeatur gravis: 1°. Ut malum, quod timetur, sit notabile: tale est mors, gravis læsio, carcer, exilium, stuprum, amissio bonorum vel magnæ partis, notabilis infamia, &c.

III. 2°. Ut illud malum verisimiliter et propinquè immineat; pericula enim remota non ita considerantur: quapropter si quis noscatur multa minari, sed nihil efficere, et talis grave malum minetur, metus inde exortus non reputabitur gravis.

Metus levis non irritat Matrimonium; quia id jura non statuunt, neque graviter ille metus deliberationem impedit, et innumera alioquin sequerentur incommoda, cum metus levis facilè interveniat. In dubio forum externum judicat pro valore Matrimonii.

An metus levis saltem non irritat Matrimonium tunc, quando tam graviter animum perturbat, ac si esset gravis?

IV. R. Negativè, quia jura requirunt metum gravem ex objecto, et illa perturbatio animi censeatur ipsi voluntaria, cum potuerit et debuerit ob metum illum levem non graviter turbari: unde, quòd ita moveatur, sibi imputare debet.

V. Si tamen metus ille, licèt levis, ita alicujus perturbaret animum, ut tolleretur rationis deliberationem, Matrimonium esset nullum, non propter metum, sed ob defectum deliberationis.

VI. Notandum interim, quòd dijudicando metum gravem à levi attendi debeat personarum qualitas, ætas et sexus; ita ut illud, quod dictum est in definitione, metus gravis cadens in constantem virum, intelligi debeat respectivè, seu habito respectu ad personas ejusdem qualitatis, sexus, &c. quæ reputantur constantes; et ita idem metus potest

esse gravis respectu puellæ, et levis respectu viri; quatenus inspectâ conditione puellæ, natus est movere puellam aliunde constantem, non ita virum: similiter item metus potest esse gravis respectu viri parvi ingenii minùs experti, qui talis non sit respectu alterius: hæc conformia sunt cap. CONSULTATIONI TUÆ, de Sponsal. et Matrim. lib. 4. decret. tit. et cap. SICUT, de homicidio, lib. 5. tit. 12.

An metus potest dici cadere in constantem personam, si persona ex illo metu peccet mortaliter?

R. Affirmativè: quia persona illa, etsi, ut verè constans maneret, in hoc casu deberet ad evitandum peccatum ex illo metu non contrahere, natum tamen est fieri, ut persona constans ob illum metum dejiciatur, et graviter ad contrahendum impellatur.

An metus reverentialis, qui provenit ex reverentia parentibus, superioribus, &c. debita, gravis an levis reputari debet?

VII. R. Reputatur levis, nisi graves minæ, verbera, indignationes, vel hujusmodi mala accedant.

Qualem metum inferunt preces importunæ?

VIII. R. Seclusâ omni aliâ timendi ratione, preces illæ inferunt metum solummodo levem; quod si preces illæ instantissimæ forent, unâ cum metu reverentiali, tunc ad metum gravem reduci possent: consule Sanchez lib. 4. disputat. 6 et 7. et Collet in suo tractatu de dispensationibus.

N. 87. DE METU INJUSTO.

I. *Metus injustus per se*, II. *Vel ex modo, quo intenditur*. III. *Sufficit metus mali inferendi parentibus, &c.* IV. *Sufficit metus illatus à tertio*. V. *Debet esse ex causa extrinseca et libera*, VI. *Et injustus*. VII. *Casus primus*. VIII. *Casus secundus*.

I. QUANDONAM metus dicitur injustè incussus?

R. Quando ille metus vel secundùm se injustus est, vel fit injustus ex modo seu ratione incutiendi: et ita si privatus minetur mortem puellæ, nisi ipsi nubat, metus ille secundùm se injustus est.

II. Si verò privatus quis comminetur mortem vel carcerem adolescenti, nisi ducat filiam à se vi oppressum, metus est injustus ex parte modi, et irritat Matrimonium; quia licèt illa pœna oppressioni violentæ debeat, ipse tamen privatâ authoritate eam injustè inferret.

III. Si verò eundem stupratorem tantùm accusare, et ad judicem deferre minitetur, nisi istam puellam in uxorem accipiat, metus non erit injustus nec irritans Matrimonium, cùm illæsa justitia judici denuntiari possit.

Indifferens est, an malum, quod timetur, sit inferendum immediatè isti personæ, quacum quis vult Matrimonium inire, an verò parentibus ejus, fratribus, sororibus et filiis, aliisque, ut addit Sanchez, consanguineis et amicis ipsi intimè conjunctis, quorumque malum non minùs quam proprium timeat; tunc enim malum parentibus intentatum in ipsum redundat.

IV. Similiter indifferens est, sive metus alicui personæ incutiatur, ab illa, quæ cum ipsa Matrimonium vult contrahere, sive à tertia; et ita, si pater puellæ quemdam juvenem injusto metu compellat ad Matrimonium cum sua filia, Matrimonium erit invalidum, licèt filia coactionis sit ignara; quia eodem modo isti juveni fit injuria, ejusque libertas læditur, ac si metus á filia esset incussus.

V. Metus proveniens ex causa naturali non impedit Matrimonium; quia tunc nulla injuria contrahenti irrogatur, quam jura maximè attendunt. Hinc valet Matrimonium, si quis concubinam ducat ob periculum mortis, infamiæ, inferni, &c.

VI. Similiter metus justè incussus non irritat Matrimonium; quia tunc nulla fit injuria metum patienti: et quamvis hìc et nunc sit minor libertas, hoc sibi imputare debet, ponendo causam, ex qua postea ad contrahendum Matrimonium justè compellatur; et ita validum est Matrimonium, ad quod metu excommunicationis quis compellitur cum ea, quacum habebat Sponsalia, aut quam sub promissione Matrimonii cognoverat.

VII. Ancilla quædam dicit adolescenti homicidæ: pro-
dam homicidium tuum judici, nisi me accipias in uxorem: qualis est iste metus?

R. Videtur esse injustus ex parte modi; quia ancilla illa non habet jus hoc modo cogendi ad Matrimonium sibi indebitum. Si verò iste adolescens libere promisisset ancillæ Matrimonium, vel aliter ad hoc ex justitia obligaretur, tunc metus justus esset; quia justè aliquem ad illud, ad quod jus habeo, compellere possum per justos terrores judicii divini vel humani.

Hinc nota sufficere ad hoc, ut metus sit injustus, metum illum injustè incuti in ordine ad Matrimonium, licèt injustè incuti possit ad alium finem.

VIII. Medicus recusat sanare puellam, nisi consentiat in Matrimonium cum ipso.

R. Si Medicus ex justitia puellam curare teneatur, intulit metum injustum curam illam denegando, nisi consentiat in Matrimonium: si verò ex justitia non debeatur ista cura, metus denegationis curæ, utpote indebitæ, injustus dici non potest, ac proinde Matrimonium ex illo contractum validum erit: restringit tamen Collet hanc resolutionem ad casum, quo Medicus esset ejusdem præter propter conditionis cum puella: si verò longè inferioris esset, metus iste injustus videtur; cùm nimium pro sanatione præmium exigere, injustum sit. Interim hæc restrictio suam patitur difficultatem.

Quid si Medicus in casu finxisset morbum lethalem, cùm talis non sit?

R. Videtur tunc metum illum mortis, qui ex morbo non habetur, injustè incutere, adeoque Matrimonium futurum nullum, et quamvis puella injuriam sibi inferri non apprehendat, equidem verè infertur; atque hinc hæc regula statui potest. Quoties quis ad Matrimonium cogitur injustè, Matrimonium erit nullum, modò cætera requisita adsint, licèt erroneè putet metum esse injustum.

Quid si Judex reo justè ad mortem damnato offerat libertatem, si Matrimonio jungi velit tali puellæ?

R. Sanchez, Sylvius et Neesen Matrimonium valere asserunt, quia nulla ibi infertur injuria, neque ullus metus mortis in ordine ad Matrimonium, sed tantùm offertur medium illam evitandi.

N. 88. DE METU INCUSSO AD EXTORQUENDUM CONSENSUM.

- I. *Metus debet esse incussus ad extorquendum consensum.*
- II. *Sufficit metus incussus quoad solum contractum.*
- III. *Casus primus.* IV. *Metus debet esse causa consensûs.* V. *Monitum.* VI. *Examen circa hoc impedimentum.*

QUANDONAM metus dicitur incussus ad extorquendum consensum Matrimonii?

I. R. Quando incussus est causâ seu fine Matrimonium contrahendi, sive ad inducendam personam, ut in Matrimonium consentiat. Ratio hujus requisiti est, quòd metus, ut Matrimonium dirimat, se habere debeat per modum causæ extorquentis consensum; sed quando ad illum extorquen-

dum non inquitur, tunc respectu consensûs se habet merè per accidens.

Hinc si puella latroni vitam, v. g. auferre volenti, offerat Matrimonium, ut vitam servet, Matrimonium erit validum; idque juxta multos verum erit, etiamsi latro prævideret, puellam Matrimonium oblaturam; et ille eo fine metum incuteret, quia equidem metus ille se non habet per modum extorquentis consensum, nisi puella istam intentionem noscat: interim posterius hoc non ita constat: dici enim potest, quòd equidem latro metum illum incusserit ad extorquendum consensum, adeoque tres conditiones ad impedimentum vis requisitas, hìc haberi.

II. Quid si pater aliquem injusto metu et gravi cogat ad Matrimonium cum una ex suis filiabus dando electionem.

R. cum Sanchez et Daelman Matrimonium esse invalidum; quia quamvis gaudeat aliquali libertate, quantum ad personam, equidem illa plena non est, utpotè restricta ad unam ex istis determinatis.

Deinde neque gaudet sufficienti libertate, quantum ad contractum, ad quem utique cogitur; atque ita illam quam accipit, accipit ex metu gravi injustè incusso, &c.

III. Quid si in ultimo casu numeri præcedentis Judex alicui à se injustè ad mortem damnato, non tamen ex intuitu Matrimonii, postea offerat libertatem, si ducat talem puellam?

R. Juxta Sanchez Matrimonium erit validum, quia metus non est incussus ad extorquendum consensum; et certò si tertius damnatum illum liberaret de manibus Judicis, sub conditione Matrimonii cum ista puella, Matrimonium erit validum; quidni ergo etiam validum sit, ubi Judex ipse illum sub eadem conditione à morte liberare vult: contrarium tamen sustinet Collet; quia quando Judex damnatum illum non vult liberare, nisi ducat talem puellam, virtualiter idem est, ac si diceret: occidam te, nisi ducas istam puellam.

IV. Quid si alicui quidem metus gravis injustè incutitur ad extorquendum Matrimonii consensum, ille tamen non consentiat ex metu, sed omnino voluntariè; putà quia Matrimonium cum ista desiderabat?

R. Matrimonium illud erit validum; quia non consentit ex metu, sed planè voluntariè.

Nota, quòd Matrimonium ratione metûs invalidum, non firmetur juramento, neque jurans illo juramento ligatur;

modò juramentum tantùm afficiat præsentem contractum matrimoniale tanquam ejus accessorium.

V. Parochi est, ait Steyaert, satagere, ut omnis metus injustus, sive gravis sive levis, absit Matrimonium contrahentibus, tum ob infaustos exitus, tum ne postea disputatio accedat, levisne an gravis ille metus fuerit.

VI. Præscribit Synodus prima Provinc. Mechliniensis, de Sponsalibus cap. 2. et Pastorale, ut Parochus Matrimonium administraturus interroget sponso, utrùm veniant liberâ voluntate, et à nullo coacti. Optimè hic notant Steyaert et Braunman, sæpe non sufficere illam interrogationem, quæ fit immediatè ante administrationem Matrimonii, eò quòd tunc præ confusionis timore sæpe non audeant veritatem fateri: præviè ergo, saltem quando suspicio aliqua metûs adest, circa hoc interrogandi sunt, puta, dum utraque pars seorsum examinatur, an sciat scitu necessaria.

Hæc pro impedimento vis, jam post introducta impedimenta clandestinitatis et raptûs rariùs obtinente, sufficiant; eatenus saltem, ut quis pro casibus occurrentibus dubitare possit, suumque dubium Ordinario exponere.

N. 89. QUO JURE VIS DIRIMIT MATRIMONIUM.

I. *Dirimit jure Ecclesiastico.* II. *Probabiliùs non dirimit jure naturæ.* III. *Solutio argumentorum.*

I. CERTUM est, quòd metus seu vis dirimat Matrimonium jure Ecclesiastico. Ita constat ex variis capitulis Juris Canonici lib. 4. decret. tit. 1. item tit. 7. cap. SIGNIFICATIONI TUÆ, “de eo qui duxit.”

Sed cùm hæc capitula illud impedimentum non tam introducunt, quàm illud consuetudine, aliâve lege anteriori positivâ aut naturali introductum supponant: hinc ulteriùs quæres:

An vis etiam non dirimat Matrimonium jure naturæ?

R. Conformiter ad S. Thomam, ut apparet Suppl. quæst. 47. art. 3. affirmant Estius, Pontius, Daelman, &c. his præcipuè moti rationibus:

1°. Quòd Matrimonium sit vinculum amoris perpetuum, ideoque requirat consensum maxime liberum et spontaneum; durum enim nimis esset, ex consensu tantâ injuriâ extorto ad perpetuum amoris vinculum adstringi.

2°. Quia, ut ait S. Thomas loco citato in Corp. metus ille repugnat Matrimonii perpetuitati; quia jus naturale

dictat injuriam illatam esse reparandam, ideoque omnes alii contractus ex tali metu initi sunt rescindibiles: cum ergo contractus matrimonialis rescindi nequeat, semel validè initus, ab initio jure naturæ nullus dici debet.

II. Sanchez tamen, Sylvius, Wiggers, Stey. aliique communiùs et probabiliùs negant. Ratio est, quòd illud, quod fit ex metu, sit simpliciter voluntarium et liberum, eâque ratione sufficiat pro validitate omnium aliorum contractuum; ergo etiam pro Matrimonio.

Ad fundamenta verò prioris sententiæ dicendum, illa quidem probare Matrimonia vi contracta convenienter per Ecclesiam irritata esse: non autem illa suapte naturâ esse irrita.

III. Ad primum ergo dicendum etiam metum justum, aut ex causa naturali ortum sæpe non minùs obesse libertati et amori quàm injustum, et tamen Matrimonium ex metu justo aut à causa naturali exorto, est validum.

Ad secundum dicitur, necesse non esse, ut injuria semper reparetur in eodem genere: sic qui ex injusto metu Baptismum suscipit, ob injuriam sibi illatam illud annullare non potest: item, ubi alii contractus ob fraudem vel dolum rescindi possunt, Matrimonium ex fraude vel dolo alterius initum omnino validum est, et indissolubile; et injuria per fraudem vel dolum in Matrimonio illata, alio modo reparanda est: idem ergo etiam dicendum de injuria ex metu illata. Ad S. Thomam dici potest, eum supponere irritationem per Ecclesiam factam, et eâ positâ, probare convenienter illam esse factam: ita Sylvius.

Ex hac sententia sequitur, Matrimonium ex tali metu initum inter infideles esse validum, nisi speciali lege civili sit irritatum, aut etiam jure gentium, uti quidam volunt, fundantes se in eo, quod cum talia Matrimonia semper sint habita tanquam nulla, nulla tamen lex aut canon reperiatur, impedimentum hoc introducens; sed omnes leges de eo tractantes, illud jam introductum supponant.

N. 90. COROLLARIUM.

- I. *Ex metu gravi contrahens non peccat.* II. *Quid si insuper aliud impedimentum accedat?* III. *Valdè tamen periculosum est ex metu contrahere.*

AN quis præfato metu coactus, sciens se validè contrahere non posse, peccet proferendo verba contractûs?

I. R. Communior sententia est negativa, modò is per illa verba intendat consentire & contrahere quantum est ex sua parte; quia licèt consensus ejus propter metum sit illegitimus & insufficiens ad Matrimonium, tamen hìc & nunc, quantum est de se, verè consentit, adeoque non mentitur. Imò putant multi cum Sanchez ob eam rationem, quòd talis etiam juramento confirmando, quòd in Matrimonium consentiat, ne quidem peccet; quia revera, quantum de se est, in illud consentit.

Interim si ex circumstantiis censeretur isto juramento velle asserere, se validè contrahere, esset perjurium.

Si verò naturaliter tantùm proferat verba contractûs, absque eo, quòd in animo, quantum in se est, contrahere intendat, peccabit peccato mendacii: sed, ut apparet, per se loquendo tantùm venialiter.

II. Quid si aliquis alio insuper impedimento ligatus, ex gravi metu injustè coactus, consentiat in Matrimonium?

R. Si impedimentum sit Juris Ecclesiastici tantùm, & sit metus mortis alteriusve gravissimi mali, tunc, cùm leges Ecclesiæ cum tali periculo ordinariè non ligent, cessabit lex quatenùs prohibens attentionem contractûs, adeoque in illam non impinget; non tamen cessabit lex illa quatenùs irritans. Ab hac resolutione excipe, nisi metus incussus sit in odium Religionis vel Ecclesiæ, quo casu mortem potiùs subire debet quàm contrahere.

Si verò sit impedimentum, propter quod jus naturæ non tantùm irritat, sed etiam prohibet Matrimonium, tanquam intrinsecè malum, cùm lex illa non cesset, & supponatur in istud Matrimonium consentire, quantum potest, impingit in legem naturæ: si verò non consen-

tia in Matrimonium, & tamen verba contractûs proferat, mentietur.

III. Licet probabilius sit illum, qui metu gravi & injusto ad Matrimonium coactus est, in illud, quantum de se est, consentiendo non peccare; res tamen illa Steyaertio non multum tuta est; & hoc praesertim verum erit, si circumstantiae non tantum contractum, sed etiam Sacramentum perfici insinuent: vix enim sic contrahens à sacrilegio eximi posse videtur, cum simulet susceptionem Sacramenti; ut si quis ex gravi metu injustè ad Matrimonium coactus, illud contraheret in Ecclesia coram Parocho proferente formam, & coactionis ignaro: si verò circumstantiae non significant perfici Sacramentum, tunc contrahens saltem non videbitur reus sacrilegii. Notandum, quòd ex tali metu contrahens, nullo modo possit consentire in copulam, nec facere aliquid eorum, quæ non nisi inter conjuges licent.

N. 91. DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

I. *Definitio.* II. *Dirimit jure Ecclesiastico tantum.* III. *Alia est disciplina in Ecclesia Græca.* IV. *Non dirimit Ordo ante usum rationis vel ex metu, &c. susceptus.*

QUID est impedimentum Ordinis?

I. R. Est impedimentum dirimens Matrimonii ratione Ordinis Sacri seu majoris, Subdiaconatûs nempe, Diaconatûs, & Presbyteratûs, sub quo etiam Episcopatus continetur.

Quo jure hoc impedimentum Matrimonium dirimit?

II. R. Jure merè Ecclesiastico: hoc autem jus primùm introductum est, ut videtur Tournelio & aliis multis, per Innoc. II. in Concilio Lateranensi secundo celebrato anno 1139. can. 7. & deinceps confirmatum per Eugenium III. in Concilio Rhenensi, ac novissimè per Concilium Trident. sess. 24. can. 8. jam inde tamen ab initio Ecclesiæ lex continentiae Episcopis, Presbyteris & Diaconis, ac deinde etiam Subdiaconis imposita fuit sub gravissimis pœnis; sed ante Lateranense secundum nulla lex reperitur, quæ hujusmodi Matrimonia invalidè contracta decernat.

III. Hactenus dicta concernunt Ecclesiam Latinam. Quod ad Græcam spectat, semper ibidem fuit prohibitum Episcopis & Presbyteris, post Ordinem susceptum, uxores ducere, & nunc id etiam prohibitum esse Diaconis, præten dit Billuart contra Steyaert; Presbyteris tamen & Diaconis, non item Episcopis, per pseudo-Synodum quinisextam anno 692, Constantinopoli in in Trullo habitam, concessum fuit uti uxoribus, quibus ante Ordinationem copulati fuerant: & exinde non contradicente Ecclesiâ Latinâ consuetudo apud Græcos Presbyteros obtinuit, & etiamnum obtinet, retinendi uxores, quibus ante Sacros Ordines conjuncti fuerant; Subdiaconos Græci hodie non habent.

IV. Ordo susceptus ante rationis usum, vel ex metu gravi ad hoc injustè incusso, non inducit impedimentum, nisi ordinatus postea pleno consensu illum ratificet: S. Antoninus tamen in casu metûs gravis injusti, petendam putat dispensationem. Vide Tractatum de Sacram. Ordinis.

N. 92. DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

I. *Definitio.* II. *Dirimit jure divino.* III. *Non sufficit tempus 7. vel 10. annorum, sed requiritur certitudo* IV. *Moralis.* V. *Signa certitudinis.* IV. *Non sufficit simplex rumor.* VII. *Ad priorem conjugem, si vivat, redeundum.* VIII. *Stante dubio debitum reddi debet bonâ fide petenti.*

QUID est impedimentum ligaminis?

I. R. Est illud, quo conjugatus impeditur, ne validè Matrimonium contrahere possit cum quacumque alia persona, stante vitâ prioris conjugis. Unus casus excipitur, nempe, dum duorum in infidelitate conjunctorum alter ad fidem conversus, comparte nolente pacificè cohabitare, novum Matrimonium contrahit, de quo egimus Num. 56; addi potest & alter, juxta illos qui tenent, Pontificem posse dispensare in voto solemnî, aut in matrimonio rato tantùm.

Quo jure hoc impedimentum dirimit Matrimonium?

II. R. Jure divino: patet tum ex institutione ejus dicente Adamo Gen. 2. "Et erunt duo," (non tres, qua-

tuor, &c.) “in carne una:” item ex Matth. 19. ubi Christus Matrimonium ad primævum statum revocans, ait: “Quicumque dimiserit uxorem suam... & aliam duxerit, mæchatur:” ergo etiam, ut reflectunt SS. Patres, qui priori retentâ aliam super induxerit, mæchatur: hinc Trident. sess. 24. canon. 2. “Si quis dixerit, Christianis licere plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ prohibitum esse, anathema sit.” Quomodo post diluvium ante Christum licitum fuerit plures simul habere uxores, nunquam tamen uxori plures viros, vide Num. 62.

An conjux post absentiam compartis post 7. vel 10. annos potest contrahere aliud Matrimonium?

III. R. Negativè: nisi constet de ejus morte; imò absentia quancumque temporis, non sufficit: ita declaravit Clemens III. cap. IN PRÆSENTIA, & habetur lib. 4. decr. cit. I. “Hinc correctum fuit jus civile permittens aliud Matrimonium post conjugis quinquenalem absentiam.”

Quænam ergo certitudo de morte requiritur?

IV. R. Moralis: “mulieres enim,” juxta præfatum cap. “ad aliud Matrimonium transire non possunt, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.” Non sufficit ergo verisimilitudo vel probabilitas, multè minus dubium negativum vel ignorantia de morte compartis; imò etiamsi adhibitâ omni diligentîâ, certitudo haberi non possit, equidem ad aliud Matrimonium procedi non poterit, ut idem Pontifex declarat.

Similis certitudo requiritur de libertate quorumcumque aliorum, qui petunt Matrimonio jungi, neque statim habenda est fides, asserenti se esse liberum, maximè si sit extraneus aut ignotus vel si extra Parochiam habitaverit.

Quandonam moralis illa certitudo habetur?

V. R. Testimonium Pastoris, aut directorum hospitalis, in quo conjux ille defunctus est, sufficit: si tamen veniat ex alia Diœcesi, ulteriùs recognosci debet ab Episcopo loci, in quo conjux sepultus est; imò in multis Diœcesibus præcipitur, & saltem omnino conveniens est, ut instrumentum seu testimonium mortis veniens è regione satis remota, ulteriùs approbari debeat ab Episcopo loci, in quo novæ nuptiæ celebrari debent, idque ad magis fraudibus obviandum.

Si verò aliquis, v. g. miles ita mortuus sit, ut nec

mortuorum registro, nec Christianæ sepulturæ mandari potuerit, tum sufficiens habetur testimonium Capitanei, & illo deficiente inferioris Officialis.

VI. Non sufficit rumor, quamvis communis de morte conjugis ortus, v. g. ex eo, quòd maritus fuerit in prælio, & postea non compareat, quia potest alibi esse captivus, fugitivus, &c. imò nec statim credendum cuicumque privato asserenti se talem vidisse mortuum.

Quamvis autem nec fama, nec testimonium privati cujuspiam per se sufficientem præbeat certitudinem, accedentibus tamen aliis circumstantiis vel indiciis sufficere possunt.

Cæterùm Parochi non est ejusmodi dubia discutere, sed Judicis Ecclesiastici; qui, si probationes minùs perfectæ sint, exigere potest juramentum suppletivum à conjugē, quòd vitam compartis suæ nec sciat, nec credat; ita Engel in tit. 4. lib. 4. decretalium.

Quid; si post contractum secundum Matrimonium reperiatur prior conjux supervenire?

VII. R. Debet redire ad priorem conjugem, quamvis ex secundo Matrimonio proles jam nata sit, quia secundum illud Matrimonium est invalidum. Interim si alterutra pars in bona fide fuerit, proles ex secundo Matrimonio nata reputabitur legitima: ita cap. EX TENORE, lib. 4. decret. tit. 17.

Similiter si prior conjux jam quidam mortuus sit, sed tamen viveret quando secundum Matrimonium contrahebatur, à secundo conjugē debet separari, nisi de novo contrahant, vel, ex justa causa, in bona fide relinquantur.

Quousque petere vel reddere debitum possit conjux, cui non certò constat de morte prioris conjugis, diximus numero 50. Sanchez tamen, Collet, aliique communiter contra id, quod numero citato cum Pontio diximus, volunt stante dubio de morte conjugis comparti bonâ fide petenti, debitum debere reddi; neque cap. DOMINUS, tit. 21. lib. 4. decret. restrictionem, quam ibidem dedimus, admittere videtur; cùm generaliter dicat: VIII. "Si verò aliquis vel aliqua.....de morte prioris conjugis adhuc sibi existimet dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; si tamen petens etiam dubitaret sive dubium ejus Matrimonium antecedit, sive subsequatur, reddi non potest debitum: debet pars dubitans rationem sui dubii com-

parti in bona fide existenti exponere, nisi, ut sæpe fit, inde pejora mala timeantur.”

N. 93. DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS.

I. Oritur ex triplici causa. II. Tantùm cum consanguineis alterius contrahitur.

QUID est publica honestas, seu quod idem est, justitia publicæ honestatis?

R. Est propinquitas quædam proveniens ex Sponsalibus vel matrimonio rato tantùm: dicitur autem publica honestas, quia honestas exigit, ut inter personas, inter quas hujusmodi propinquitas intercedit, Matrimonium non contrahatur.

I. Oritur autem hoc impedimentum, prout de facto per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. restrictum est, ex triplici causa, nempe:

1º. Ex Sponsalibus validis & absolutis.

2º. Ex Matrimonio rato non consummato.

3º. Ex Matrimonio rato invalido, modò invalidum non sit defectu consensûs.

II. Notandum, quòd hoc impedimentum non contrahatur cum affinibus aut cognatis spiritualibus vel legalibus alterius contrahentis; sed tantùm cum illius consanguineis carnalibus sive legitimis sive illegitimis.

N. 94. DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS EX SPONSALIBUS.

I. Impedimentum hoc est restrictum per Concilium Trident. II. Sponsalia debent esse certa. III. Absoluta. IV. Dirimunt in primo gradu tantùm. V. Debent etiam esse valida. VI. Manet impedimentum solutis Sponsalibus. VII. Dirimit jure Ecclesiastico tantùm.

I. ORIEBATUR hoc impedimentum ex quibuslibet Sponsalibus certis & puris seu absolutis etiam

invalidis, modò invalida non essent defectu consensûs, & dirimebat Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Verùm Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. impedimentum hoc ita restrinxit, ut “ Ubi Sponsalia quâcumque ratione valida non erunt, penitus tollat; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant:” unde de facto hoc impedimentum tantùm oritur ex Sponsalibus certis, seu propriè dictis, absolutis simul & validis; idque non ultra primum gradum: hinc deducuntur sequentia :

II. 1º. Cùm Sponsalia debeant esse propriè dicta, non exurgit hoc impedimentum, si quis promittat Matrimonium alteri non promittenti, aut uni ex pluribus indeterminatè, etiamsi illi repromittant. Vide N. 1.

III. 2º. Cùm debeant esse absoluta, Sponsalia sub conditione suspensiva, non inducunt hoc impedimentum, nisi, purificatâ conditione, transeant in absoluta: unde si ante purificationem conditionis quis à Sponsalibus resiliat, non contrahet impedimentum: similiter Matrimonium, quod quis ante conditionis adimpletionem cum sorore sibi desponsatæ contraheret, esset validum. Sponsalia sub conditione de præterito vel præsentis, aut de futuro necessario, non reputantur conditionata sed absoluta. Vide N. 7.

IV. 3º. Cùm hoc impedimentum restrictum sit ad primum gradum, sequitur sponsum illud tantùm contrahere cum matre & filiabus sponsæ, quasi in linea transversa, non autem cum avia, nepte, amita, &c. sponsæ. Eodem modo sponsa illud contrahet cum patre, filiis & fratribus sponsi; non ultra.

V. 4º. Tandem impedimentum hoc non oritur ex Sponsalibus quâcumque ratione invalidis, sive ob defectum consensûs, sive ob aliud quodcumque impedimentum irritans Sponsalia; non tamen requiritur, ut vult Sanchez, Sponsalia exteriùs esse invalida; sed sufficit eadem internè tantùm & coram Deo esse invalida, quia Tridentinum loco citato generaliter dicit: “ Quacumque ratione valida non erunt.” Vide Collet in Tract. de Dispensationibus.

Ex Sponsalibus clandestinis utpote validis, oritur hoc impedimentum; si dubium sit de valore Sponsalium, pariter dubium erit impedimentum.

An perseverat hoc impedimentum, si sponsalia per mortem, mutuo consensu vel aliter fuerint dissoluta?

VI. R. Affirmativè: contra Pontium, Neesen, Engel, &c. ita, referente Fagnano, declaravit Sacra Congregatio anno 1658. Eaque declaratio confirmata fuit ab Alexandro VII. eodem anno: hinc, qui habet Sponsalia cum Anna, v. g. non potest ejus sororem ducere, quamvis Anna jam sit mortua, aut juri suo cesserit.

Nota, quòd Pastor & Confessarius desponsandum cum una, quæ habet sorores nobiles, meritò interroget circa hoc impedimentum, utrùm nempe cum alia ex sororibus locutus aliquando non fuerit, ei Matrimonium non promiserit, &c.

VII. Impedimentum ex Sponsalibus est juris Ecclesiastici tantùm, & proinde locum non habet inter infideles.

N. 95. DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS EX MATRIMONIO RATO NON CONSUMMATO.

I. *Dirimit usque ad quartum gradum inclusivè.* II. *Hoc impedimentum non rectè affinitas vocatur.* III. *Dirimit jure Ecclesiastico.*

I. ORITUR hoc impedimentum ex Matrimonio rato non consummato, & extenditur usque ad quartum gradum inclusivè, jure veteri servato; ita motu proprio declaravit Pius V. anno 1568. in constitutione AD ROMANUM.

Uterque sic Matrimonio junctorum contrahit hoc impedimentum dirimens cum consanguineis alterius usque ad quartum gradum, prout latiùs explicabitur infra, ubi de impedimento affinitatis.

II. S. Thom. Suppl. q. 55. art. 4. ad 2. & Dataria Romana vocant, vinculum ex Matrimonio rato non consummato exurgens, affinitatem; sed communis sententia hìc tantùm agnoscit publicam honestatem; quia, licèt vinculum ex Matrimonio rato arctius sit quàm ex Sponsalibus, non est tamen propriè affinitas; cùm hæc ex sola copula carnali oriatur. Affert pro hac sententia Pyrrhus Corradus declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium.

III. Dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico. Quidam pro primo gradu lineæ rectæ, volunt dirimi Matrimonium jure naturæ; sed de hoc infra.

N. 96. DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS EX MATRIMONIO RATO INVALIDO.

- I. *Dirimit usque ad quartum gradum inclusivè.* II. *Casus, in quibus Matrim. est nullum defectu consensûs.* III. *Ob clandestinitatem nullum parit impedimentum.* IV. *Casus dubius.*

I. ORITUR hoc impedimentum ex Matrimonio rato invalido, modò invalidum non sit defectu consensûs, & extenditur usque ad quartum gradum inclusivè. Probari hoc potest ex communi interpretatione Authorum: nam cap. unico de Sponsalibus in 6. hoc impedimentum oriebatur ex Sponsalibus invalidis, modò invalida non esset defectu consensûs; ergo à fortiori oriri debebat ex Matrimonio invalido; jam autem Tridentinum tollendo impedimentum, quod oriebatur ex Sponsalibus invalidis, nullam fecit mentionem illius, quod oritur ex matrimonio invalido; ergo illud etiamnum perseverat: neque de hoc, licet olim aliqui contrarium docuerint, ampliùs dubitari potest, postquam Pius V. Constitutione numero præcedenti citatâ idem declaravit.

Quandonam Matrimonium cehsetur invalidum defectu consensûs?

II. R. Tunc, quando alteruter contrahentium consensum naturalem de se sufficientem non præstat, veluti si sit error personæ, si alterutra pars sit amens, infans, usu rationis carens, ebrius, &c.

Item si quis ex metu gravi Matrimonium irritante contrahat; nam metus ille, saltem juris suppositione, infert defectum consensûs.

Idem videtur dicendum, si quis scienter cum impedimento dirimente Matrimonium attentet, certò credens se non posse validè contrahere, nam & ibi, ut numero 68. vidimus, consensus deest.

Sì quis fictè contrahat, licèt fictio sit merè interna, Matrimonium illud non inducet impedimentum, quidquid contradicat Sanchez; quia jura, sinè exceptione, statuunt Matrimonium invalidum defectu consensûs, non inducere impedimentum.

Extra hos casus Matrimonium ob aliud quodcumque impedimentum, putà voti, cognationis, impotentia, &c.

invalidè contractum, cùm naturalem consensum non excludat, impedimentum publicæ honestatis inducit.

III. Matrimonium ob clandestinitatem nullum, juxta Sanchez non inducit impedimentum; sed cùm clandestinè contrahens, non minùs in Matrimonium consentiat quàm impeditus, v. g. voto solemni; hinc contrariæ sententiæ, cum Bonacina, Cabbasutio & aliis plerisque omnino subscribendum.

IV. Quæstio superest, an hoc impedimentum oriatur respectu personæ, quâcum antea Sponsalia valida sunt contracta: casus est: Joannes contraxit Sponsalia valida & absoluta cum Anna, postea attentat Matrimonium, non tamen consummat cum Catharina sorore Annæ, vel cum alia Annæ consanguinea in primo gradu: quæritur an Joannes ex illo Matrimonio invalido contrahat impedimentum cum Annâ?

R. Sanchez, Bosco, Daelman, Collet, cum communi sententia, negant, probantque ex cap. unico de Sponsalibus in 6. Pauwels & alii quidam affirmant; quia in citato capitulo non agitur de Matrimonio invalido, sed de Sponsalibus tantùm; verba capituli sunt: "Ex Sponsalibus... oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia Sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis:" unde in rigore loquendo, Joannem impedimentum hoc cum Anna contrahere sustinet Bonacina, qui tamen propter communem Doctorum interpretationem Joannem cum Anna posse validè contrahere admittit. Optimum erit in hoc casu recurrere ad Ordinarium: cæterùm, ut observat Sanchez, licèt Joannes in casu validè posset Matrimonium cum Anna contrahere, hoc tamen non poterit cum ulla alia Cartharinæ consanguinea intra quartum gradum, imò nec cum ipsa Anna, si Sponsalia cum ea dissoluta fuerint ante attentationem Matrimonii cum Catharina. Impedimentum hoc est Juris Ecclesiastici tantùm.

N. 97. DE IMPEDIMENTO AMENTIÆ.

I. *Definitio.* II. *Matrimonium tempore lucidi intervalli est validum.* III. *Aliquando licitum.*

QUID est impedimentum amentiae?

I. R. Est impedimentum dirimens Matrimonii ob

defectum usûs rationis in alterutro contrahente. Vide cap. DILECTUS, lib. 4. decret. tit. 1.

Collige hoc impedimentum esse juris naturæ.

Sub amentibus comprehenduntur furiosi & imbecilles qui deliberationis & electionis sunt incapaces. Cæterum intelligitur talis amentia, quæ non relinquit sufficientem usum rationis ad intelligendam substantiam contractûs matrimonialis.

Perinde est, sive amentia sit perpetua sive temporanea, modò tempore amentix Matrimonium attentetur.

II. Si quis illud contrahat, tempore quo lucida habet intervalla, Matrimonium validum erit, passim tamen illicitum, ut docet S. Thom. Suppl. quæst. 58. art. 2. in Corp. tum ob recurrentes funestos amentix effectus, tum ob periculum, ne generatio impediatur, tum denique, quòd talis idoneus non sit ad prolem debitè educandum.

III. Ob justam tamen causam quandoque tale Matrimonium licitum esse potest, v. g. ad legitimandam prolem, reparandum honorem præclaræ puellæ, bonum regni procurandum. Faciliùs interim permittetur hujusmodi Matrimonium, ubi vir taliter amens est, quam ubi femina, ob majus periculum prolis ex parte feminx amentis.

Si uterque sit taliter amens, vix, aut ne vix, Matrimonium inter illos licitum esse potest.

Si justa quædam causa taliter amentem ad Matrimonium admittendi subesse videatur, Pastor eam proprio judicio non discutiat, sed ad Ordinarium deferat; cujus est dispicere, utrùm illa causa prævaleat incommodis ex tali Matrimonio sequi natis.

N. 98. DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

I. *Oritur ex carnali copula.* II. *Perfecta.* III. *Sufficit copula inter senes.*

QUID est affinitas?

I. Est propinquitas personarum orta ex copula carnali: per illam vir fit affinis consanguineis mulieris, & mulier consanguineis viri; cùm enim per copulam vir & mulier fiant una caro, uterque tangit consanguineos alterius, & eos sibi facit affines.

Fundamentum itaque affinitatis est copula carnalis, sive matrimonialis sive extra-matrimonialis: patet ex c. 7. & 8. lib. 4. decret. tit. 13.

II. Ut tamen copula carnalis affinitatem inducat, debet esse consummata in vase debito cum emissionem seminis virilis intra illud: seu quod idem est, debet esse apta generationi: ita post S. Thomam Suppl. q. 55. art. 4. ad 2. Authores communiter.

Et hinc non exurgit affinitas ex copula sodomitica, neque ex illa, quæ habita fuit citra seminationem viri.

III. Contra oritur affinitas ex copula inter senes & steriles habita: quia illa de se generationi apta est, & ex ea vir & mulier fiunt una caro.

Sufficit etiam copula consummata cum muliere invita, dormiente, ebria, insana, &c. vide cap. DISCRETIONEM, tit. supra citato, similiter ad contrahendam affinitatem nil refert, an copula occulta sit, an non, & quotiescumque constat de copula, præsumetur in foro externo consummata.

N. 99. DE MODO DIGNOSCENDI AFFINITATEM.

I. *Regula pro dignoscenda affinitate.* II. *Quorundam vocabulorum significatio.*

I. PRO faciliori affinitatis notitia assignari solent tres sequentes regulæ:

Prima; inter duas personas, quarum neutra copulam habuit, non potest esse affinitas; quia ex sola copula oritur.

Secunda; affinitas non parit affinitatem, juxta cap. QUOD SUPER HIS, tit. 14. lib. 4. decret. 14. hinc Joannes v. g. per copulam cum Anna fit quidem affinis consanguineus Annæ, sed nullo modo consanguineus Joannis fiunt affines consanguineis Annæ, & ita duo fratres possunt inire Matrimonium cum duabus sororibus, pater & filius cum matre & filia, vitricus cum privigna.

Tertia; itaque affinitas tantum esse potest inter illas personas, quarum una cognovit consanguineam alterius: & quoto gradu aliqua persona est consanguinea alteri, eodem gradu est affinis illi, quacum illa altera copulam habuit.

Observandum hîc, quòd in affinitate, sicuti & in consanguinitate distingui debeant stipes, linea & gradus.

Stipes sunt illæ duæ personæ, inter quas copula habetur, & in quacumque linea aut gradu quis alterutri parti stipitis est consanguineus, eisdem lineâ, & gradu est affinis alteri: sic avus Joannis, qui Joanni est consanguineus in secundo gradu lineæ rectæ, eodem modo in secundo gradu lineæ rectæ est affinis Catharinæ à Joanne carnaliter cognitæ. Frater Joannis, qui Joanni est consanguineus in primo gradu lineæ collateralis, est affinis Catharinæ etiam in primo gradu lineæ collateralis, & ita de cæteris.

Non abs re erit, si hîc quorundam vocabulorum significationem tradamus ex lib. 1. instit. tit. 10. de Nuptiis.

II. Itaque ego vocor PRIVIGNUS (steif-zoon) (beau-fils) vel PRIVIGNA (steif-dochter) (belle-fille) respectu VITRICI (stief-vader) (beau-pere, mari du second lit) vel NOVERCÆ (stief-moeder) (marâtre.)

Quis vocatur SOCER (schoon-vader) (beau-pere), vel SOCRUS (schoon-moeder) (belle-mere), respectu GNERI sui, (schoon-zoon) (gendre), qui est maritus filiæ suæ, item respectu NURSUS suæ, (schoon-dotcher) (bru), quæ est uxor filii sui.

Frater viri mei vel uxoris meæ dicitur respectu mei LEVIR (swager) (beau-frere): Soror autem viri vel uxoris dicitur GLOS (swagerin) (belle-sœur): fratris mei uxor mihi FRATRIA est, sororis meæ vir SORORIUS.

Quo gradu affinis est avunculus uxori sui nepotis?

R. Est ipsi affinis in secundo gradu, seu potiùs in primo & secundo mixtim, lineæ collateralis.

Nota, quòd hoc impedimentum non cesset morte alterutrius conjugum vel fornicantium, sed sit perpetuum; uti decernitur causâ 31. quæst. 10. can. 1.

N. 100. AD QUEM GRADUM AFFINITAS
DIRIMIT MATRIMONIUM?

- I. *Affinitas ex copula matrimoniali dirimit matrimonium usque ad quartum gradum.* II. *Ex copula verò fornicaria usque ad secundum gradum.* III. *Affinitas ex copula putativè matrimoniali tantum dirimit usque ad secundum gradum.*

I. AFFINITAS ex copula matrimoniali, seu habita inter Matrimonio junctos dirimit Matrimonium contrahendum inter affines usque ad quartum gradum inclusivè, tam in linea collateralis, quàm in recta: constat ex cap. NON DEBET, lib. 4. decret. tit. 14. Ante Concilium Lateran. quartum, ex quo desumptum est præfatum capitulum, impedimentum affinitatis extendebatur usque ad septimum gradum inclusivè, ut patet ex Can. NULLUM, & Can. ÆQUALITER, causâ 96. quæst. 3.

II. Affinitas ex copula fornicaria olim dirimebat Matrimonium ad eundem gradum, sicuti affinitas ex copula Matrimoniali; sed jure novo Concilii Trident. sess. 24. cap. 4. jam tantum dirimit usque ad secundum gradum inclusivè.

Observat Sanchez & Doctores passim Trid. sub affinitate contracta ex fornicatione, comprehendere etiam illam, quæ oritur ex alia specie luxuriæ; puta stupro, adulterio, incestu; &c.

Insuper Concil. Trid. ita restrinxit hoc impedimentum ex copula fornicaria, ut ultra secundum gradum non tantum non dirimat, sed nequidem impediatur Matrimonium; ut declaravit Pius quintus in constitutione AD ROMANUM. Hinc Joannes fornicatus cum Anna, validè & licitè, nisi aliud quid obstat, Matrimonium contrahit cum Annæ consanguinea in tertio gradu: ubi, si Joannes fuisset Matrimonio junctus cum Anna, cum nulla ejus consanguinea infra quartum gradum Matrimonium validum inire posset.

Ad quem gradum parit affinitatem copula inter illos habita, quorum Matrimonium est invalidum?

III. R. Cùm illa copula sit fornicaria, saltem materialiter, videtur tantum parere affinitatem usque ad

secundum gradum ; sicuti enim copula inter conjuges, licèt animo fornicario habita, inducit affinitatem usque ad quartum gradum, ita copula inter non conjuges, quamvis animo conjugali habita, videtur tantùm inducere affinitatem usque ad secundum gradum, quia equidem est fornicaria in substantia.

Collet tamen ex Gibert extendit affinitatem usque ad quartum gradum, tunc quando Matrimonium bonâ fide ab utraque parte fuit contractum ; & Pignatelli Tomo quarto, consultatione 15. refert declarationem sacræ Congregationis datam tertiâ Octobris 1667. quæ dicit : “ si adfuerit figura Matrimonii ; ex copula licèt illicita in tali Matrimonio habita orietur affinitas usque ad quartum gradum ; ” sed de illa declaratione juxta La Croix non satis constat.

Interim si non oriatur affinitas ultra secundum gradum, tamen ex illo Matrimonio, nisi invalidum sit defectu consensûs, orietur impedimentum publicæ honestatis, usque ad quartum gradum, uti diximus Num. 95.

N. 101. QUO JURE AFFINITAS DIRIMAT MATRIMONIUM ?

- I. *Dirimit juxta aliquos jure naturæ in primo gradu lineæ rectæ.*
- II. *Sententia opposita verisimilior.*
- III. *Ecclesia in primo gradu lineæ rectæ non dispensat.*
- IV. *Nisi affinitas sit contracta ex fornicaria copula.*
- V. *In nullo gradu lineæ collateralis dirimit jure naturæ.*
- VI. *Scienter cum hoc impedimento contrahens est excommunicatus*
- VII. *Affinitas ante Baptisma contracta constituet impedimentum post Baptisma.*

AFFINITATEM dirimere Matrimonium jure Ecclesiastico, patet ex Canonibus numero præcedenti allegatis ; quare hîc tantùm quæritur : an aliquis gradus affinitatis dirimat Matrimonium jure naturæ ?

I. Quidam putant affinitatem primi gradûs lineæ rectæ ex copula matrimoniali dirimere Matrimonium jure naturæ, inter vitricum & privignam, inter socrum & generum : ratio est, quòd in affinitate primi gradûs

lineæ rectæ interveniat quædam relatio parentis & prolium, seu talium, qui horum vices subeunt; ex illa autem relatione oritur quoddam debitum reverentiæ & honorificentiæ, cui turpitudinis revelatio contraria est, ut in simili diximus de consanguinitate primi gradûs lineæ rectæ.

II. Alii tamen probabiliùs docent Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, jure naturæ non esse nullum; ratio enim adversæ sententiæ tantùm probat ejusmodi Matrimonium esse jure naturæ illicitum, non autem invalidum; reverentia enim affinibus primi gradûs lineæ rectæ debita, multò minor est illâ quæ debetur parentibus naturalibus. Favent huic sententiæ tria Concilia Provincialia sæculo sexto habita: nempe Agathense Can. 21. Epaonense Can. 30. & tertium Aurelianense Can. 10. quæ jubent hujusmodi conjugia in infidelitate contracta non dissolvi.

Objicies tamen: Apostolus I. ad Cor. cap. 5. v. 1. dicit: "Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui aliquis habeat."

R. Apostolus agit de illo, qui patre vivente uxorem ejus habebat, ut colligitur ex 2. ad Cor. cap. 7. v. 12. ubi Apostolus sic habet "Scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est:" vivebat ergo adhuc pater ejus, qui supponitur injuriam passus: dato etiam quòd pater mortuus fuerit, dici potest, quòd pleræque gentes simile Matrimonium detestarentur tanquam illicitum jure naturæ, prout re ipsâ est.

III. Quidquid sit, in primo gradu lineæ rectæ ex copula matrimoniali, Ecclesia nullibi legitur dispensasse; & ut testatur Benedictus XIV. lib. 14. de Synodo Diocesana cap. 39. Pontifices, licèt sæpius rogati, à dispensando semper abstinerunt.

Affinitatem in secundo gradu lineæ rectæ non dirimere Matrimonium jure naturæ, satis convenit inter omnes.

IV. Idem etiam certum videtur de affinitate primi gradûs lineæ rectæ ex copula fornicaria: ex illa enim non solet nasci tanta reverentia inter affines, unde in hac affinitate dispensari solet; saltem, inquit Steyaert, ut vir ducat illam, cujus matrem cognovit.

V. In linea collaterali nullus gradus affinitatis, quam-

vis hæc orta sit ex copula matrimoniali, dirimit Matrimonium jure naturæ; nam & Jacob tempore legis naturæ duxit duas sorores, Liam & Rachelem, & in Lege veteri Deuteron. 25. statuitur, ut frater uxorem fratris sui sinè liberis defuncti accipiat: hinc etiam cap. finali de Divortiis, permittuntur infideles conversi permanere cum viduis fratrum suorum, quas tempore infidelitatis duxerant.

Nec obstat, quòd Marc. 6. v. 18. Joannes Baptista dicat Herodi: "Non licet tibi habere uxorem fratris tui."

R. S. Hieronymus in cap. 14. Matthæi, & Josephus lib. 14. Antiquit. cap. 9. dicunt, quòd Herodias esset uxor Philippi, fratris adhuc viventis, adeoque mirum non est, quòd Herodi eam habere non liceret: quòd si supponatur cum S. Chrysostomo homiliâ 49. in Matthæum, Philippum fratrem Herodis, fuisse mortuum; tunc dicitur, quòd equidem illam Herodes ducere non potuerit; quia Herodes, tanquam proselytus, erat subjectus Legi veteri, juxta quam tunc tantùm poterat accipere uxorem fratris sui defuncti, quando hic sinè liberis defunctus erat: jam autem Philippus habuerat liberos, saltem infamem illam saltatricem, quæ caput Sancti Joannis Baptistæ petiit & obtinuit, ut patet ex Marc.

Hinc patet, quàm immeritò Henricus VIII. Angliæ Rex, Catharinam Arragoniam, Arturi fratris sui viduam, quam ex dispensatione Julii II. duxerat, repudiaverit (ut duceret Annam de Bolen) sub prætextu, quòd Pontifex cum ipso dispensare non potuerit: & hæc est origo schismatis Anglicani.

VI. Observandum pro impedimento affinitatis, consanguinitatis, voti & ordinis, quòd per Clementinam unicam de consanguinitate & affinitate, scienter Matrimonium cum uno ex prædictis quatuor impedimentis contrahentes, ipso facto excommunicationem incurrant; sed quæ, ut observat Collet, non est reservata.

VII. Sicuti consanguinitas inter consanguineos, ita affinitas ex copula matrimoniali parit naturale quoddam vinculum inter affines, quod cùm naturale sit, tam oritur inter infideles, quàm inter fideles, & hinc fit, quòd consanguinitas & affinitas ex copula matrimoniali inter infideles contractæ, post Baptismum perseverent, & accipiant rationem impedimenti secundùm

Leges Ecclesiæ: colligitur ex cap. finali de Divortiis, lib. 4. decret. tit. 19.

Hinc infideles post Baptisma susceptum, nec cum consanguinea sua, nec cum affini intra quartum gradum possunt Matrimonium inire, etiamsi consanguinitas vel affinitas in infidelitate contracta sit.

Idem dicendum putat Sanchez, licet Matrimonium tempore infidelitatis initum, non fuerit consummatum; quia ex Matrimonio valido, licet non consummato, etiam oritur naturale quoddam vinculum amicitiae: hoc tamen impedimentum non erit affinitas, sed publica honestas.

Aliud est, si Matrimonium fuerit invalidum, licet consummatum; quia ex copula fornicaria, ut statim dicemus, non oritur naturale vinculum amicitiae, neque etiam ex Matrimonio invalido; similiter ex Sponsalibus tale vinculum non exurgit, saltem eatenus, ut ratione istius Matrimonium postea dirimatur: unde qui illa in infidelitate contraxit, potest sine dispensatione Matrimonium inire cum consanguinea prioris sponsæ in primo gradu. Cum copula fornicaria non tam pariat vinculum amicitiae cum mutuis consanguineis, quam potius aversionem, non videtur oriri affinitas inter infideles ex copula fornicaria; adeoque is, qui in infidelitate fornicatus est cum Anna, ad fidem conversus, ducere potest quamcumque Annæ consanguineam: aliqui tamen dissentiunt.

Si quis fidelis fornicetur cum infideli, infidelis, licet postea baptizetur, nunquam contrahet impedimentum affinitatis cum consanguineis fidelis; sed pars fidelis contrahet affinitatem cum consanguineis infidelis, si illi postea baptizentur aut jam baptizati sint: ita Sanchez lib. 7. disp. 65.

N. 102. RESOLUTIONES CASUUM.

- I. *Casus primus.* II. *Casus secundus.* III. *Casus tertius.* IV. *Casus quartus.* V. *Casus quintus.* VI. *Casus sextus.*

I. JOANNES contraxit Sponsalia absoluta cum Catharina, & habuit copulam cum Anna sorore Catharinæ: utram ducere potest?

R. Si Sponsalia præcesserint copulam, neutram potest ducere; quia ex Sponsalibus habet impedimentum publicæ honestatis cum Anna, & ex copula habet impedimentum affinitatis cum Catharina: si verò copula præcesserit Sponsalia, non potest ducere Catharinam ob impedimentum affinitatis, sed potest ducere Annam; quia Sponsalia cum Catharina, ob impedimentum affinitatis præcedens, fuerunt invalida; adeoque ex illis impedimentum publicæ honestatis non fuit exortum.

II. Joannes contraxit Sponsalia cum Catharina, & postea fornicatus est cum Anna, Catharinæ consobrina?

R. Habet impedimentum affinitatis cum Catharina, ortum ex fornicatione cum Anna, Catharinæ consanguinea in secundo gradu: non habet impedimentum dirimens cum Anna; quia impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus non excedit primum gradum.

III. Joannes fornicatus est cum Catharina, & clandestinè Matrimonium contraxit cum Anna, Catharinæ consanguinea in tertio gradu, in loco ubi Tridentinum est promulgatum?

R. Potest ducere Annam, non Catharinam; quia cum Catharina habet impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio rato invalido, ut dictum est N. 96; cum Anna autem impedimentum dirimens non habet, attento, quòd affinitas ex copula fornicaria secundum gradum non excedat.

IV. Joannes contraxit Sponsalia cum Anna, & postea Matrimonium invalidum, sed non defectu consensûs, cum Catharina, Annæ consanguinea in tertio gradu, quod etiam consummavit: dic, an habeat impedimentum cum alterutra?

R. Ex illo Matrimonio invalido consummato, duplex oritur impedimentum, scilicet, publicæ honestatis usque ad quartum gradum, & affinitatis usque ad secundum, vel fortè etiam usque ad quartum, ut vult Pignatelli citatus Num. 100; unde si Sponsalia fuerint inita post illud Matrimonium, fuerunt invalida, saltem ob impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio: si verò Sponsalia inita sint ante Matrimonium, juxta Pignatelli, Joannes adhuc contrahet impedimentum affinitatis cum Anna, ex copula in illo Matrimonio habita: juxta alios verò, qui illam affinitatem tantùm extendunt usque ad secundum gradum, illud non con-

trahet, nec etiam contrahit impedimentum publicæ honestatis cum Anna ex illo Matrimonio invalido; quia publica honestas ex Matrimonio invalido non dirimit Matrimonium cum illa, quâcum præviè contracta sunt Sponsalia. Pauwels tamen, ut N. 96. vidimus, est in alia sententia. Joannes non contrahit impedimentum cum Catharina ex sponsalibus cum Anna, habet tamen cum Catharina ex illis Sponsalibus impedimentum impediens, sicut cum qualibet alia.

V. Joannes contraxit Sponsalia cum Anna, & fornicatus est cum noverca Annæ: an cum alterutra habet impedimentum?

R. Joannes inde non habet impedimentum dirimens cum alterutra; quia impedimentum publicæ honestatis & affinitatis Joannes tantùm contrahet cum consanguineis illarum; Anna autem & ejus noverca non sunt consanguinei, sed tantùm affines.

Habet tamen Joannes ex Sponsalibus cum Anna impedimentum impediens cum ejus noverca, sicut cum qualibet altera.

VI. Joannes contraxit Sponsalia ex metu gravi injustè ad extorquendum consensum incusso cum Anna: an potest inire Matrimonium cum sorore Annæ?

R. Resolutio pendet ex eo: an Sponsalia illa valida sunt, an non? In primis satis constat illa non esse jure naturæ nulla; sed ad normam aliorum contractuum esse illo jure rescindibilia ad nutum metum passi; deinde etiam non videntur irrita jure positivo, cùm nullus textus juris, unde irritatio hæc deducatur, allegari possit; unde etiam Sanchez & Collet, licèt contrariam sententiam teneant, hanc tamen probabiliorem agnoscunt. Posito jam Sponsalia illa esse valida, consequenter dicendum est, Joannem non posse Matrimonium inire cum sorore Annæ; quia, ut N. 94. vidimus, ex Sponsalibus validis & absolutis oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens Matrimonium cum consanguineis alterius in primo gradu.

N. 103. DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

- I. *Impedimentum clandestinitatis* II. *Introductum per Concil. Trident.* III. *Dirimit jure Ecclesiastico.* IV. *Lex Trident. non ligat, nisi ubi est promulgata.*

QUID est impedimentum clandestinitatis ?

I. R. Est impedimentum dirimens Matrimonium, eò quòd contrahatur sinè præsentia Parochi & duorum ad minùs testium, ita ut non tantùm sit invalidum in ratione Sacramenti, sed etiam in ratione contractûs : II. ita autem Concilium Tridentinum sess. 24. cap. I. de reformat. Matrim. statuit de hoc impedimento : “ Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit ; & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat..... Statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alteri Sacerdoti concedi posse.”

Quo jure clandestinitas dirimit Matrimonium ?

II. R. Jure merè Ecclesiastico introducto per Concilium Tridentinum ; hinc idem Concilium in initio capitis citati declarat, Matrimonia clandestina antea vera ac rata fuisse, licèt Ecclesia ea semper detestata fuerit, ac prohibuerit justissimis ex causis, præsertim ad impedienda gravissima peccata, quæ committebantur, dum, relictâ uxore clandestinè acceptâ, ad adulterina conjugia transibant ; potest addi quòd per hujusmodi Matrimonia ratio Sacramenti violenter separaretur à ratione contractûs, juxta sententiam, quæ docet, Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti.

Nota, quòd Tridentinum in fine ejusdem capitis requirat, ut prædicta lex publicetur in unaquaque Parochia, ac robur suum post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.

IV. Hinc deducitur, adhuc valida esse Matrimonia clandestina in illis locis, ubi lex Tridentini publicata non est, ut in Anglia, Polonia, Suevia, Saxonia, Dania, &c.

Si tamen lex illa alibi, licet non publicata, fuerit usu recepta & observata tanquam lex Concilii, robur suum habebit & Matrimonium aliter contractum irritatur; quia observatio illa æquivalet publicationi formali: imò præsumitur lex illa ibidem promulgata, ut habent declarationes Cardinalium apud Pignatelli, tom. 5. consult. 79.

Nota, quòd ubi Catholici & hæretici habent singuli suas Parochias proprias in eadem civitate, ut Ratisbonæ & in aliis Germaniæ locis, decretum Concilii Tridentini non censeatur promulgatum apud hæreticos, ex hoc solo, quòd sit publicatum in Ecclesiis Catholicorum: quia Tridentinum exigit pro obligatione suæ legis, ut publicetur in unaquaque Parochia, ergo in Parochiis, in quibus lex illa publicata non est, non obligat.

N. 104. QUALIS SIT LEX CONCILII TRIDENTINI IRRITANS MATRIMONIA CLANDESTINA ?

I. *Una parte excepta & eximitur altera.* II. *Acquirentes domicilium in loco, ubi Lex Trident. non est publicata, ibi lege non tenentur.* III. *Non cessat lex ob ignorantiam, &c.* IV. *Matrimonium clandestinum non habet vim Sponsalium.*

RESP. Est lex localis, obligans omnes contrahentes in tali loco, & etiam personalis respectu incolarum talis loci: unde aliqui eam vocant Parochialem; quia obligat omnes contrahentes in Parochia, & incolas Parochiæ contrahentes alibi.

Ex his deducitur incolas Angliæ, quamvis ibidem validè Matrimonium clandestinè contrahant, in hac tamen patria existentes, sic invalidè contrahere, si nempe sint baptizati; quia lex Tridentini est localis.

Item, si habitantes stabiliter Mechliniæ peregrinentur in Angliam, ibique Matrimonium clandestinè contrahant, illud erit invalidum; quia lex respectu illorum

est personalis, & consequenter ubique eos afficit ; atque ita habet declaratio Sacræ Congregationis, quam confirmavit Urbanus VIII. in Brevi ad Archiepiscopum Coloniensem, dato die 4. Augusti anno 1627.

Quid, si incola v. g. Mechliniensis in Anglia contrahat Matrimonium clandestinè cum incola Angliæ ?

I. R. Matrimonium illud erit validum ; quia incola Angliæ non tenetur ibidem lege Tridentini ; illud autem privilegium suum communicat alteri secum contrahenti : unde tale Matrimonium valere respondit Sacra Congregatio, testante Wamesio, 4º. in consultat. 530 & Pignatelli, tom. 5. consultat. 79. Eodem modo anno 1767. resolutum fuit à Clement. XIII. in simili quodam casu ab Excellentissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi Romam delatò ; quem, prout ab Excellentissimo Domino fuit propositus & à Sanctitate Sua resolutus, integrè hìc subjungimus.

POSITIO CASUS.

Nobilis quidam Bruxellis in aula Principis CAROLI Belgii Gubernatoris munus gerens, in Hollandiam profectus, litteris ad me datis petiit, velim ibidem Presbyterum quemdam designare coram quo, tanquam proprio Parocho, Matrimonium inire possit cum vidua defuncti N. feminâ illius regionis protestante : reposui, me id minimè facturum, eâ addita ratione, quòd Tuî solius sit, Beatissime Pater, pro suprema, quâ in Ecclesia Dei polles autoritate, dispensare super hujus generis Matrimoniis, quæ sancta Mater Ecclesia semper detestata fuit : hisce tamen non obstantibus, cùm præfatus Nobilis N. in Hollandia jam moram traheret, quò sese datâ operâ contulerat, post lapsum sex mensium prætextu initi jam illic veri domicilii, nullis præmissis in sua Parochia denuntiationibus, coram Magistratu A catholicis, non servatâ formâ Concilii Tridentini, cum præfata femina protestante Matrimonium inivit ; quod quidem non in contemptum Ecclesiæ, nam vir est orthodoxæ fidei bonisque moribus præditus : sed in obsequium potiùs quorundam prudentum hujus sæculi fecisse censendus est. Consului in re tanti momenti Nuntium Apostolicum Bruxellis degentem, Episcopum

Antuerpiensem, Canonicos Capituli mei gradibus Academicis insignitos, variosque Theologos, qui omnes unà mecum censuerunt Matrimonium hoc, attento ultimo declarationis Benedicti XIII. felicis memoriæ articulo, saltem dubium esse: remque ad Sedem Petri esse deferendam, ejusdemque Sanctæ Sedis Oraculum præstolandum; quapropter Sanctitati Tuæ humillimè supplico, velis pro Tua sapientia & autoritate dubium hoc solvere ac judicium ferre. Hunc casum resolvit Clemens XIII. per Breve datum die 15. Maii ejusdem anni in hunc modum.

“ Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem... Nos... Ea, quæ à te nobis exposita sunt, in concilium deduximus, maturèque re deliberatâ, ac omnibus rationum momentis ritè perpensis, in eam devenimus sententiam, ut Matrimonium istud inter Nobilem Catholicum & viduam N. protestantem in Hollandia initum, nisi fortè aliquod aliud canonicum intersit impedimentum, etsi illicitum, validum tamen esse censeamus: atque hoc quidem judicium nostrum eo potissimùm fundamento innititur, quòd Tridentinâ lege, quæ de Matrimoniis coram proprio Parocho contrahendis sancita est, mulierem in Hollandia natam non teneri, certum sit, juxta declarationem sanctæ memoriæ Benedicti XIV. anno 1745. editam, quòd mulieris Privilegium viro etiam cum illa contrahenti communicari debere, etsi natus ipse sit inter Catholicos, ibique vitam duxerit, ubi legi locus esset, visum pariter est eidem prædecessori nostro in suo opere de Syn. Dioces. lib. 6. c. 6. N. 12.

“ Nec obstare quidquam potest, quod in postremo paragrapho præfatæ declarationis continetur; ibidem enim de iis dumtaxat Matrimoniis agitur, quæ inter partes duas, utrasque Lege Tridentinâ vinculo contractas, contrahuntur, quæ partes, ut eidem Legi fraudem inferant, in Hollandiam nuptias inituræ commigrarunt. Cùm itaque nihil jam reliquum difficultatis sit, quin Matrimonium istud, ut jam affirmavimus, quantumvis illicitum, validum tamen censi debeat, eo se nunc modo fraternitas tua erga Catholicum gerere debet, ut in §. 3. ejusdem declarationis præscribitur; ipsi scilicet salutarem imponendo pœnitentiam, ad commissum luendum crimen veniamque à Domino impetrandam. Mandandoque, ut, quantum in se erit, uxori suæ ad Catholicam fidem convertendæ det ope-

ram, uterque omnino ut suscipiendi à se liberi in Catholica religione instituantur ac educantur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem 17 calendas Junii anno 1767. Pontificatûs nostri anno nono."

Neesen, qui simile Matrimonium invalidum putavit, adducit pro se ex Zypæo declarationem Cardinalium censentium, simile Matrimonium esse invalidum, confirmatam ab Urbano VIII; sed ut videre est apud Benedictum XIV. ista declaratio non agit de nostro casu, sed de casu, quo utraque pars Lege Tridentini obstricta, se in locum, in quo ista Lex non viget, recipit, anno ibidem clandestinè contrahendi absque eo quòd domicilium alterutra mutet.

II. Si incolæ Mechlinienses ita migrent in Angliam, ut ibidem verè domicilium acquirant, validè possunt ibidem inire Matrimonium clandestinum, licèt in fraudem legis, seu animo clandestinè contrahendi, eò migraverint: ita Urbanus VIII. in Brevi ad Archiepiscopum Coloniensem supra citato; nec obstat, quòd fraus nemini debeat patrocinari; quia, ut reflectit Sylvius, fraus illis non patrocinatur, sed domicilium, ratione cujus fiunt incolæ & Parochiani loci, ubi Lex Tridentini non obligat. Declarationem S. Congregationis super hac re, quam prædicto Brevi Urbanus VIII. confirmavit, vide apud Benedictum XIV. instit. 33. num. 9.

An prædicta lex Tridentini non cessat propter ignorantiam invincibilem vel ob legitimationem prolis in articulo mortis, aliamve gravem necessitatem per quandam epickiam.

III. R. Negativè: quia est lex irritans, quæ ut talis, non cessat ob ignorantiam vel necessitatem, ut dictum est N. 70. licèt cessare possit quatenùs prohibens?

IV. An saltem Matrimonium clandestinè contractum in locis ubi Tridentinum est publicatum, non habet vim Sponsalium?

R. Negativè: saltem inter puberes. Ita referente Benedicto XIV. instit. 46. num. 3. sæpius declaravit Sacra Congregatio.

N. 105. DE PAROCHO ASSISTENTE
MATRIMONIO.

I. *Quinam veniant nomine Parochi.* II. *Validè assistit Parochus excommunicatus, suspensus, &c.* III. *Item habens titulum coloratum Parochi.* IV. *Vice-Pastor invalidè assistit,* V. *Nisi sit deputatus.* VI. *Licentia præsumpta non sufficit.* VII. *Quinam licentiam illam possunt concedere.* VIII. *Licentia illa hìc non datur Religiosis.*

QUIS intelligitur nomine Parochi, coram quo Matrimonium contrahi debet?

I. R. Omnis ille, qui habet potestatem ordinariam respectu contrahentium, eâque ratione vocatur eorum Parochus proprius: cujusmodi est Papa respectu universalis Ecclesiæ, Episcopus vel Vicarius Generalis, seu Ordinarius respectu suæ Diœcesis, Pastor respectu suæ Parochiæ, & Parochiæ Deservitor, qui hìc ad instar Parochi designatus est ad universalitatem causarum.

An valet Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, suspenso, irregulari, interdicto, &c.?

II. R. Si Pastor sit toleratus, Matrimonium validum est; quia acta ejus valida sunt: si sit denunciatus, seu non toleratus, quidam eum invalidè assistere dicunt, eò quòd assistentia Parochi sit functio Pastoralis & Ecclesiastica, quâ, juxta illos, pèr denuntiationem censuræ privatur, plures tamen eum validè assistere docent, modò actualiter non sit depositus; eò quòd assistentia Parochi non sit actus jurisdictionis, sed conditio seu solemnitas à lege requisita pro testificatione contracti Matrimonii. Hinc ulteriùs quidam inferunt, quòd talis Parochus etiam possit concedere licentiam Matrimonio assistendi alteri Sacerdoti, licèt hic etiam foret excommunicatus, suspensus, &c.

III. Sacerdos validè assistit Matrimonio, qui habet titulum coloratum Parochi cum communi errore vulgi, licèt verè Parochus non sit, v. g. ob simoniam confidentiæ. Intrusus verò assistit invalidè, quia non habeat titulum coloratum, nisi fortè esset intrusus à legitima potestate, sive à superiore, & communis error accederet.

Quid sit titulus coloratus, vide Tractatum de Pœnitentia. De non Sacerdote habente talem titulum dicetur numero sequenti.

An Episcopus potest assistere & alteri dare licentiam assistendi Matrimonio suorum Diœcesanorum invito Parocho?

R. Affirmativè: cùm major sit in potestate: id tamen non conveniret, nisi ex gravi causa.

E converso, Pastor validè, sed illicitè jungit suos parochianos, eosque jungendi alteri Sacerdoti concedit potestatem, prohibente Episcopo; quia habet potestatem à Concilio Tridentino, quam ei auferre Episcopus non potest.

IV. An Vice-Pastores, alique Confessarii habent potestatem assistendi Matrimoniis illorum pro quorum confessionibus excipiendis admissi sunt?

R. Negativè: quia non comprehenduntur sub nomine Parochi, & eorum jurisdictio non extenditur ad matrimonialia.

V. Ex commissione tamen Parochi, seu Ordinarii, quilibet Sacerdos validè Matrimonio assistit, ut statuit Concilium Tridentinum.

VI. Perinde est scripto an verbo licentia illa detur, modò data sit pro tempore, quo Matrimonium contrahitur: non sufficit licentia præsumpta, aut ratihabitio post contractum Matrimonium; quia licentia requiritur, ut validè assistat, adeoque debet Matrimonium præcedere.

Licentia ista dari non solet, nisi ad singulos actus; & notat Steyaert, quòd quamvis Vice-Pastoribus dari soleat universalis licentia pro aliis Sacramentis, non tamen conveniat eam universaliter dare pro Matrimonio ob singulares difficultates aliaque inconvenientia.

Quinam licentiam illam alteri Sacerdoti dare possunt?

VII. R. Omnes illi, quos in initio hujus numeri sub nomine Parochi comprehendimus; Vice-Pastores verò & alii Sacerdotes, licentiam Matrimonio assistendi à Parocho habentes, subdelegare non possunt, nisi de consensu delegantis.

Si tamen Parochus in absentia, v. g. universam illis curam committat, possunt subdelegare; sed tantùm ad particularem causam. Præstat interim, ut monet Braunman, à Parocho petere: an concessam facultatem etiam ad subdelegandum extendat?

An Pastor dicendo cuiquam : habe curam meæ Parochiæ, censetur eidem dare licentiam assistendi ?

R. Ordinariè talis generalis commissio id non includit ; nisi circumstantiæ, v. g. diuturnæ absentiæ consignent.

VIII. Eminentissimus Dominus Thomas Philippus, Archiepiscopus Mechliniensis piæ memoriæ, præcepit, ut licentia assistendi Matrimonio, non committatur Religiosis, sed tantùm Presbyteris sæcularibus & Vice-Pastoribus, qui illud in registro suo conscribant, & extractum remittant ad Parochum proprium junctorum, qui idem in registro parochiali describat, (conjugum nempe & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii, ut vult Tridentinum), simulque annotet, ut monet Rituale Romanum & Pastorale Mechliniense, Matrimonium illud coram tali Sacerdote, ex licentia à se ipso facta, fuisse contractum.

N. 106. DE PAROCHO SACERDOTE.

I. *Delegatus assistens debet esse Sacerdos.* II. *Idem aliqui putant de Parocho.* III. *Probabiliùs tamen non.* IV. *Quid si Parochus ob communem errorem reputetur Sacerdos.*

AN ille qui assistit Matrimonio, necessariò debet esse Sacerdos ?

I. R. Certum est, quòd ille qui assistit Matrimonio solummodo tanquam delegatus, debeat esse Sacerdos, ita ut Matrimonium aliàs sit invalidum : quia Concilium Tridentinum expressè dicit, præsentè Parocho vel alio Sacerdote, & contractus aliter factus decernitur nullus.

Controvertitur, utrùm assistens tanquam Parochus etiam necessariò debeat esse Sacerdos ?

II. R. Partem affirmativam tuentur Sylvius, Steyaert, Daelman, &c. quia Tridentinum, requirens Parochum vel alium Sacerdotem, videtur supponere Parochum Sacerdotem ; nam particula *alio* in Concilio videtur requirere eandem qualitatem Sacerdotii in Parocho sicut in delegato : deinde Concilium vocat Benedictionem Parochi Sacerdotalem.

III. Plures tamen negant, eò quòd particula *alio* non semper importet eandem qualitatem præcipuè

quando aliunde plures sunt conjecturæ pro opposito, quales hîc sunt : quòd Tridentinum, cùm quater mentionem Parochi faciat, nullibi tamen qualitatem Sacerdotii in illo exprimat, quod sanè non omisisset, si illam ad valorem Matrimonii requisivisset : deinde decretum Tridentini est correctorium juris antiqui : adeoque verba strictè sunt accipienda, &c. Quantùm ad benedictionem, quam vocat Tridentinum Sacerdotalem, ibi agitur de Benedictione solemni, quæ post contractum Matrimonium conjugibus impertitur, non verò de illa, quæ in ipso contractu adhibenda est his verbis : Ego vos conjungo, &c.

Pontius & alii pro hac sententia proferunt declarationem Cardinalium de anno 1593. & Fagnanus in cap. QUONIAM, de constitut. testatur in stylo Curiaë Romanæ, sententiam hanc pro certa teneri,

Quidquid sit, cùm prior sententia multis probabilis sit, Parochus, ut notat Collet, si non sit Sacerdos, Matrimonio assistere non potest, sed officium hoc alicui Sacerdoti committere debet eò magis, quòd, cum juxta probabilem multorum sententiam, Sacerdos sit hujus Sacramenti Minister, alia ratio Sacramenti probabiliter à ratione contractûs separaretur.

An in priori sententia Parochus, qui communi errore reputatur Sacerdos, & talis non est, validè assistit Matrimonio ?

IV. Quæstio hæc inde pendet : an Ecclesia suppleat defectum Sacerdotii, uti supplet defectum Parochi ob titulum coloratum ? Daelman putat, non suppleri defectum Sacerdotii, eò quòd Ecclesia non censeatur consentire, ut ratio Sacramenti separetur à ratione contractûs, prout hîc probabilius fieret : alii defectum illum suppleri volunt, tum in Parocho, tum in delegato ; hi præsertim, qui contrahentes Sacramenti Matrimonii putant esse ministros.

N. 107. DE PAROCHO PROPRIO.

- I. *Requiritur Parochus proprius alterutrius contrahentium.* II. *Error vulgi.* III. *Quis Parochus proprius?* IV. *Parochus validè assistit Matrimonio sui parochiani extra Parochiam.* V. *Sed citra licentiam illicitè.* VI. *Alterius Parochiæ sponso sinè licentia jungens est suspensus.* VII. *Coram quo milites contrahere debeant.* VIII. *Monitum.*

QUALIS intelligitur Parochus, coram quo juxta Tridentinum Matrimonium contrahi debet?

I. R. Intelligitur Parochus proprius alterutrius contrahentium: unde si contrahentes sint diversarum Parochiarum, quoad valorem Matrimonii idem est, utrùm assistat Parochus sponsi, an verò Parochus sponsæ. Ita declarasse S. Congregationem anno 1573. refert Benedictus XIV.

Consuetudo tamen hujus patriæ, quam Pastoralia confirmant, habet, quòd Parochus sponsæ assistat Matrimonio, non potest tamen Parochus sponsæ se difficilem præbere, ut Parochus sponsi assistat Matrimonio, neuter etiam licitè assistit, nisi habito priùs judicio & testimonio alterius. Vide N. 10.

Quid si duo Parochiani S. Rumoldi, fingentes se de parochia S. Petri, Matrimonium coram Pastore S. Petri contrahant?

R. Matrimonium illud esse invalidum, quia Pastor S. Petri non est Parochus alterutrius contrahentium; nec aliunde licentiam habere supponitur.

II. Error vulgi proinde corrigendus existimantis Matrimonium coram quocumque Pastore validè posse contrahi; & magis adhuc corrigendus est pejor error aliquorum, qui putant se coram Deo validè contrahere absque præsentia Parochi, & postquam ita contraxerunt, vivunt ut conjuges, dicentes, illas solemnitates non requiri pro valore Matrimonii coram Deo, sed tantùm, ut valeat Matrimonium coram Ecclesia.

Quis Parochus hic dicitur proprius?

III. R. Cum Sanchez, Sylvio, Steyaert, aliisque, ille dicitur parochus proprius, qui est Parochus domicili; & in cap. OMNIS UTRIVSQUE SEXUS, vocatur Sacerdos proprius pro Communionem annua, à quo

nempe contrahens Matrimonium, si tunc tempus paschale curreret, Communionem Paschalem de jure suscipere deberet. Pastor verò originis seu loci natiuitatis, nisi simul sit etiam Pastor domicilii non venit nomine Parochi proprii. Vide Benedictum XIV. loco citato num. 6. ubi affert in hanc rem declarationem Cardinalium de anno 1702.

An Parochus Matrimonio sui parochiani validè assistit extra limites suæ parochiæ?

IV. R. Communis sententia est affirmativa; quia Concilium Trident. non restrinxit facultatem illam ad ullum locum; deinde assistere Matrimonio, non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ; & ut dicit Van Espen, est simpliciter actus Pastoralis, quemadmodum administratio aliorum Sacramentorum: unde Parochus non tantùm extra parochiam, sed etiam extra Diocesim, & ubique terrarum, invito etiam parochi loci, validè assistit Matrimonio sui parochiani. Pontius quidem acriter prædictam illam impugnat, citatque pro se tres declarationes Cardinalium; at Fagnanus in cap. QUOD NOBIS, lib. 4. decret. de clandestina desponsatione, num. 33. dicit, Summum Pontificem prædictam communem sententiam approbasse & declarasse, ita in futurum respondendum esse, nullâ habitâ ratione alterius cujuscumque declarationis Cardinalium in oppositum.

Hinc ob easdem rationes etiam dicendum videtur, quòd Sacerdos deputatus possit validè assistere Matrimonio extra parochiam deputantis, & pro eo Collet etiam declarationem Cardinalium affert: videri potest Fagnanus loco citato num. 94. & seq.

V. Ordo tamen postulat, ut Parochus Matrimonio sui parochiani non assistat in aliena Parochia, sinè licentia Parochi loci, & in aliena Diocesi sinè licentia Episcopi illius.

VI. Notandum, in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. statutam esse pœnam suspensionis sententiæ latæ in Parochos & alios quoscumque Sacerdotes, qui alterius Parochiæ sponsos sinè illorum Parochi licentia, Matrimonio jungere ausi fuerint: quæ suspensio reservatur Ordinario illius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat.

Cùm autem ex consuetudine Matrimonium coram Parochi sponsæ contrahatur, suspensionem illam Ordinario Parochi sponsæ reservari, putat Daelman.

Eadem pœna hîc statuitur contra eum, qui sponsos alterius Parochiæ, sinè illorum Parochi licentia, benedicere ausus fuerit.

VII. Milites contrahere debent Matrimonium coram suo Pastore, seu Capellano legionis; si, uti solet, speciali facultate Sedis Apostolicæ vel licentiâ Ordinarii Diœcesis, in qua milites actu versantur, ad illud præditus sit.

Si autem proprium Capellanum non habeant, tunc contrahere debent coram Parocho loci, ubi in præsidiis agunt, vel aliter morantur.

Similiter coram Parocho loci contrahere debent, si quidem Capellanum habent, sed qui speciali licentiâ Sanctæ Sedis vel Episcopi loci, in quo degunt, instructus non sit. Ita habet declaratio Cardinalium de anno 1707. relata apud Reiffenstuel, de clandestina desponsatione, num. 97.

VIII. Caveat Pastor, ne militares jungat Matrimonio, nisi priùs constet de venia obtenta à Capitaneo aliove superiori Officiali: tribuitur enim Officialibus aliquod jus simile illi, quod competit tutoribus.

N. 108. DE HABITATIONE PAROCHIALI.

- I. *Duo requiruntur ad habitationem Parochialem.* II. *Parochia ab initio habitationis contrahitur.* III. *Domicilium duplex.* IV. *Perpetuum & temporale.* V. *Quasi-domicilium ad contrahendum Matrimonium necessarium est.* VI. *Animus ad domicilium alicubi figendum requisitus ex externis colligitur.* VII. *Casus primus.* VIII. *Casus secundus.* IX. *Casus tertius.* X. *Casus quartus.* XI. *Potest aliquis habere simul plures Parochias.* XII. *Quis Parochus habentis domum partim in una, partim in altera Parochia.*

Quid requiritur, ut aliquis dicatur habere habitationem sufficientem seu domicilium in certa parochia, ut ab illius parochiæ Pastore Matrimonio jungi possit.

I. R. Hujus quæstionis resolutio difficilis est, & Pastoribus sæpe anxietates parit, cùm inde dependeat Matrimonii valor: interim cum Sylvio, Steyaertio,

Daelman, &c. dicere possumus requiri et sufficere, quòd in ista parochia commorentur corpore et animo ibidem habitandi.

Utrumque adesse debet, & animus habitandi, & corporalis accessio ad locum: defectu primi requisiti, filia à juvene sequestrata in aliquo Monasterio, donec obtineatur consensus parentum, non fit ibidem parochiana: defectu secundi, ancilla ab aliquo conducta, non fit ibidem parochiana, antequam corporaliter domi ejushabitet.

II. Dum autem ista duo requisita adsunt, non est necesse, ut jam per tempus aliquod habitatio sit protracta, sed ab ipso primo die habitationis fit quis incola & parochianus; & ita famuli & ancillæ, à primo die, quo domum Heri ingrediuntur habitaturi, reputantur parochiani istius loci. Idem est de studiosis in Academia vel alio studio, de puellis in schola quadam aut Monasterio, militibus in præsidio, &c. qui omnes in dictis locis ab initio habitationis sortiuntur parochiam; non verò in illis locis, ubi tempore ambulationis vel vacantiarum morantur.

III. Nota, domicilium habitationis distingui duplex: domicilium scilicet perpetuum & temporale, seu quasi-domicilium.

IV. Pro priori requiritur animus ibi perpetuò habitandi; pro posteriori requiritur animus ibi commorandi per notabile tempus.

Quantùm temporis debet quis intendere in aliquo loco habitare, ut ibi quasi-domicilium acquirat?

R. Communis sententia requirit animum ibi habitandi per majorem anni partem: Daelman requirit animum habitandi circiter per medium annum: Sylvius & Billuart ne quidem quasi-domicilium requirunt; sed ad contrahendum Matrimonium simplicem habitationem sufficere putant, modò animum habeant ibi verè habitandi, sive exiguo sive longo tempore, v. g. donec occasio, ratio aut voluntas erit habitationem mutandi.

V. Pro hac sententia Fagnanus in cap. SIGNIFICAT, tit. de Parochiis, n. 36. & seq. plures adfert declarationes Sacræ Congregationis, quæ censuerunt Matrimonia valida illorum, qui ad evitandas rixas cum parentibus, in alium locum concesserant, & postquam ibi uno alterove mense commorati fuerant, Matrimonium contraxerunt; sed Benedictus XIV. instit. 33. n. 9. advertendum dicit tales, Matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium vel quasi-

domicilium assecutos fuisse; nam ut idem Pontifex dicit: Qui morati ibidem ante Matrimonium fuerant, neque inde postea decesserunt, ut primam sedem ac domicilium repeterent; VI. ex his colligitur illos animum habuisse ibidem habitandi per notabile tempus & consequenter quasi-domicilium. Cæterum ex externis pro magna parte colligi debet, ut notat Daelman, an quis animum habeat per notabile tempus in aliquo loco habitandi, & vulgaris existimatio multum facit, inquit Van Espen, ut definiatur ubinam quis domicilium habere dicendus sit.

Difficile tamen sæpe est ex externis dijudicare, an animum alicubi per notabile tempus habitandi quis habeat, præsertim quando ex fraude ad locum quemdam venit.

Dici potest, quòd si duo per unum alterumve mensem ibi commorati sint, & tunc Matrimonium contrahant, præsumi debeat illos habuisse animum ibi per notabile tempus habitandi, præcipuè si non statim post contractum Matrimonium ad pristinum suum domicilium revertantur. Vide declarationes Sacræ Congregationis apud Fagnanum loco citato num. 39.

VII. Incola Gandensis litem prosequendi causâ moratur Mechliniæ per duos aut tres menses, quo tempore cupit Matrimonium contrahere; quæritur quis sit ejus Parochus proprius?

R. Parochus Gandensis, non Mechliniensis; quia deest ipsi animus verè habitandi Mechliniæ. Idem dicendum, si quis negotiorum causâ in Gallia, causâ sanitatis Aquisgrani sit, vel causâ recreationis aut venationis rus petat: ita Authores communiter & conformiter ad declarationes S. Congregationis sæpius repetitas, uti videre est apud Benedictum XIV. instit. 33. num. 7.

Si quis tamen causâ sanitatis aliove quovis motivo domicilium mutaret, & v. g. Aquisgrani habitationem figeret, tunc statim ibi fieret parochianus.

VIII. Quid si duo incolæ Mechlinienses in fraudem, v. g. ut proprium Parochum vel Parentum obstacula effugiant, tendant Leodium, ibique coram Parocho Leodiensi Matrimonium contrahant?

R. Si Leodii domicilium vel quasi domicilium acquirant, Matrimonium erit validum: secùs invalidum.

IX. Quid ergo si in casu Mechlinienses isti, post-

quam Leodii per tres aut quatuor septimanas habitaverint, Matrimonium contrahant, & statim revertantur Mechliniam?

R. Matrimonium debet dici invalidum: quia, cum contracto Matrimonio statim revertantur, non præsumuntur habuisse animum ibi habitandi per notabile tempus; si tamen illum animum revera habuissent, quem post contractum Matrimonium ob causas non prævisas mutassent, Matrimonium esset validum.

Idem dicendum de juvene, qui tribus aut quatuor septimanis se addidit militiæ, ut coram Capellano militari Matrimonio jungi possit, Matrimonium nempe illud futurum invalidum.

X. Quid si quis carcere detentus petat Matrimonio jungi?

R. Si is perpetuò vel ad notabile tempus, non pro custodia, sed in pœnam in carcerem sit conjectus, Parochus proprius erit is, in cujus Parochia carcer situs est; quia necessarium ibi habet domicilium. Si verò pro custodia tantùm in carcerem sit detrusus, donec ejus causa judicis sententia cognoscatur, Parochus ejus proprius est is, ubi domicilium habet, non ubi carcer positus est. Ita Benedictus XIV. institut. l. 33. numero 12.

An aliquis potest habere duos Parochos seu duos Parochias?

XI. R. Affirmativè; dum nimirum juxta prudentum virorum judicium in utraque parochia æqualiter collocatus, seu habitationem fixisse censetur.

Non requiritur æqualitas habitationis mathematica, sed sufficit moralis: sic quis habet Parochiam ruri & in civitate, dum æstate ruri & hyeme in civitate habitat, coram quo Parocho talis debet Matrimonium contrahere?

R. Potest validè Matrimonium contrahere coram utrolibet, at tutius est, ut contrahat coram illo Parocho, in cujus Parochia degit: ita Sylvius, Van Roy, Billuart, &c. vel petatur consensus illius Parochi, in cujus parochia Matrimonium non celebratur; ut dicit Pontas, casu 5. impedimenti clandestinitatis.

Quis est Parochus illius, cujus domus sita est in duabus Parochiis?

XII. Ille, in cujus Parochia est porta principalis, sive anterior facies domus: quòd si sint duæ portæ æquè

principales, erit ille, qui est in possessione Sacramenta administrandi: si inter utrumque Parochum sit contestatio, petatur consensus Parochi, coram quo Matrimonium non contrahitur, vel res ad Ordinarium deferatur.

N. 109. DE PAROCHO VAGORUM.

- I. *Quis censeatur vagus.* II. *Differentia peregrinos inter & vagos.* III. *Vagi coram Pastore loci, in quo degunt, Matrim. contrahere debent.* IV. *Quid si alteruter tantum sit vagus.* V. *Parochus Matrimoniis vagorum sinè licentia Episcopi assistere non potest.* VI. *Casus.*

I. VAGI sunt, qui nullibi domicilium aut habitationem fixam habent; sed de loco in locum vagantur. Vagus quoque censeatur, qui relicto corpore & animo domicilio suo, navigat, vel iter facit, quærens, ubi se collocet. Hinc infert Sanchez, vagis annumerandum esse illum, qui, relicto corpore & animo priori domicilio, iter facit ad locum, in quo domicilium figere decrevit; nam talis caret domicilio, quod deseruit, nec habet illud, ad quod tendit; quia non comparatur domicilium solo animo, sed animo & corpore simul.

II. Hinc bene notanda differentia peregrinum inter & vagum, quòd peregrinus ille sit, qui eâ voluntate iter facit, ut peractâ peregrinatione, ad pristinum suum domicilium revertatur, quod proinde non amittit; ubi vagus prius domicilium deserit corpore & animo, seu voluntate illic non redeundi. Vide Benedictum XIV. instit. 33. num. 10.

Coram quo Parocho vagi Matrimonium contrahere debent?

III. R. Coram illo, in cujus Parochia morantur, dum contrahunt Matrimonium, sicut et ab illo alia Sacramenta suscipere debent. Multi Parochum loci, in quo morantur, non requirunt pro valore Matrimonii; sed Matrimonium coram quocumque Parocho validum putant: attamen priori sententiæ tanquam tutiori in praxi adhærendum.

Quid si contrahentium unus sit vagus, alter verò fixum domicilium habeat?

IV. R. Van Espen & Braunman dicunt, Matrimonium contrahi debere coram proprio Parocho habitantis fixum domicilium; quia Trid. requirens Parochum proprium, observari debet, quantum potest, sed vagus Parochum proprium non habet: ergo, &c. Attamen quemcumque Parochum, vel certè illum, in cujus parochia vagus moratur, validè Matrimonio assistere communior fert sententia, cui suffragatur Benedictus XIV. loco citato: ratio est, quòd juxta omnes, cum vagus nullibi parochiam habeat, quolibet Parocho vel saltem illo, in cujus parochia moratur, tanquam proprio uti possit: hoc autem Privilegium non amittit ex eo, quòd alia pars proprium Parochum habeat; sed hoc ipsi potiùs communicat propter individuitatem contractùs Matrimonii, ut in simili dictum est Num. 104.

V. Nota, quòd Concilium Trident. sess. 24. cap. 7. ad impediendum ne, uti aliquando fit, vagi relictà primà uxore, aliam & plerumque plures illà vivente diversis in locis ducant, prohibeat Parochis illorum Matrimonio assistere, nisi factà diligenti inquisitione, & re ad Ordinarium delatà, ab eo licentiam obtinuerint. Vide etiam Synodum primam Provinciam Mechliniensem, tit. de Sponsalibus & Matrimonio, cap. 6. quæ id prohibet sub pœna suspensionis à divinis. Item secundam Provinciam, tit. 10. cap. 6.

VI. Ancilla habitans in parochia S. Rumoldi, & intendens inire Matrimonium cum Joanne habente domicilium in parochia S. Petri, quò illa etiam ibit contracto Matrimonio, deserit famulatum & habitationem, & se transfert cum mobilibus suis ad matris suæ domum habitantis in Parochia S. Catharinæ, pro una alterave hebdomada, donec sit juncta Matrimonio; idque non facit in fraudem, sed quia v. g. expirabat tempus famulatûs, vel ut præpararet Matrimonio necessaria: postquam illa per tres aut quatuor dies morata fuit in parochia S. Catharinæ, petit cum præfato Joanne Matrimonio jungi: quæritur, coram quo Parocho contrahere debeat?

R. Ancilla illa desiit esse in primis parochiana S. Rumoldi: cum parochiam illam deseruerit corpore & animo: in parochia S. Catharinæ habitationem veram non habet, cum non habeat animum ibidem habitandi, sed hospitandi potiùs exiguo tempore; licèt autem intendat habitare in parochia S. Petri, equidem eò

translata non est adhuc, adeoque domicilium nondum habet: unde juxta dicta initio hujus numeri, vaga censeri potest, adeoque saltem coram Parocho S. Catharinæ, in cujus parochia hospitatur, Matrimonio jungi potest: tutius tamen erit, si jungatur coram Pastore S. Petri, vel saltem petatur ejus licentia seu commissio specialis; & ita agunt prudentiores Parochi.

Proclamationes tamen fieri debent in parochia S. Rumoldi juxta dicta N. 24; sed non requiritur licentia Ordinarii, ut Parochus illorum Matrimonio assistat, qui in eadem urbe de una parochia transeuntes ad aliam, pro aliquo tempore ibi hospitantur, quia licet hi vagis annumerentur, non equidem tales sunt, de quibus agit Tridentinum cap. 7. citat. supra; cum in urbe noti sint, nec propriè vagari et incertas habere sedes dicantur.

Quid, si ancilla illa ex fraude parochiam S. Rumoldi deseruisset?

R. Adhuc eidem resolutioni insistendum videtur; quia equidem verè suam parochiam deseruit, nec aliam acquisivit; unde licet fraus intervenerit, cum equidem vaga censeri potest, fraus ipsi non patrociniabitur, sed domicilium: sicut ex fraude domicilium mutantem, si alibi verè domicilium acquisierint, validè ibi Matrimonio jungi possunt. Vide Sanchez lib. 3. disput. 25. num. 11.

N. 110. DE PRÆSENTIA PAROCHI ET TESTIUM.

- I. *Debet esse præsentia physica, moralis & simultanea.*
- II. *Non sufficit præsentia physica tantum.*
- III. *Quid si Parochus aut testis sit cæcus, &c.?*
- IV. *Quid si contrahentes sint diversi idiomatis?*
- V. *Sufficit præsentia coacta Parochi, & testium?*
- VI. *Nulla specialis qualitas in testibus requiritur.*

QUALIS præsentia Parochi testium ad Matrimonium requiritur?

I. R. Debet esse physica, moralis & simultanea; ita ut percipiant & advertant Matrimonium contrahi, & de Matrimonio Ecclesiæ testari possint.

Non sufficit præsentia successiva Parochi & testium,

quia Tridentinum exigit præsentiam Parochi & testium : ergo simultaneam, cùm particula & sit copulativa.

II. Non sufficit præsentia physica tantùm, seu corporalis, sed insuper debet esse moralis ; hinc si quis testium sit amens, plenè ebrius, vel ita distractus vel occupatus, licèt involuntariè circa alia, ut non advertat Matrimonium contrahi, illud erit invalidum, si alii testes non adfuerint.

Igitur debent assistentes ita percepisse signa externa quibus Matrimonium contrahitur, ut testimonio suo illud probare possint : idque certum est, quamvis omnia verba non satis intelligant.

An præsentia Parochi vel testis cœci vel surdi sufficiens est ad Matrimonium ?

III. R. Si quis sit surdus, sed ex visu judicare possit, quid fiat, sufficit ; si sit cœcus, & norit ac audiat voces contrahentium, etiam sufficit, juxta Sanchez & plures alios. Van Espen tamen putat Parochi cœci præsentiam non sufficere, licèt audivisset & intellexisset verba ; quia testari non potest, hos in individuo contraxisse, cùm vox facilè fallere possit.

IV. Si contrahentes sint diversi idiomatis, sufficit, quòd Parochus & testes illorum consensum intelligant per interpretem. Unum interpretem sufficere negat Pontius, affirmat Sanchez ; possunt enim Parochus & testes, tum ex dicto interpretis, tum ex aliis signis sufficienter contrahentium intentionem intelligere.

An sufficit præsentia Parochi et testium cœacta ?

V. Responsonem affirmativam sæpius confirmavit S. Congregatio ; quia essentialis solemnitas Tridentini observatur : imò sufficit illa præsentia Parochi & testium, etsi reclamant aut reluctantur, modò advertant sufficientia signa contracti Matrimonii.

Contrahentes coram Parocho invito, denuntiandi sunt Officiali, ut puniantur, & deinde debitè contrahant coram Parocho proferente formam conditionatè, juxta dicta Num. 34.

Prudentes sint Ecclesiastici ; ne perniciosum hunc contrahendi modum laïcis revelent : dum autem Parochus ejusmodi fraudem prævidet, se absentet, vel aliter impediat. Parochus & testes non debent esse vocati, sed valet Matrimonium contractum coram ipsis, casu præsentibus, modò coram ipsis omnia ita gesta sint, ut certum de iis testimonium dare queant.

Docet tamen Billuart, quòd equidem contrahentes Parochum & testes debeant adhibere in ordine ad Matrimonium, eorumque præsentia ad illum finem uti; adeo ut si contrahentes vellent clandestinè contrahere, & casu Parochus & testes hoc observarent, Matrimonium invalidum esset. Citat pro hac sententia declarationem Cardinalium Fagnanus, de clandestina desponsatione N. 44. contradicunt Sanchez, Pyrrhus, Corradus, Daelman, &c. verùm prior sententia est probabilior.

Porrò censentur contrahentes Parochum & testes ad Matrimonium adhibere, quando intendunt coram ipsis ut Parocho & testibus, licèt fortuitò præsentes essent, Matrimonium contrahere, eamque suam intentionem illis, antequam contrahant, aliquo modo manifestant.

Quales testes in Matrimonio requiruntur?

VI. R. Qualescumque sufficiunt, modò habeant eum rationis usum, ut de contracto Matrimonio testari possint. Non debent esse omni exceptione majores, nec certis qualitatibus præditi, sicut in quibusdam aliis negotiis; quia Tridentinum nullas in eis qualitates requirit: proinde tales esse possunt parentes, consanguinei, feminæ, infames, impuberes, &c.

N. III. DE MATRIMONIIS CLANDESTINIS VALIDIS.

- I. *Casus, in quibus valet Matrimonium clandestinum.*
 II. *Si Parochus haberi nequeat.* III. *Adhibendus tamen hoc casu alius Sacerdos si haberi potest.*

AN Matrimonium clandestinum potest aliquando esse validum?

R. Affirmativè: idque in sequentibus casibus.

I. 1°. Inter non baptizatos, quia illi non subduntur legibus Ecclesiæ: tenentur tamen legibus civilibus loci, in quo degunt, ut dictum est N. 64.

2°. Si contrahatur in loco, in quo lex Tridentini non est publicata vel usu recepta, modò alterutra pars sit illius loci incola, ut dicitur N. 104.

3°. Si contrahitur in loco, ubi lex Tridentini est abrogata vel aliter sublata, ut patebit ex dicendis de Matrimoniis in Hollandia, N. sequenti.

4°. Si in Lege Tridentini sit dispensatum cum contrahentibus.

5°. Quando Matrimonium contractum est coram Parocho & testibus, sed invalidè propter defectum occultum, tunc illud clandestinè, sive secretò potest convalidari, ut latiùs infra.

II. 6°. Valet Matrimonium clandestinè contractum in locis, ubi Parochus vel alius Sacerdos supplens vices Parochi, vel omnino haberi non potest, vel saltem tutus ad eum non datur accessus, quamvis ibidem Lex Tridentini fuerit publicata; quia tunc præsentia Parochi est moraliter impossibilis: ad quem casum Lex Tridentini non extenditur, cùm non censeatur voluisse, ut alicui generatim impossibile esset Matrimonium inire: in confirmationem hujus adferunt Sylvius & Zypæus plures declarationes Cardinalium: hoc tamen casu adhiberi debent duo testes; quia Lex Tridentini observari debet, inquantùm potest, ut notat Daelman. Quòd si Sacerdos aliquis haberi possit, III. eum necessariò adhibendum, docent Daelman & Collet, tum ut servetur Lex Tridentini, quantùm potest, tum quia videtur Ecclesia in tali casu concedere illi Sacerdoti, quod de jure communi competit Parochis, ne aliàs fortè Matrimonium illud privetur ratione Sacramenti.

N. 112. DE MATRIMONIIS CLANDESTINIS IN HOLLANDIA.

I. Declaratio Benedicti XIV. de Matrimonio in Hollandia. II. Matrimonii clandestina hæreticorum inter se ibi sunt valida, III. Tum Catholicorum, tum hæreticorum. IV. Item militarium in patria Catholica.

AN Matrimonium ab incolis Hollandiæ contractum coram Magistratu vel Ministro Acatholico est validum iis in locis, ubi Parochum facilè habere possunt?

I. R. Diu desuper multùmque disputatum fuit, sententiis in diversa distractis; omne dubium circa casus magis obvios sustulit Benedictus XIV. in declaratione data 4. Novembris anno 1741. sequentis tenoris.

II. 1°. Quod attinet Matrimonia ab hæreticis inter se in locis Fæderatorum Ordinum dominio subjectis cele-

brata, declaravit statuitque Matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter hæreticos usque modò contracta, quæque in posterum contrahuntur, etiamsi forma à Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum, pro validis habenda esse.

2º. Valida habenda esse Matrimonia in iisdem locis contracta vel contrahenda, non servatâ formâ Tridentini inter duas partes, unam Catholicam, alteram hæreticam.

III. 3º. Valida esse Matrimonia, tum hæreticorum inter se, tum Catholicorum cum hæreticis extra fines domini Fœderatorum Ordinum præter Tridentini formam contracta ab iis, qui addicti sunt legionibus seu copiis militaribus, quæ à Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas arces conterminas, vulgò dictas Barielen, Barrieres; dummodo uterque conjux ad eandem copias sive legiones pertineat; & hanc declarationem vult Sanctitas sua complecti etiam civitatem Mosæ-Trajectensem.

IV. Circa Matrimonia, quæ contrahuntur in regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in Fœderatis Provinciis, ab habentibus domicilium in regionibus Catholicorum Principum, aut quæ contrahuntur ab incolis Catholicis in Fœderatis Provinciis, nihil Pontifex declaravit aut statuit, volens ut de iis judicetur juxta juris principia & editas à Sacra Congregatione resolutiones.

Observant Collet & Billuart, decretum hoc Pontificium tantùm spectare Fœderatum Belgium.

N. 113. DE MATRIMONIIS CATHOLICORUM IN HOLLANDIA.

I. *Matrimonium clandestinum Catholicorum in Hollandia est invalidum.* II. *Licitè contrahunt coram Magistratu,* III. *Non tamen Ministro Acatolico.*

DE Matrimoniis Catholicorum inter se in Fœderatis Provinciis Belgii nil Pontifex declaravit aut statuit in præfata declaratione: I. quæritur, an Matrimonium inter duos Catholicos in Fœderatis Belgii Provinciis

contractum absque præsentia Parochi, qui facilè haberi potest, coram Magistratu vel Ministro Acatolico sit validum?

R. Negativè: quia concors est Doctorum sententia, Legem Tridentini sufficienter ibidem esse receptam respectu communitatis Catholicorum.

Coguntur quidem Catholici ibidem contrahere coram Magistratu vel Ministro Acatolico (aliàs eorum Matrimonia in civilibus ibidem haberentur invalida), verùm contractus ille matrimonialis coram istis non est validus; sed postea coram Parocho seu Sacerdote Catholico contrahunt de novo, servatis à Tridentino præscriptis solemnitatibus, & tunc propriè validum inquit Matrimonium.

Præstat etiam, ut priùs contrahant coram Magistratu, ne fortè ibi impedimentum aliquod opponatur.

Observat Benedictus XIV. quòd cum Matrimonium coram Magistratu vel ministro hæretico ibidem contractum nullam firmitatem inde obtineat, fideles instruendi sint, quòd sibi abstinendum sit ab omni conjugali consuetudine, donec Matrimonium celebraverint juxta normam à Tridentino præscriptam.

An Catholici possint sinè mendacio sic invalidè contrahere coram Magistratu?

II. R. Affirmativè: quia verba eorum habent veritatem in eo, quòd ibidem declarent, quòd velint se invicem pro conjugibus habere. Licitè contrahunt coram Magistratu, quia ibi exercent actum merè civilem & politicum, nullo modo religioni repugnantem.

Verùm an licitè coram Ministro heterodoxo id faciunt?

R. Benedictus XIV. lib. 6. de Synodo Diocesana cap. 5. refert Declarationem Cardinalium de die 29 Novembris 1672. quæ habet, quòd si Minister ille assistat Matrimoniis Catholicorum, uti Minister politicus, non peccent contrahentes: si verò assistat, ut Minister addictus sacris, peccent contrahentes mortaliter.

Indè deducitur solutio quæstionis: an liceat coram Ministro Acatolico contrahere sub hac forma apud ipsos usitata: Coram Deo & hac sancta Communitate, quæ apud ipsos idem sonat, ac apud nos Ecclesia?

III. R. Licèt Daelman & Preinguez conentur tales contrahentes excusare, omnino tamen videtur dicendum cum Steyaertio, Deswaen, Huygens, &c. illos ita

contrahendo peccare, tum quia sic sæpius declaravit Sacra Congregatio, ut refert Deswaen, & testatur Steyaert de Matrimonio §. 5. num. 8. talem sibi factam esse à S. Congregatione declarationem, tum quia externè profiterentur sectam hæreticorum sanctam, & tandem quia Minister assistat tanquam exercens cærimoniam ecclesiasticam & spiritualem, ut latè monstrat Deswaen Thesi de Sponsal. duorum sec. 12.

Possunt Catholici hoc periculum evadere, si contrahant coram Magistratu, ubi verba illa non exiguntur, cum impensa parum majori, quam boni Catholici in hoc casu libenter subire debent.

N. 114. DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ.

- I. *Quid impotentia.* II. *Ejus divisio.* III. *Naturalis & accidentalis,* IV. *Perpetua* V. *& Temporalis,* VI. *Absoluta & respectiva,* VII. *Antecedens & consequens.* VIII. *Impotentia antecedens & simul perpetua dirimit matrimonium.* IX. *Non tamen temporalis,* X. *Ut nec consequens.* XI. *In dubio conceditur triennium.* XII. *Jure Ecclesiastico dirimit.* XIII. *Item jure naturali.*

QUID est impotentia?

I. R. Est incapacitas perficiendi copulam carnalem perfectam, cum seminatione in vase de se debito, seu de se aptam generationi.

II. Dividitur in impotentiam naturalem & accidentalem, in perpetuam & temporalem, in absolutam & respectivam, in antecedentem & consequentem.

III. Impotentia naturalis est, quæ provenit ex causa naturali & intrinseca, ut v. g. ex frigiditate, vel etiam quandoque ex nimio calore, membri privatione, &c. Accidentalisis est, quæ oritur ab extrinseco, v. g. ex maleficio: sed cum hodie malefici & sagæ vix reperiantur, non facilè credendum impotentiam oriri ex maleficio.

IV. Perpetua est, quæ vel nullo modo tolli potest, vel non nisi cum vitæ periculo, peccato, aut miraculo.

V. Temporalis dicitur, quæ vel spontè cessabit, vel per media naturalia & ordinaria tolli potest: inter

media naturalia comprehenduntur preces Ecclesiæ & exorcismi ; quia effectus exorcismorum, licet supernaturalis, censetur tamen ordinarius, non autem strictè miraculosus. Impotentia, quæ non nisi per maleficium auferri potest, censetur perpetua, ut dicit S. Thom. sup. q. 58. art. 2. ad. 3.

VI. Absoluta dicitur, quæ est respectu omnium ; quali laborant frigidi : respectiva verò, est respectu aliquarum personarum tantùm, ut si mulier sit nimis arcta respectu unius viri, non respectu alterius.

VII. Tandem impotentia dicitur antecedens, quæ præcedit contractum matrimonialem : consequens autem, quæ Matrimonio contracto supervenit.

Quænam ex dictis impotentiis dirimit Matrimonium ?

VIII. R. Impotentia antecedens perpetua, quæ, si sit absoluta, dirimit Matrimonium cum quacunque persona ; si verò respectiva, dirimit Matrimonium cum illis dumtaxat personis, respectu quarum est impotentia : perinde est, sive impotentia sit naturalis sive accidentalis, modò sit antecedens & perpetua.

IX. Impotentia antecedens temporalis non dirimit Matrimonium, nisi in casu impuberum, de quibus postea, & sic moribundi aliquando Matrimonio junguntur.

X. Similiter impotentia consequens, etiamsi perpetua sit, Matrimonium non dirimit : si tamen hoc casu spes omnis perficiendi copulam desit partibus, ab omni actu venereo abstinendum est, ipsisque persuadendum, ut, si sinè periculo incontinentiæ fieri possit, tanquam frater & soror simul cohabitent.

Quid si dubitetur, an impotentia antecedens sit perpetua ?

XI. R. Ecclesia hoc casu dat triennium, quo experimentum tales capere possunt, an valeant Matrimonium consummare juxta cap. LAUDABILEM, lib. 4. decret. tit. 10.

Non conveniunt Authores, à quo tempore sit computandum istud triennium ; alii dicunt à tempore Matrimonii initi, alii à die sententiæ per judicem latæ, alii vero à tempore, quo attentata est copula. Meliùs dicit Daelman, quòd, cùm res illa deferenda sit ad judicem, ad illum spectet tempus triennii limitare, imò aliquando protrahere.

Elapso triennio, quo copulam fideliter attentarunt, si

impotentia perseveret, præsumitur perpetua, poteritque pars potens, obtentâ prius judicis sententiâ, transire ad alias nuptias. Certum est, quòd tales sint separandi, nisi velint habitare simul ut frater & soror, quod ipsis conceditur, cap. 2. REQUISIVISTI, causâ 33. q. 1. modò id possint sine periculo incontinentiæ & scandali.

Nota, quòd si tales permittantur cohabitare, ut frater & soror: item si impotentia superveniat Matrimonio validè contracto, ipsis utroque casu illicitus sit omnis actus venereus, sive omne id, quod agere solis conjugibus est permissum, licèt supponatur etiam secludi periculum pollutionis. Contrarium damnavit Episcopus Atrebatensis, teste Pontas.

Quid si post separationem ex causa impotentiae factam, is, qui judicabatur impotens, potens deprehendatur?

R. Si impotentia sublata sit per miraculum, vel per medium illicitum, v. g. per maleficium, Matrimonium non convalescit; quia initio fuit nullum: si autem impotentia cessaverit per media ordinaria, redire tenetur ad priorem conjugem, nisi emisisset votum solemne; quia istud Matrimonium fuit validum: quod etiam verum est, quamvis secundò contraxisset, cum istud secundum Matrimonium fuerit nullum. Vide cap. LAUDABILEM cit. & S. Thomam sup. q. 58. art. 1. in Corp.

Porrò tempore dicti triennii possunt copulam attentare, licèt sit periculum pollutionis, quæ utique præter intentionem sequitur, & ad quam se habent permissivè: item possunt tempore istius Matrimonii non tantùm reddere, sed etiam petere debitum, secundùm dicta Num. 50. Dum impotentia certò constat, nullum dandum est probationis tempus; sed ab initio Matrimonium declarandum est nullum.

Quid agendum, si dubium sit, an impotentia præcesserit Matrimonium?

R. Si impotentia sit naturalis, præsumitur Matrimonio prævia; si verò sit accidentalis, tunc secundùm Billuart & alios præsumendum est in favorem Matrimonii, adeoque quòd illud subsecuta fuerit: juxta Daelman autem & quosdam, talis impotentia potiùs præsumenda ut antecedens. Collet dicit, tales non audiendos, nisi intra tempus reclamant.

Non semper creditur asserentibus inter se subesse impotentiam; quia potest intercedere collusio fraudulenta.

Quo jure impotentia dirimit Matrimonium?

XII. R. Dirimit jure Ecclesiastico, ut constat ex variis Canon. causâ 33. quæst. 1. & ex pluribus Capitulis lib. 4. decret. tit. 15. de frigidis & maleficiatis.

XIII. Dirimit etiam jure naturali; quia impotens non potest tradere potestatem in corpus suum in ordine ad copulam carnalem, cùm illam nec habeat, nec unquam habiturus sit.

N. 115. COROLLARIUM.

I. *Spadones & Eunuchi invalidè contrahunt.* II. *Senes verò & steriles valide.* III. *Utrùm mulier arcta incisionem pati debeat.* IV. *Quid si sola obstet virginitas.* V. *Quo minus vir feminam cognoscat.* VI. *De Matrimonio hermaphroditorum.*

I. EX dictis patet spadones & eunuchos utroque testiculo carentes non posse Matrimonium inire validè. Unde Sixtus V. Matrimonia ab hujusmodi eunuchis in Hispania contracta irrita esse decernit; secùs enim si alterutro dumtaxat testiculo careant.

II. Senes & steriles validè contrahunt: si tamen quis ita senio decrepatus sit, ut intra vas seminare nequeat, impotens censi debet.

An si mulier contracto Matrimonio reperiatur nimis arcta, pati debet incisionem?

III. R. Si non possit sinè periculo vitæ viro aptari, Matrimonium est invalidum: adeoque certò incisionem pati nec debet nec potest: si verò sinè periculo vitæ incisio fieri possit, Matrimonium erit validum, tenebiturque mulier incisionem pati, præsertim, si idem sit Chirurgus qui conjux; nisi ex incisione illa notabile morbi periculum subiret, cum quo, uti non tenetur debitum reddere, ita nec incisionem pati.

Quid si impotentia proveniat ex debilitate viri, qui copulam cum virgine habere nequeat, sed bene cum corrupta.

IV. R. S. Thomas supra quæst. 58. art. 1. ad 5. censet, quòd tali casu vir debeat medicinaliter aliquo instrumento claustra pudoris frangere, & ita uxori suæ conjungi: hoc tamen intelligi debet, si id fieri possint sinè peccato aut vitæ periculo. Multi interim putant, virginem ad hoc permittendum (licèt ex charitate

citra grave incommodum teneri possit) ex justitia non obligari; quia impotentia non tam se tenet ex parte virginis, quàm ex parte viri debilioris.

V. Pontius & alii quidem sententiam S. Th. absolutè reprobant, volentes Matrimonium debere judicare nullum, si elapso probationis tempore, sola obstet virginitas, quo minùs femina cognosci possit: & hanc sententiam plura Tribunalia Ecclesiastica sequi testatur Natalis Alexander: res ergo hæc in praxi arbitrio judicis est relinquenda.

Si impotentia antecedens perpetua cum periculo vitæ, miraculo, vel peccato sublata sit, non ideo Matrimonium convalescet; convenit tamen, ut tunc de novo contrahant.

Si impotentia medio de se licito auferri possit, non erit perpetua, etiamsi adhibens illud medium illicitum putet: è contra, perpetua erit, si non nisi medio de se illicito auferri possit, licèt adhibens illud illicitum putaret.

VI. Pastor non debet Matrimonio jungere hermaphroditos, priusquam Judex ex expertorum desuper inspectione dijudicaverit, quis sexus prævaleat, & declarationem juramento firmatam exegerit; quâ spondent hermaphroditi se nunquam usuros altero sexu, etiamsi æqualiter utriusque compotes essent: peritiores tamen Medici jam negant hermaphroditos reperiri, qui verè utrumque sexum habeant, licèt ita appareat, tantùm uno enim verè gaudent, & alterius non habent nisi apparentias.

N. 116. DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

- I. *Definitio*, II. *Ejusque explicatio*. III. *Quid intelligatur per raptorem*. IV. *Rapta intelligitur femina*. V. *Raptus viri non est impedimentum*. VI. *Raptus seductionis non dirimit Matrimonium*. VII. *Pænæ contra raptorem et cooperantes*.

QUID est raptus prout est impedimentum Matrimonii?

I. R. Est violenta abductio mulieris in potestatem alterius, causâ cum ea Matrimonium ineundi.

Impedimentum hoc introductum est jure novo Con-

cilii Tridentini sess. 24. cap. 6. de Reform. Matrimonii, his verbis: “Decernit S. Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium: quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.”

II. *Abductio* in definitione data intelligitur, de loco in locum, vel saltem violenta detentio sub potestate raptoris, ut si dominus v. g. puellam per dominium suum transeuntem violenter detineat, causâ Matrimonium cum ea ineundi.

Additur *violenta*, nempe quæ fit per vim physicam, vel per vim moralem, putà per minas, metum gravem injustè incussum, &c.

Metus à raptore puellæ incussus injustus censetur, etiamsi Sponsalia præcesserint.

Si verò mulier liberè vel spontè sequatur, quamvis fortè blanditiis, importunis precibus, vel etiam fraude seducta, non exurgit impedimentum raptûs.

III. Raptor hîc dicitur, qui rapit per se vel per alium, & ita si famulus rapiat puellam Domino suo ex ejus mandato, Dominus contrahet impedimentum raptûs, non autem famulus.

IV. Rapta verò intelligitur quæcumque mulier, virgo, corrupta, infamis, meretrix, &c.

An ergo raptus viri sub hoc impedimento non comprehenditur?

V. R. Eum comprehendi volunt Fagnanus, Collet, Steyaert, &c.; probabilior tamen & communior est sententia negativa: quia Concilium Tridentinum personam raptam constanter vocat *mulierem* vel *uxorem*, & eam dotari debere dicit, quod viro non competit; deinde raptus viri est valde extraordinarius, neque in viris militat eadem ratio, quæ in feminis, quarum, utpote infirmiorum, libertati Tridentinum specialiter consultum voluit; hinc communis ille versus:

“ Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.”

An raptus non Matrimonii ineundi, sed explendæ libidinis causâ patrat, est impedimentum Matrimonii?

R. Bonacina & Collet affirmant; sed rectiùs negat

Sanchez, eò quòd ratio Legis Tridentinæ fuerit consulere libertati Matrimonii, cui non repugnat raptus solius libidinis explendæ causâ; pro hac sententia quidam apud La Croix adferunt declarationem Cardinalium de anno 1586. Si tamen rapta causâ libidinis, detineatur causâ Matrimonii, orietur impedimentum, quia ista detentio violenta æquivalet abductioni.

An raptus seductionis etiam dirimit Matrimonium?

VI. R. Raptus seductionis seu subornationis est, quando persona aliqua minor 25 annis, blanditiis, lenociniis aut quocumque alio motivo seducta, invitis illis à quibus pendet, volens sequitur; & juxta plerosque non inducit impedimentum: quia Tridentinum per hoc impedimentum præcipuè consulere voluit libertati Matrimonii; at illa non læditur, nisi violentia inferatur ipsi personæ raptæ. In Gallia tamen raptus hic impedimentis annumerari consuevit; eaque consuetudo ibi vim legis obtinet. Collet post Pyrrhum, Corrardum & alios, multis probare nititur, raptum hunc etiam à Concilio Tridentino impedimentis annumerari: atque adeo non tantùm in Gallia, sed etiam alibi Matrimonium dirimere.

Quænam sunt pœnæ contra raptorem constitutæ?

VII. R. Hæ, ex Concilio Tridentino loco citato: Quòd raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & si clerici fuerint, de proprio gradu decident: teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

Excommunicatio illa est latæ sententiæ, sed non reservata.

Pœnæ à Tridentino decretæ cadunt super omnes, sive viros sive mulieres ad raptum concurrentes: raptus autem in ista abductione consummatur; unde pœnas incurrit raptor, licèt rapta nondum sit ad locum destinatum perducta: non tamen Parochus & testes Matrimonio raptæ assistentes pœnam hanc incurrunt, licèt scienter assistendo graviter peccent.

N. 117. DE DISTINCTIONE RAPTUS IMPE-
DIMENTI AB ALIIS.

I. *Raptus distinguitur à plagio. II. Item à raptu specie luxuriæ. III. Differentia impedimenti raptûs ab impedimento vis.*

I. RAPTUS impedimentum Matrimonii, 1°. distinguitur à raptu hominis, qui vocatur plagium, quòd hic fiat causa hominis in servitutem redigendi; prior autem causâ Matrimonii.

2°. Distinguitur à raptu, qui est species luxuriæ, & de quo agitur "in Tractat. de Virtute Religionis," & quidem in pluribus: primò, quòd raptus impedimentum fiat causâ ineundi Matrimonii, alter verò causâ explendæ libidinis.

II. 3°. Prior est actus injustitiæ, non luxuriæ; posterior injustitiæ & luxuriæ simul.

4°. In impedimento raptûs, persona rapta verisimiliùs debet esse femina, & raptor masculus: in raptu specie luxuriæ perinde est, an persona tam rapiens quàm rapta, sit masculus an femina, seu rapiens & rapta sint ejusdem seu diversi sexûs.

5°. In priori violentia probabiliùs inferri debet personæ raptæ; in posteriori sufficit violentia illata parentibus, tutoribus aut aliis, sub quorum custodia persona rapta erat constituta.

6°. Raptus impedimentum requirit abductionem, vel saltem violentam detentionem sub potestate raptoris, ubi ad raptum speciem luxuriæ, verisimiliùs sufficit quæcumque violenta oppressio.

7°. Pœnæ in Tridentino contra raptores latæ eorumque fautores, ad priorem, non autem ad posteriorem raptum extenduntur.

Raptus, qui est casus reservatus in Diœcesi Mechliniensi, est species luxuriæ, non raptus impedimentum Matrimonii. Vide Tractat. de Pœnitentia.

III. Quomodo raptus impedimentum differt ab impedimento vis seu metûs?

R. 1°. In eo, quòd pro priori persona rapta verisimiliùs debeat esse femina; pro posteriori indifferens est, sive vis inferatur feminæ sive masculo.

2*. In eo, quòd impedimentum vis cesset cessante violentiâ vel metu; impedimentum verò raptûs, cessante violentiâ adhuc manet, quamdiu rapta est sub potestate raptoris, adeo ut Matrimonium sit invalidum; quamvis rapta liberè & spontè consentiat, nisi sit in loco tuto & libero constituta.

N. 118. DE IMPEDIMENTO ÆTATIS.

I. *Ætas infra pubertatem dirimit matrimonium, II. Nisi malitia suppleat ætatem. III. Dirimit aliquando jure naturæ, aliquando positivo tantùm.*

I. TAM jure Civili quàm Canonico requisita est ætas pubertatis ad Matrimonium contrahendum, quæ habetur in masculo, anno ætatis decimoquarto completo & in femella completo anno duodecimo: ita cap. EX LITTERIS, lib. 4. decret. tit. 2. Itaque ætas infra pubertatem est impedimentum dirimens Matrimonii.

II. Ad hoc impedimentum sufficit alterutram partem ad annos pubertatis non pervenisse, ut patet ex variis capitulis eodem titulo.

Si tamen prudentia & malitia ætatem suppleat, valebit Matrimonium ante annos pubertatis contractum, juxta cap. 6 & 9. eodem tit. 2.

Quandonam dicitur prudentia & malitia ætatem supplere?

R. Quando ante pubertatis annos adest sufficiens rationis discretio ad intelligendam substantiam contractûs matrimonialis, & simul potentia ad copulam consummandam: ob cujus potentiæ defectum in impuberibus multi impedimentum ætatis ad impotentiam reducunt.

Quo jure impedimentum ætatis dirimit Matrimonium?

III. R. Si impubes nondum pervenerit ad discretionem prædictam, dirimit jure naturæ: quia deest consensus in substantiam contractûs: si tantùm desit potentia ad copulam causâ junioris ætatis, dirimit jure Canonico & Civili, non autem jure naturæ; quia impotentia illa est tantùm temporalis.

An valeat Matrimonium inter duos puberes, quorum alter nondum potens est?

R. Affirmativè: dummodo impotentia illa tantùm sit

temporalis, qualis præsumitur, quamdiu non constat illam esse perpetuam.

Notandum, quòd Matrimonium ab impubere septenio majori, cum sufficienti discretione coram Parocho & testibus attentatum, sed invalidè defectu potentiæ ad copulam, habeat vim Sponsalium, juxta “cap. unicum de despons. impuberum:” sed hoc magis ex canonum dispositione est, quàm ex natura rei: adeoque ad alia impedimenta non est extendendum.

N. 119. DE MODIS CONVALIDANDI MATRIMONIUM INVALIDE CONTRACTUM.

- I. *Juxta aliquos Matrimonium nullum ex defectu consensûs validatur accedente consensu ejusdem.* II. *Sed probabilius juxta alios requiritur novus consensus utriusque.* III. *Si defuerit consensus utriusque, debet utrimque renovari.* IV. *Probabilius utraque pars debet esse conscia nullitatis.*

QUOMODO convalidari debet Matrimonium invalidè contractum?

R. Prænotandum, Matrimonium variis modis invalidè contrahi posse, videlicet, vel ex solo defectu consensûs, unius vel utriusque conjugum, vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum aut occultum, idque uni soli vel utrique conjugum notum his præmissis:

I. 1º. Sanchez, Daelman & alii multi docent, quòd, si invalidum sit Matrimonium inter personas alioquin habiles, merè ob defectum consensûs unius tantùm (putà, quia fictè vel ex metu gravi in ordine ad Matrimonium injustè incusso consensit) alterâ parte legitimè consentiente, tunc sufficiat ad validandum Matrimonium, quòd prior pars suppleat defectum, dando de novo consensum suum legitimum internum simul & externum, sive talem qui signo externo, putà verbis vel copulâ intentione maritali habitâ, alteri manifestetur: neque juxta hanc sententiam altera pars debet reddi conscia invaliditatis Matrimonii, nec nova acceptatio ex ejus parte est necessaria. Ratio horum Authorum est, quòd cùm nullum aliud supponatur impedimentum dirimens, consensus alterius partis fuerit legitimus; adeoque cùm

supponatur non revocatus, adhuc virtualiter perseverat : ergo, inquit, accedente consensu prioris exurgit verus contractus.

II. Sed probabilius videtur consensum istum virtualiter non perseverare ; consensus enim non potest dici perseverare virtualiter, qui plenum suum effectum habuit, vel habuisse putatur ; jam autem pars illa, quæ legitimè consentit, putat Matrimonium valere, seu consensum suum plenum habuisse effectum ; adeoque consensus ille dici non potest virtualiter perseverare : unde rectiùs sustineri videtur cum Pontio, Engel, Reiffenstuel, &c. utramque partem consensum renovare debere ; atque ita respondisse Clementem VIII. in casu Matrimonii ex metu &c. contracti, refert Benedictus XIV. instit. 57, num. 69.

III. 2º. Si Matrimonium sit nullum ob defectum consensûs utriusque, certum est utrumque novum consensum præstare debere : cum enim utriusque consensus fuerit nullus, perinde est, ac si nil actum fuisset.

3º. Si Matrimonium sit nullum propter aliquod impedimentum dirimens distinctum à defectu consensûs, putà ob cognationem, affinitatem, &c. tunc impedimento per dispensationem vel aliter sublato, utrimque iterum consensus novus præstari debet, ac si Matrimonium jam primò contraheretur : est communis & certa sententia.

An, ut utriusque novo consensu Matrimonium convalidetur, pars ignara impedimenti debet priùs reddi conscia de nullitate prioris Matrimonii ?

R. Daelman cum aliis quibusdam negat : affirmant Sanchez, Sylvius, Reiffenstuel, &c. quia alia pars nullitatis ignara non intenderet Matrimonium denuò contrahere, sed tantùm ratificare prius contractum ; verùm eùm hoc invalidum sit, ratificare non potest, ergo, &c. Sententia hæc priori certò est probabilior, quòd satis est, ait Benedictus XIV. loco citato, ut hæc opinio præ cæteris teneatur, cùm de Sacramento agitur. Huic sententiæ, tanquam tutiori etiam adhæret Sacra Pœnitentia, quæ in litteris dispensationis constanter requirit, ut pars ignara de nullitate prioris consensûs certioretur. Quomodo hoc fieri debeat, dicitur num. 121.

N. 120. DE CONVALIDANDO MATRIMONIO
CORAM PAROCHO ET TESTIBUS.

- I. *Matrimonium debet renovari coram Parocho & testibus.*
 II. *Dum nullitas Matrimonii est vel timetur futura publica.* III. *Item juxta aliquos dum nullitas illa est plenè probabilis.* IV. *Item quando Parochus vel alteruter testis novit invaliditatem.* V. *Extra illos casus potest occulte convalidari.* VI. *Renovantes consensum debent esse in statu gratiæ.* VII. *Mala consequi nata ex revalidatione Matrimonii coram Parocho.*

I. AN in prædictis casibus consensus novus præstari debet coram Parocho & testibus, in locis vel à personis Legi Tridentini subjectis, si Matrimonium invalidum præcedens sit coram Parocho & testibus contractum?

II. R. 1º. Si nullitas Matrimonii est publica, necesse est, ut Matrimonium renovetur coram Parocho & testibus; quia tunc per Parochum et testes, qui priori contractui invalido astiterunt, Matrimonium non satis Ecclesiæ constat, cùm publicitas contraria eorum testimonium enervet. Ita docent omnes.

III. 2º. Sanchez & Pyrrhus etiam novam præsentiam Parochi & testium requirunt, quando nullitas Matrimonii, licet non timeatur futura publica, tamen probari plenè potest aut poterit in foro externo: tunc autem, juxta Sanchez, plenè potest probari, dum duo testes habentur omni exceptione majores: occultum hìc itaque juxta ipsum distinguitur, non tantùm contra publicum, sed etiam contra plenè probabile; ratio eorum est, quòd ex occulta revalidatione in casu sequi possent omnia incommoda, ad quæ vitanda Tridentinum impedimentum clandestinitatis introduxit.

Alii tamen Matrimonium occultè convalidari posse putant, si nullitas non timeatur manifestanda, licèt á duobus testibus probari posset, vel etiam quatuor aut quinque nota sit; quia Sacra Pœnitentiaria tunc adhuc impedimentum occultum censet, & partibus secretò Matrimonium renovare permittit, uti videri potest apud Benedictum XIV. instit. 2. 87. num. 44. 45. & 62.

IV. 3º. Matrimonium coram Parocho & testibus

convalidari debet, si Parochus priori Matrimonio assistens, vel alteruter testis, aliter quàm ex sacramentali confessione, illud invalidè contrahi cognoverit; quia tunc non fuit legitimus testis, qui Ecclesiæ de contracto Matrimonio testari possit.

V. 4°. Quando nullitas Matrimonii, coram Parocho & testibus contracti est occulta, & non timetur publicanda, potest Matrimonio sublato per dispensationem vel aliter impedimento, occultè convalidari sinè præsentia Parochi & testium: ratio est, quòd Lex Tridentini irritans clandestina Matrimonia, casum hunc non comprehendat; quia mala, quæ ex clandestinis Matrimoniis oriebantur, hîc locum non habent: id ipsum etiam declaravit Pius V. apud Navarrum cap. 22. sui Manualis, & ab illo tempore, ait Pyrrhus, abiit in stylum S. Pœnitentiariæ, quòd, dum dispensat super impedimento occulto, adjiciat hanc clausulam: “Ut Matrimonium inter se de novo secretò ad evitanda scandala contrahere valeant.” Accedunt declarationes Cardinalium apud Benedictum XIV. instit. sæpius citatâ num. 63.

Hinc responsum Clementis VIII, quod in contrarium urget Pontius, aut supposititium est, aut, si verum est, ab ipso, tanquam à privato Doctore, vel ad particularem casum datum dici debet.

Si ab Episcopo dispensetur super impedimento occulto, quia necessitas v. g. non patitur moram recurrendi ad Sacram Pœnitentiarium, eadem manet resolutio; nam sicut in casu potestas dispensandi ad Episcopum devolvitur, ita simul devolvitur facultas concedendi, ut secretè Matrimonium renovent.

VII. Notandum, cùm utraque sententia de Ministro Sacramenti Matrimonii sit probabilis, quòd Matrimonium occultè convalidatum sinè præsentia Parochi probabiliter sit Sacramentum, adeoque contrahentes debeant esse in statu gratiæ.

Monet Benedictus XIV. instit. cit. num. 64. quòd quoties Sacra Pœnitentaria Matrimonium secretò ad evitanda scandala permittit renovari, contrahentes cogi non possint, ut testes vel Parochum adhibeant, aut ipsum Confessarium, qui ad litteras Sacræ Pœnitentiariæ exequendas designatur.

Si tamen scandala non timeantur, consultum omnino fuerit, ut aliquis Sacerdos adhibeatur, qui formam

proferat, ne probabiliter ratio Sacramenti à contractu separetur.

VII. Quæ mala sunt, quæ aliquando timeri possunt ex eo, quòd Matrimonium de novo coram Parocho & testibus contrahi deberet?

R. 1°. Quòd impedimentum occultum fieret notum cum infamia alicujus vel suspitione odiosa.

2°. Quòd pars ignorans, inde cognoscens Matrimonii nullitatem, fortè vellet perseverare in concubitu fornicario, vel cum scandalo compartem deserere, quæ publicè ejus conjux habebatur, & ad aliud Matrimonium transvolare.

3°. Quòd prolem natam pars ignorans dimissura sit à sua cura, à sustentatione & hæreditatè, ubi tamen alia media prolem intertinendi non suppetunt.

4°. Quòd inde natum sit fieri, ut graves inimicitiae, maledictiones, jurgia & lines exurgant.

Ex dictis resolvi potest casus sequens :

Joannes fornicatus est cum Anna, qua mortua contrahit Matrimonium in facie Ecclesiae cum Annæ consobrina, sed imprudenter quatuor vel quinque impedimentum manifestavit?

R. Si impedimentum non timeatur ulterius manifestandum, obtentâ dispensatione, poterit ad evitanda scandala Matrimonium istud occultè convalidari; quia impedimentum censetur occultum, etiam in illorum sententia, qui hìc occultum distinguunt contra plenè probabile, cùm in casu impedimentum nequidem sit plenè probabile: supponuntur enim illi quatuor aut quinque id tantum scire ex dictis Joannis, quæ sola ad fidem faciendam non sufficiunt. Similiter plenè probabile non foret, si isti fuissent socii criminis.

Si Pastor aut alteruter testis, post contractum jam Matrimonium ex ore ipsius Joannis resciverit impedimentum, illud adhuc occultum censebitur; quia scientia unius nec publicum facit, nec plenè probabile in judicio. Aliud esset, si impedimentum hoc cognovisset Parochus vel testis, antequam Matrimonium contraheretur, ut supra diximus.

N. 121. DE MODIS PERDUCENDI NULLITATIS MATRIMONII SUI IGNARUM AD NOVUM CONSENSUM.

- I. *Primus modus perducendi ignorantem Matrim. nullitatem ad novum consensum*, II. *Secundus modus*, III. *Tertius modus*, IV. *Quartus modus*, V. *Quintus modus juxta aliquos*.

I. PRIMUS & omnium securissimus modus est, si ignorantem declaratur candidè invaliditas Matrimonii, & requiratur, ut sub lato defectu, coram Parocho & testibus, qui possunt assumi ignoti, de novo Matrimonium contrahatur. Modus hic servandus est, quando nullitas Matrimonii indicari potest absque timore & periculo graviorum malorum, quæ passim inter pios non sunt timenda. Si non requiratur convalidatio Matrimonii coram Parocho & testibus, ut in casu responsionis quartæ numero præcedenti, declaratâ nullitate Matrimonii parti ignorantem, altera pars requirat, ut pro securitate conscientiæ ambo de novo inter se contrahant & consensum renovent : si pars ignorans interroget causam, potest sinè mendacio dicere, se initio invalidè consensisse, vel non habuisse consensum sufficientem.

II. Secundus modus est, quo pars conscia impedimenti, eo sublato, parti ignorantem dicat, non simpliciter, quòd Matrimonium eorum sit nullum ; sed se audivisse à Pastore vel Confessario, quòd dum Matrimonium contraxerunt, id non receperint sub ratione Sacramenti, vel per illud non receperint gratias ob rationes Theologicas ipsi notas ; vel quòd anxietur circa consensum tunc datum, fortè ex perverso fine libidinis, &c., quodque ut anxietates tollantur & gratiam recipiant, opus sit, ut utrimque novum præbeant consensum, & addat hæc aut similia : propterea ego non attendo ad præterita ; sed jam de novo consentio & accipio te de præsentem in conjugem, ac semper habebò : numquid facis & tu idem respectu meum ? Si respondeat ita, habetur utrimque novus consensus. Requiritur etiam posset, casu quo opus esset ut coram Parocho consensum innovent ad exemplum Religiosorum, qui solent singulis annis vota sua publicè innovare coram Superiore.

III. Tertius modus est, quando pars nullitatis Matrimonii inscia cautè & prudenter ita disponitur, ut internè & externè consentiat in novum Matrimonium conditionatè: v. g. dicat pars altera: ita tibi afficior, ut si non esset inter nos Matrimonium, vel ex aliqua causa foret nullum, nihilominus te acciperem, imò de facto ita te accipio: numquid & tu similiter facis? Si dicat ita, vel te accipio, convalescit Matrimonium; eò quòd consensus sub conditione de præsentì vel præterito præstitus æquivalet absoluto, si conditio vera sit ut in casu.

IV. Quartus modus est, quando nihil manifestatur comparti, sed pars conscia invaliditatis, sublato prius impedimento, blandiendo elicit à comparte novum consensum, dicendo; v. g. jam te plus amo, quàm unquam, & firmiùs volo tibi coadunari, propterea de novo per hoc tecum contraho Matrimonium. quantùm omnimodo valeo: numquid & tu vicissim idem facis?

Bene notandum, quòd in prædictis casibus non sufficiat ratificatio vel approbatio prioris contractûs matrimonialis, utpote invalidi; similiter non sufficit, quòd pars ignorans dicat: acciperem te in conjugem, si nondum haberem; quia sic exprimitur tantùm dispositio quædam & affectus, non consensus actualis de præsentì pro essentia Matrimonii requisitus. Monet Steyaert de Matrimon. sec. 4. num. 4. de similibus modis nihil dicendum esse ad populum, ne, dum adhibendi sunt, effectum careant.

V. Quintum modum addit Daelman, quo pars impeditenti conscia, eo sublato, sola renovat consensum, vel animo maritali compartem cognoscit. Ratio est, quòd consensus initio præstitus fuerit consensus naturalis, licèt ob impedimentum caruerit effectum suo: consensus autem, cùm juxta ipsum perseveret virtualiter impedimento sublato, effectum suum sortietur: unde ulteriùs infert, quod etiam probabiliter dici possit Matrimonium convalidari, si utrâque parte impeditenti insciâ, illud per dispensationem tollatur, licèt neutra pars impeditenti conscia fiat: atque hæc probabiliter sustineri possunt in sententia, quæ consensum, Matrimonio absolutè contracto, virtualiter perseverare contendit. Verùm præterquam quòd sententiam illam N. 119. improbavimus, modus hic non modicam patitur difficultatem ex eo, quòd per eum non satisfiat clau-

sulæ à Sacra Pœnitentiaria in dispensationibus apponi solitæ: dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ. Eidem etiam incommodo subjectus est modus quartus. Vide Benedictum XIV. instit. 87. num. 74. & seq.

N. 122. DE PARTE NULLITATIS SUI MATRIMONII CONSCIA.

I. *Pars nullitatis conscia nec petere nec reddere debitum potest.* II. *Prætextus se excusandi à debito conjugali.*

QUOMODO pars nullitatis Matrimonii conscia se gerere debet, quoad actum conjugalem, donec convaluerit Matrimonium?

I. R. Pars, quæ certò scit Matrimonium esse nullum, nec petere nec reddere debitum potest, licèt infamiæ, scandali, aut etiam mortis periculum imminet; quia committeret fornicationem formalem.

Unde à copula abstinendum est, non tantùm tempore, quo expectatur dispensatio super impedimento, sed etiam dispensatione obtentâ, donec requisito consensu Matrimonium sit convalidatum. Et quando Authores dicunt, Matrimonium ipsâ copulâ convalidari posse, tunc supponunt eam exerceri affectu maritali, seu supponunt prævium consensum matrimonialem, qui per copulam utrimque manifestatur & acceptatur; unde copula non præcedit Matrimonium, sed eo ipso, quo illa attentatur, Matrimonium existit.

Quomodo pars nullitatis conscia se geret, si altera debitum exigat?

II. R. Debet quosdam prætextus arripere, quibus sinè mendacio se excusare possit, dicendo: v. g.

1º. Se non esse dispositam.

2º. Confessarium copulam prohibuisse, & abstinentiam pro pœnitentia injunxisse.

3º. Conetur inducere compartem, ut ad unum alterumve mensem, prout nempe tempus pro dispensatione obtinenda exigit, continentiam voveant.

4º. Absentet se per aliquod tempus, v. g. causâ ambulationis, mercaturæ, piæ peregrinationis, &c.

Si illo tempore per sententiam judicis ad copulam

cogeretur, licèt sub pœna incarcerationis, excommunicationis, aut aliâ quâcumque, eam tamen habere non posset; sed potiùs sibi fugâ consulere deberet, ut dicit S. Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 2.

Si impedimentum sit tale, in quo non potest, vel non solet Ecclesia dispensare, separari debent, vel in perfecta continentia, ut frater & soror, vivere. Sæpe tamen ob periculum incontinentiæ cohabitatio ista non est permittenda.

N. 123. DE OFFICIO CONFESSARII IN CAUSA MATRIMONII INVALIDI.

- I. *Ignorans nullitatem aliquando monendus, aliquando non.* II. *Si impedimentum sit juris naturalis, monendus est.* III. *Ignorans Matrim. sui nullitatem, peccat debitum injuste negando.* IV. *Dubius regulariter instrui debet.*

AN Confessarius vel alius quispiam cognoscens nullitatem Matrimonii alicujus, eam ignorantis, debet eidem illam manifestare?

I. R. Distinguendo secundùm ea, quæ traduntur "in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ." Si illa ignorantia habeat rationem peccati mortalis, regulariter in illa relinqui non potest saltem usque ad mortem; si ignorantia sit inculpabilis vel saltem non mortalis, tunc aliquando moneri debet, aliquando non.

Debet moneri, si spes boni eventûs affulgeat, quia fornicatio, etiamsi materialis tantùm, vitari debet, dum commodè potest. Non debet moneri, si majora mala timeantur (putà si periculum sit, ne admonitus adhuc perrecturus sit in concubitu fornicario, compartem cum scandalo deserat, vel prolem à sua cura abjiciat, &c. Si timeantur ex manifestatione ista graves inimitiæ, jurgia, &c.) Sed tunc in bona fide est relinquendus; quia è duobus malis minus est eligendum, ne, dum volumus impedire peccata materialia, demus causam peccatis formalibus.

II. Sunt tamen aliqui, inter quos Natalis Alexander, de impedimentis art. 6. qui, non obstante cujuscumque mali timore, monendum putant, si impedimentum sit

juris naturalis. Unde juxta illos, si Matrimonium v. g. sit invalidum propter impotentiam, non possunt in bona fide relinqui. Quidquid sit, si sinè maximo scandalo, aliisque incommodis moneri non possit de Matrimonii nullitate, saltem omnino induci debet ad faciendum divortium quoad thorum.

Si quis extra confessionem cognoscat impedimentum, qui per se ipsum monere non potest, debet illud Pastori denuntiare; non est tamen facilè istis denuntiationibus credendum. Expedi etiam aliquando, ut Confessarius, dum detegit in confessione aliquod impedimentum, pœnitentem ad Pastorem remittat, qui faciliùs poterit Matrimonium convalidare.

Quid si pœnitens inculpatè ignorans Matrimonii sui nullitatem, & quem monere non expedit, confiteatur se negasse debitum ex ira, vel alia causa indebita?

III. R. Confessarius respondeat, illum peccasse, & de cætero ex hac causa debitum negare non posse, imò teneri ad redditionem, cùm aliàs peccaturus sit formaliter; quòd si nolit, non est absolvendus. Non potest ipsi suadere petitionem debiti, quia alteri suadere peccatum materiale, saltem sinè gravi causa non licet.

Quid si pœnitens dicat se dubitare de valore Matrimonii?

IV. R. Confessarius requirat, ex quo motivo dubitet; si alleget verum motivum, ob quod Matrimonium est nullum, debet regulariter ei aperire veritatem: si verò inducat motivum infundatum, dicet, quòd ex eo infundatè dubitet, modò nempe sinè gravibus incommodis moneri non possit.

An Confessarius excipiens confessionem, & intelligens ipsum inter & sponsam esse impedimentum dirimens, tenetur ipsum desuper monere?

R. Licèt quidam velint Confessarium non obligari, si ignorantia impedimenti sit invincibilis, & se nihil effecturum prævideat: nihilominus dicendum, inquit Collet, quòd debeat pœnitentem monere, ut vitetur nullitas Sacramenti. Quòd si videat pœnitentem ita dispositum, ut eo non obstante sit ad nuptias transiturus, debeat absolutionem negare & hortari, ut ante obtentam dispensationem Matrimonium non consummet.

N. 124. CASUS CONCERNENS HANC
MATERIAM.

ANNA coram Parocho & testibus Matrimonio juncta, instituens confessionem generalem, confitetur se fornicatam cum consanguineo mariti sui in secundo gradu: quid faciendum Confessario?

R. Inquiret Confessarius, an ante, an post Matrimonium id acciderit: si post contigerit, impeditur solùm à petitione debiti, non à redditione: nisi id acciderit etiam ex culpa mariti. Vide N. 47. Si ante contigerit, id est invalidum ob impedimentum affinitatis, nisi dispensatio fuerit obtenta.

Pœnitens respondet, id factum esse diu ante Matrimonium.

Confessarius petet: An hoc notum est alicui? An scis te esse affinem vel consanguineam marito tuo? An, dum contraxisti Matrimonium, indignisti dispensatione aliquâ?

R. Pœnitens: nihil horum.

Confessarius petet: An pacificè vivitis & contenti estis? An desideratis sic manere usque ad mortem?

R. Pœnitens: Omnino.

Confessarius dicit: Deest aliquid Matrimonio vestro, sed defectus facilè tolli potest. Expone casum Pastori tuo: vel si mavis, da mihi licentiam, & procurabo dispensationem, tacitis nominibus vestris; petamque licentiam ab Episcopo vel Pastore, ut innovetis consensum coram me & testibus ignotis: Dicet ulterius, ut id persuadeat viro suo, modis Num. 121. propositis: & moneantur ultra, quòd interea non liceat petere nec reddere debitum.

Si in discordiis vivant, nec spes sit obtinendi utriusque novum consensum, sed contra, majora mala timeantur, oportet pœnitentem relinquere in bona fide, ita ut redeat post aliquot dies animis pacificatis, & interea abstineat à peccatis, & etiam à petitione debiti, ut meliùs vacet orationi; ut sic discordiæ illæ omnino extinguantur, & tunc animis pacificatis ad confessionem redeat.

Si nihil proficiat, facilè reperientur rationes divortii, ex quo fortè minora mala sequentur, & spes majoris salutis.

Si Anna sit conscia impedimenti, non potest viro putatio petenti debitum reddere, juxta dicta Num. 122. nec impedimentum potest pro palare in judicio: adeoque equidem judicabitur pro valore Matrimonii: unde si pacificè vivant, Matrimonium convalidari poterit ut supra: si in discordiis, debet se à thoro separare & protestari, quòd cum tali discordi nolit manere, nisi de novo secum adhuc contrahat ad extinguendas totaliter præteritas discordias, & ad excipiendum à novavitâ: sic enim evitabit periculum cum viro sese commiscendi, & simul ansam habebit Matrimonium revalidandi.

N. 125. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIO SUPERVENIENTIBUS.

I. *Duo casus, in quibus ob impedim. Matrim. superveniens illud dissolvitur.* II. *Quinque impedimenta impediunt ejus usum.*

QUID faciunt impedimenta, dum Matrimonio valido superveniunt?

I. R. Votum solenne superveniens Matrimonio rato tantùm illud dirimit, ut dictum est Num. 57.

Disparitas cultûs Matrimonio superveniens reddit illud aliquando solubile, & tunc per secundum Matrimonium partis fidelis dissolvitur Matrimonium antecedens. Vide N. 56.

II. Extra hos casus impedimenta Matrimonio supervenientia non dissolvunt vinculum Matrimonii, sed aliqua impediunt ejus usum; sic: Votum, Ordo Sacer, Affinitas, Cognatio spiritualis, & publica Honestas Matrimonio supervenientia, quandoque impediunt petitionem debiti & subinde etiam redditionem debiti, ut colligi potest ex N. 47 & 49. Videri enim potest pro cognatione spirituali Num. 78.

Reliqua impedimenta Matrimonio valido vel supervenire nequeunt, vel quatenûs talia nihil speciale efficiunt circa Matrimonii vinculum vel usum, licet aliunde usum quandoque impediunt.

Impedimentum, quod præ cæteris natum est supervenire Matrimonio, est affinitas contracta ex copula

formaliter incestuosa cum consanguineo compartis iatra secundum gradum; cognoscens carnaliter propriam consanguineam, inde non impeditur à debito petendo.

Qualem malitiam habeat copula carnalis, habita inter illas personas, inter quas est impedimentum, diximus N. 70.

N. 126. DE DISPENSATIONE SUPER IMPE- DIMENTIS MATRIMONII.

I. *Impedim. juris naturæ vel divini non sunt dispensabilia.* II. *In impedimentis juris eccl. dispensat jure ord. Pontifex.* III. *Nuntius Apostolicus in aliquibus dispensationibus.* IV. *Item Episcopi.*

QUIS potest dispensare in impedimentis Matrimonii?

I. R. Super impedimentis jure naturæ vel divino positivo dirimentibus, nemo dispensare potest, nisi quòd fortè Summus Pontifex relaxare possit, vice Dei, votum solemne, & Matrimonium ratum non consummatum.

II. Super impedimentis, quæ jure solo Ecclesiastico dirimunt, jure ordinario dispensat Summus Pontifex, & quidem validè, licèt nulla adesset dispensandi causa, quamvis hoc casu illicitè, ut constat ex Concilio Tridentino.

III. Nuntii Apostolici gaudent omni eâ potestate, quam jure ordinario habet Episcopus, cùm reputentur Judices Ordinarii suæ Provinciæ, & ulteriùs à summo Pontifice ipsis dari solet specialis facultas dispensandi in quibusdam impedimentis.

IV. Episcopi dispensare possunt in tempore feriato, & in votis Papæ non reservatis, & hoc pro utroque foro: item in impedimentis quibusdam dirimentibus Episcopi dispensare possunt ex consuetudine vel speciali Pontificis concessione, uti latiùs dicetur infra. Porro neque Nuntius Apostolicus, neque Episcopus validè dispensare potest sinè justa causa in impedimentis dirimentibus.

N. 127. DE JUSTIS CAUSIS DISPENSANDI.

I. *Causæ dispensandi.* II. *Angustia loci.* III. *Incompetentia dotis.* IV. *Ætas supra 24 annos.* V. *Extinctio litis.* VI. *Copula inter oratores.* VII. *Familiaritas partium.* VIII. *Matrim. bonâ fide contractum.* IX. *Proles nata, &c.* X. *Conservatio illustris familiæ.* XI. *Excellentia meritorum.* XII. *Periculum hæresis.* XIII. *Sine causa.* XIV. *Faciliùs dispensatur cum nobilibus & divitibus.*

QUÆNAM sunt justæ dispensandi causæ?

I. R. Communiore & magis usitatæ sunt sequentes:

II. *Prima*, angustia loci pro femina, dum nempe locus talis est, in quo puella honestæ familiæ, nisi nubat consanguineo vel affini, &c. debeat manere innupta, vel nubere tali, qui statu, conditione, aut divitiis longè inferior, vel ætate, genio, aut religione dispar est.

Locus angustus hîc intelligitur Pagus & etiam Civitas; sed talis, quæ trecentorum operariorum numerum non excedat, saltem si sit Episcopalis.

Angustia locorum est, si neque in loco originis, neque in loco domicilii parem, nisi consanguineum vel affinem, cui nubat, invenire queat.

III. *Secunda*, defectus dotis competentis quando scilicet femina, vel nullam, vel non sufficientem dotem habet ad nubendum æquali; perinde est, sive consanguineus vel affinis, &c. per se ipsum dotare paratus sit, sive unus tertius dotem offerat, casu quo consanguineo vel affini, &c. nubat.

IV. *Tertia*, ætas puellæ annum 24. excedentis; quæ sic proponitur, quòd filia 24. ætatis annum excedens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere posset, non invenerit. Hæc causa, ut observat Pyrrhus, non habet locum in vidua; sed pro ea allegari potest, quòd sit gravata prolibus.

V. *Quarta*, evitatio vel extinctio gravium litium aut inimicitiarum, item confirmatio pacis recenter initæ.

Hæ causæ supponunt lites & inimicitias aliunde, quàm causâ Matrimonii inter oratores contrahendi ortas, ut ex rescriptis Pontificis dispensantis patet, inquit de Justis lib. 3. cap. 5. num. 34.

VI. *Quinta*, copula habita ex vesana libidine ; idque ne mulier diffamata & innupta remaneat, & ut scandala evitentur : quòd si copula habita sit, ut faciliùs obtineatur dispensatio, eo ipso illa reddetur difficilior, ut dicitur N. 129.

VII. *Sexta*, nimia partium familiaritas, sive, ut aiunt, infamia sine copula, ob quam filia aliàs infamata & innupta remaneret.

VIII. *Septima*, Matrimonium bonâ fide contractum, idque ut evitentur scandala, quæ regulariter timeri possent, si fieret divortium.

IX. *Octava*, proles nata vel concepta, quæ una est ex urgentioribus dispensandi causis, inquit Reifensuel.

X. *Nona*, conservatio illustris familiæ, ne scilicet defectu hæredis extinguatur ; item conservatio bonorum in illustri familia.

XI. *Decima*, excellentia meritorum in Ecclesia, ratione nempe insignium laborum vel periculorum, quæ quis pro Ecclesia subiit.

XII. *Undecima*, pro Belgio in partibus scilicet, ubi multi latent hæretici occulti, pro causa allegatur periculum hæresis, seu ne oratrix contrahat cum hæretico.

XIII. *Duodecima*, denique petitur & conceditur dispensatio ex certis rationabilibusque causis, quæ vocantur "sinè causa," dum scilicet nobilis vel ex honesta familia sinè allegatione certæ causæ, petit dispensationem, tuncque major taxa pecuniaria in pios usus convertenda ipsi imponitur.

Nota, quòd impetrantes dispensationem jurare debeant causas allegatas subsistere, seu, ut aiunt, "preces veritate niti."

Nota ulteriùs, quòd quælibet causa non sufficiat pro dispensatione in quolibet impedimento, sed major pro majori requiritur ; aliquando etiam licèt singulæ ex allegatis non sufficiant, plures tamen simul sufficiunt.

XIV. Observat S. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 2. sinè personarum acceptione fieri, quòd faciliùs dispensetur cum nobilibus aut divitibus, quàm cum aliis ; quia salus publica magis à potentibus, quàm à plebeiis dependet ; & multùm Ecclesiæ interest, potentiores sibi non habere contrarios, sed faventes & obligatos,

Causæ supra allegatæ ulteriùs explicatæ & deductæ

videri possunt apud Reiffenstuel, in appendice ad lib. 4. decretal. & Collet, parte 1. cap. 16. tract. de dispensat.

N. 128. DE DISPENSATIONE SUB-VEL
OBREPTITIE OBTEUTA.

- I. *Ob-vel subreptio.* II. *Circa causam finalem annullat dispensationem.* III. *Si sit circa impulsivam, distinguitur.* IV. *Invalida est dispensatio, si stylus Curiae non servetur.* V. *Quid si ex duabus causis allegatis una sit falsa?*

I. PRÆNOTANDUM, quòd in dispensatione apponi solet hæc clausula: "si preces veritate nitantur" & licèt illa non fuisset apposita, tamen semper subintelligitur juxta cap. 2. de rescriptis. lib. 1. decret. tit. 3.

Si falsitas exprimatur in supplica, vocatur *Obreptio*; si verò omittatur, quod de jure vel stylo Curiae exprimi debet, *Subreptio* dicitur.

An *Ob-vel Subreptio* reddit dispensationem nullam?

II. R. Distinguendo si *Ob-vel Subreptio* sit circa causam finalem, dispensatio est nulla, sive scienter sive ignoranter id acciderit.

Causa finalis dicitur, sinè qua rescriptum, aut nullo modo concederetur, ut non nisi certis conditionibus & limitationibus coaptatum, ut sunt causæ N. superiori allatæ. Impulsiva dicitur, quæ quidem allicit superiorem ad faciliùs gratiam concedendam; sed quâ sublatâ equidem absolutè, & in eadem forma gratiam impertiret. III. Si *Ob-vel Subreptio* sit solùm circa causam impulsivam, non finalem, iterum est distinguendum. Si hoc accidat innocenter, dispensatio subsistit: si fiat malitiosè, dispensatio est nulla. Ita colligitur ex capit. SUPER LITTERIS, 20. tit. citato.

IV. Invalida est dispensatio Romana, quotiescumque aliquid defuerit, quamvis inculpabiliter, quod de jure vel stylo Curiae Romanæ requiritur: ratio petitur à positiva voluntate Pontificis nolentis dispensare, nisi stylus seu forma illa observetur.

Quapropter pro dispensatione Romæ obtinendâ oportet

tet adhibere peritum styli Curiae Romanæ, quales sunt Agentes Romæ, qui etiam dispensationem sollicitant: sed cavendum, ne illi causas fortè non subsistentes, insciis oratoribus, in supplica addant, quasi essent clausulæ meri styli & non aliquid substantiale; oppositum enim declaravit Benedictus XIV. constit. AD APOSTOLICÆ de die 25. Februarii anni 1741. inter alia dicens: " Cùm expressio causarum earumque verificatio ad substantiam & validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus gratia nulla ac irrita sit, &c."

Hinc commendatur Pastoribus, ut se non immisceant petendis dispensationibus, nisi charitas vel gravis necessitas id exigat.

Commodiùs hìc acceditur ad Secretarium Nuntii Apostolici vel Episcopi, qui causas expositas transmittent ad Agentem Romanum.

Quid si bonâ fide allegatæ fuerint duæ causæ finales, una vera & altera falsa?

V. R. Si neutra per se sola sufficiat, sed tantùm simul junctæ, conveniunt omnes, dispensationem esse nullam; quia dispensatio tantùm conceditur propter utramque simul. Si verò causa vera per se sola sufficiens sit, ob quam nempe solam Pontifex dispensare solet, communiter docent, dispensationem esse validam: Pontas tamen contrarium tenet; quia licèt dispensatio concessa fuisset, ob illam causam veram, si sola exposita fuisset, de facto tamen non ob illam solam, sed propter utramque simul conceditur: huic sententiæ tanquam tutiori adherendum, dicit Collet.

Quid efficiunt particulæ illæ, "motu proprio," dispensationibus quandoque appositæ?

R. Redintegrant dispensationem aliàs invalidam ob subreptionem, licèt sit circa causam finalem, non tamen eam, quæ est invalida propter obreptionem circa causam finalem.

N. 129. DE STYLO CURIÆ ROMANÆ.

- I. *Ex stylo Curie exprimi debent.* II. *Nomen & cognomen oratorum.* III. *Diæcesis.* IV. *Species impedimenti.* V. *Numerus impedimentorum.* VI. *Duplex cognatio vel affinitas.* VII. *Quid sit cognatio spiritualis.* VIII. *Linea & gradus.* IX. *Copula carnalis.* X. *Utrum affinitas sit ex copula licita vel illicita?* XI. *Exprimendum in supplica, si matrimonium antea sit attentatum.* XII. *Dispensatio est invalida in forma pauperum, dum uterque non est talis.* XIII. *Quis dicatur pauper.* *Pyrrhus libr. 8. cap. 5.*

I. QUÆNAM juxta stylum Curie Romanæ debent exprimi ad obtinendam dispensationem pro foro externo, à Dataria, Cancellaria, aut Præfectura Brevium?

II. R. 1°. Nomen & cognomen Oratorum. Errorem nominis non vitiare dispensationem, nisi fuerit petita in forma pauperum, docet De Justis, cum aliis pluribus: Pyrrhus tamen & ex illo Reiffenstuel, contrarium prætendunt.

III. 2°. Diæcesis oratorum; unde si fuerint diversarum Diæcesium, utraque exprimi debet. Errorem diæcesis vitiare rescriptum docent Sanchez, De Justis, Reiffenstuel, &c. refragatur Collet. Locus oratorum etiam exprimi debet, si dispensatio ob ejus angustiam petatur.

IV. 3°. Species impedimenti: unde invalida est dispensatio, si unum impedimentum pro altero exprimatur, v. g. consanguinitas pro affinitate, vel è contra.

V. 4. Numerus impedimentorum; unde si duplex est impedimentum, v. g. consanguinitatis & affinitatis, utrumque in eadem supplica exprimi debet: quòd si unum sit publicum & aliud occultum, tunc publicum in Dataria exponi debet, & utrumque tam publicum quàm occultum in Pœnitentiaria; non quòd Pœnitentiaria dispenset super impedimento publico, sed quia difficiliùs dispensat, dum duplex obstat impedimentum. Præstat ut dispensatio in hoc casu primò petatur à Pœnitentiaria, ne aliàs obtentâ dispensatione à Dataria, illa negetur in Pœnitentiaria, & sic inutiles expensæ in Dataria fiant.

VI. 5°. Duplex cognatio vel affinitas, ut si oratores sint cognati germani ex duobus fratribus vel duabus sororibus : si orator fornicatus sit cum duabus sororibus oratricis, &c.

VII. 6°. In cognatione spirituali exprimendum unde cognatio proveniat, utrùm scilicet sit filiatio, an verò compaternitas, sive an oratorum unus alterum de fonte levaverit, an verò alterius tantùm prolem ; in illo enim multò difficiliùs quàm in hoc dispensatur. Non debet tamen exprimi ratione quot prolium compaternitas proveniat : secùs dicendum, dum vir mulieris & mulier viri prolem in Baptismo suscepit, vel in Confirmatione tenuit ; item si vir, v. g. unam suscepit, & postea eandem vel alteram teneat ; quia in his casibus subest duplex impedimentum. Ita Pyrrhus, De Justis, &c.

VIII. 7°. Exprimi debent linea & gradus, & si gradus sit inæqualis, etiam propinquior gradus exprimendus est in consanguinitate & affinitate, non tamen in publica honestate ; dispensatio quidem non datur super gradu propinquiori, sed tantùm super remotiori ; at requiruntur litteræ declaratoriæ propinquiorem gradum non obstat. Juxta constitutionem Pii V. quæ incipit SANCTISSIMUS, datum 26 Augusti anni 1566 : hinc si litteræ dispensationis super quarto v. g. consanguinitatis gradu Romæ fuerint expeditæ, ubi interim oratores se contingunt in tertio & quarto gradu mixtim, delegatus litteras illas validè executioni mandare non poterit, seu non poterit dispensare, nisi priùs obtentis litteris declaratoriis super tertio gradu. Ita contra Sanchez, Pontium, Collet, &c. docent Pyrrhus, De Justis, & alii, affertque Reiffenstuel pro nostra sententia duo Brevia Apostolica, alterum Urbani VIII. de anno 1624. & alterum Innocentii XI. in quibus Matrimonia, non obtentis litteris declaratoriis super propinquiore gradu contracta, declarantur irrita.

Si alter oratorum sit in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu, & alter in remotiori, primus necessariò debet exprimi, nec super eo dantur litteræ declaratoriæ, sed verè dispensatoriæ. Ita Pius V. const. cit.

Nota, quòd in gradu inæquali semper primò exprimi debeat gradus viri, sive sit propinquior, sive remotior à stipite. Ex dictis conclude invalidam esse dispensationem, si loco tertii exprimaturs quartus gradus : idem propter stylum Curiaè volunt Pyrrhus & Van Espen, si

loco quarti exprimatur tertius; verùm alii plerique refragantur.

IX. 8°. Si inter consanguineos vel affines intervenerit copula carnalis, ea necessariò est exprimenda, & si copula illa habita fuerit ab utroque vel ab uno, animo faciliùs dispensationem obtinendi, id etiam exprimi debet. Vide Benedictum XIV. Instit. 88. N. 10 & seq. non est tamen necesse, ut exprimatur, quoties copula fuerit.

Quòd si ambo, dum copula habebatur, ignoraverint impedimentum consanguinitatis vel affinitatis inter se, adhuc copula exprimenda erit juxta aliquos; verùm Benedictus XIV. Instit. citata, N. 23. dicit, non esse exprimendam copulam habitam inter affines, si tempore quo illam habebant, se esse affines ignoraverint, eò quòd incestus ille tunc tantùm sit materialis: unde, cùm copula inter consanguineos, qui se consanguineos esse ignorant, habita, etiam tantùm sit incestus materialis, idem de illa dicendum videtur.

Observant Sanchez, Pyrrhus, Reiffenstuel, &c. dispensationem fore invalidam, si copula habeatur post supplicam oblatam, ante dispensationem Romæ obtentam, item si quidem habeatur, post dispensationem Romæ obtentam, sed ante ejus executionem per Commissarium.

Si tamen ante petitionem dispensationis copulam habuerint, eamque in supplica expresserint, & in idem peccatum ante obtentam dispensationem aut ejus executionem relabantur, valebit dispensatio, nisi, ut ait Pyrrhus, lib. 8. cap. 5. litteræ dispensationis obtentæ fuerint à Dataria in forma pauperum.

Si copula habeatur post executionem dispensationis per Commissarium, non amplius vitiat dispensationem, utpotè jam completam.

Quod dictum est de exprimenda copula inter consanguineos vel affines habita, Pyrrhus lib. 8. cap. 1. etiam extendit ad copulam habitam inter cognatos spirituales, & inter illos, qui impedimento publicæ honestatis irretiti sunt.

X. 9°. Si dispensatio petatur super primo vel secundo gradu affinitatis, exprimi debet, utrùm affinitas contracta sit ex copula licita, an verò ex illicita: tum, quia difficiliùs dispensatur super affinitate ex copula licita, tum ut cognoscatur an simul non concurrat pub-

lica honestas; hæc cum semper concurrat cum affinitate & copula licita, implicitè exprimitur, & super illa implicitè dispensatur, dum exprimitur, quòd affinitas orta sit ex copula licita.

XI. 10°. Si contracto invalido Matrimonio dispensatio petatur exprimendum est, an sit contractum in facie Ecclesiæ; an cum scientia impedimenti in utroque vel in uno; an spe faciliùs impetrandi dispensationem; an sit consummatum, & an hoc etiam factum sit, ut faciliùs dispensatio obtineretur; an omissæ fuerint proclamationes absque dispensatione super eis: imò licèt de licentia Ordinarii proclamationes essent omissæ, nihilominus exprimi deberet illas esse omissas, juxta Pyrrhum, Van Espen, & de Justis.

Similiter si quidem cum ignorantia impedimenti Matrimonium contraxerint, sed postea impedimento detecto adhuc in copula carnali perstiterint, id quoque specialiter erit exprimendum.

XII. Dispensatio nulla est, si petatur in forma pauperum, dum uterque non est pauper. Paupertas hæc, de qua per legitimam attestationem Parochi, quæ testimonio Ordinarii sit confirmata, Romæ constare debet, in litteris sic exprimitur: "Oratores pauperes & miserabiles existunt, & ex labore & industria sua tantùm vivunt."

XIII. Quinam censentur pauperes, ut eis dispensatio concedatur in forma pauperum?

R. Non conveniunt hîc Authores: Pyrrhus vocat pauperes, qui deducto ære alieno & oneribus non habent in bonis 50 aureos: miserabiles verò, ad quorum commiserationem natura nos inclinât. Unde si ex locupletis industria vivant, quamvis dici possint pauperes, non tamen (ait de Justis lib. 1. cap. 7. num. 85.) miserabiles; utrumque autem verificari debet, ut dispensatio sit valida.

Juxta Fagnanum & De Justis, filius-familias, cujus parentes divites sunt, pauper reputari nequit, licèt de præsentis nulla bona possideat, quia divitiæ parentum arguunt divitias filii, etiamsi de facto nihil habeat.

Consultiùs petitur dispensatio in forma honesta; nam petendo in forma pauperum impendi debent 10 circiter patacones, addendo autem 8 vel 9 obtinebitur in forma honesta faciliùs & securiùs.

Datur etiam dispensatio in forma divitum non Magnatum & Nobilium.

An igitur dispensationes non dantur gratis, prout præcepit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 5.

R. Omnino gratis; pecuniæ enim non exiguntur pro dispensatione, sed pro sustentatione Ministrorum, vel pro propaganda Fide Catholica, aut ad alios pios usus per modum commutationis aut impositionis pœnæ.

N. 130. DE DATARIA.

I. *Super impedimento notorio dispensat Dataria.* II. *Pro utroque foro.*

I. DUPLEX est via impetrandi dispensationem Romanam, à Dataria scilicet, de qua modò, & à Pœnitentiaria, de qua N. sequenti.

Quando impedimentum est notorium, vel ad aliorum notitiam prævidetur venturum, vel, licèt occultum sit, dum sinè infamia aut aliis malis manifestari potest, tunc dispensatio petitur, & expeditur à Dataria seu Officio minoris gratiæ, vel à Cancellaria, aut à Præfectura Brevium, juxta qualitatem impedimenti.

II. Valet hæc dispensatio pro utroque foro, interno scilicet & externo, & pro ea impetranda adhibetur Agens Curia Romanæ juxta dicta Numeri 128.

Notandum, quòd juxta modernum Stylum Curia Romanæ dispensationes matrimoniales, sive à Dataria sive à Pœnitentiaria petantur, non soleant concedi, nisi in forma commissoria, sic dicta eò quòd dispensandi auctoritas alteri committatur auctoritate Apostolicâ, idque sub certis conditionibus: sicque à Dataria committitur dispensandi auctoritas Officiali Episcopi Diœcesis sponsæ: qui examinatis litteris, & veritate causæ compertâ, tanquam Delegatus Pontificis, dispensat in actu secundo: proinde juxta omnes, causæ dispensationis debent necessariò esse veræ tunc, quando Officialis dispensat, alioquin dispensatio erit invalida.

An similiter causæ debent subsistere, quando Romæ litteræ commissoriæ expediuntur.

R. Pyrrhus, Reiffenstuel, &c. dicunt sufficere, quòd veritas causæ subsistat tempore, quo Delegatus litteras dispensationis exequitur. Pontius, De Justis & Marcus Paulus Leo, docent veritatem causæ etiam debere ex-

istere, dum litteræ Romæ expediuntur; & ita habere Curiae Romanæ stylum, per rescriptum sibi Româ datum testatur Collet, lib. 1. Dispens. cap. 6.

N. 131. DE PŒNITENTIARIA.

- I. *Pœnitentiaria dispensat super impedimento occulto.*
 II. *Quandonam impedimentum censeatur occultum.*
 III. *Impedim. non censeatur occultum, etiamsi tantum duobus notum sit.* IV. *Quid de materialiter publico, sed formaliter occulto?* V. *Dispensatio à Dataria ob defectum invalida, à Pœnitentiaria revalidari potest.* VI. *Quæna hic exprimenda de stylo Curiae.* VII. *Formula supplicationis.*

I. A Pœnitentiaria pro foro conscientiae dispensatio obtineri potest, quando impedimentum occultum est, nec timetur manifestandum.

Quandonam impedimentum censeatur occultum?

II. R. In Sacra Pœnitentiaria, ut dictum est N. 120. occultum censeatur impedimentum, licet quatuor aut quinque notum sit, & fortè in judicio probari possit: imò si agatur de Civitate, licet impedimentum notum sit septem vel octo, adhuc censebitur occultum, uti tradunt Authores in hisce rebus maximè versati; quos vide apud Benedictum XIV. Inst. 87. num. 44 & 45. debet tamen abesse timor, ne fiat publicum.

III. Monet tamen Benedictus XIV. N. 44. cit. post Fagnanum, impedimentum non censerì occultum, etiamsi duobus tantum notum sit, quando in litteris Sacrae Pœnitentiariae ponitur hæc clausula: "Dummodo impedimentum omnino occultum sit:" quæ apponi solet, quando dispensatur in impedimento criminis. Si impedimentum sit occultum in civitate in qua oratores habitant, sed publicum alibi, & hoc in supplica non sit expressum, dispensatio non potest executioni mandari; sed quod omissum est, ad Pœnitentiarium deferri debet. N. 46. Instit.

Quid si impedimentum sit materialiter publicum, sed formaliter occultum, seu quod idem est, publicum in ratione criminis, sed occultum in ratione impedimenti, v. g. publicum est Joannem fornicatum esse cum

Anna; sed communiter ignoratur, quòd Joannes inde contraxerit impedimentum affinitatis cum consanguineis Annæ intra secundum gradum?

IV. R. Multi docent impedimentum tunc censi occultum, adeoque à Pœnitentiaria dispensari posse; sed Benedict. XIV. Instit. cit. N. 48. id Sacræ Pœnitentiariæ institutis & consuetudini omnino contrarium testatur, quæ non spectat, an impedimentum sit formaliter, sed tantùm utrùm materialiter sit occultum.

Super quibus impedimentis dispensat Sacra Pœnitentiaria?

R. Super omni impedimento occulto, quod est juris merè Ecclesiastici, exceptis sequentibus:

1º. Si agatur de matrimonio contrahendo, non potest dispensare super impedimentis consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, & cognationis spiritualis in ullo gradu.

2. Si Matrimonium contractum sit, potest quidem dispensare super cognatione spirituali; sed pro primo & secundo gradu consanguinitatis aut affinitatis ex copula licita, non potest, præterquam in secundo gradu simplici, si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum & oratores publicè contraxerint ac convixerint, fuerintque illi legitimi conjuges reputati.

V. Quòd si obtentâ dispensatione à Dataria adsit defectus occultus, v. g. quia in supplica ad Datariam copula inter oratores habita non fuit expressa, pro illo defectu emendando recurri potest ad Pœnitentiariam; præterquam, si quis à Dataria in aliquo consanguinitatis vel affinitatis gradu dispensationem obtinisset, in supplica allegando copulam, quæ tamen non intercesserat, talis se iterum ad Datariam convertere deberet.

Notandum, quòd dispensationes à Sacra Pœnitentiaria gratis expediuntur: si tamen oratores sint consanguinei vel affines in primo & secundo, vel in secundo tantùm gradu, iique impetraverint dispensationem à Dataria, tacendo copulam occultam, quæ intervenerat, vel quidem exprimendo copulam, sed retinendo intentionem occultam, quam habuerant, ad faciliùs dispensationem obtinendam, tunc quidem, ut dictum est, defectus utpote occultus potest à Pœnitentiaria emendari, sed priori casu solvi debent 50 ducati aurei de Camera ad Datariam transmittendi, posteriori verò solvi debet aliqua summa à majori Pœnitentiaro cum

Dataria concordanda, nisi in utroque casu dispensatio obtenta fuisset in forma pauperum; atque hæc omnia constant ex Constitutione Innocentii II. quam Sacra Pœnitentiaria velut normam sequitur, quamque explicatam vide apud Benedictum XIV. inst. 87. à num. 5. ad 19.

VI. In Pœnitentiaria pleraque exponi debent quæ in Dataria, non tamen omnia: sic exponi non debet nomen vel cognomen oratorum, neque eorum Diœcesis, ut sic illorum famæ parcatur; unde loco nominis sufficit littera N. vel nomen aliquod fictum. Similiter exponi non debet, utrùm oratores sint divites an pauperes.

Non est necesse hîc adhibere Agentem Romanum, sed vel ipse pœnitens vel Confessarius ejus loco, potest immediatè scribere Romam quocumque idiomate: expedit tamen uti latino, eoque necessariò utendum, dum ad Datariam scribitur.

Potest supplica ad majorem Pœnitentiarium concipi hoc vel simili modo:

VII. “Eminentissime ac Reverendissime Domine,

“Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae, quòd postquam Titius carnaliter cognovit Mæviam, postea ignarus (vel conscius) impedimenti, Matrimonium, factis proclamationibus publicè, servatâ formâ Tridentini contraxerit cum Caja dictæ Mæviæ consanguinea in secundo gradu lineæ collateralis, quod etiam carnali copulâ consummavit: cùm autem dictum impedimentum sit occultum & gravia ex separatione scandala verisimiliter sint exoritura, cupit orator, ad vitanda scandala, & pro conscientiae suæ quiete, de præmissis, de quibus summè dolet, absolvi & secum dispensari; quare Eminentiae Vestrae humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio autoritate Apostolicâ providere dignetur.”

Tandem per modum postscripti additur:

“Dignetur Eminentia Vestra responsum destinare Mechliniam in Belgio, nostro Plebano Ecclesiae Metropolitanæ Sancti Rumoldi ibidem.”

Superscriptio autem epistolæ Romam mittendæ ab extra, fit hoc modo :

“ Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Domino Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali majori Pœnitentiario, &c. &c. &c.

“ ROMAM.”

Hanc epistolam tradere oportet cursori seu Postæ & eidem mox solvere pro transportu ; Romæ autem nihil datur, nec pro ministris nec taxa ; post 5. vel 6. septimanas facilè habebitur responsum : quòd si tardet, possunt eadem litteræ iterari ; addendo quòd litteræ iterentur, ex eo quòd ob diu tardans responsum, timeatur ne priores fuerint deperditæ. Committi solet dispensatio alicui Confessario, ex approbatis ab Ordinario, qui sit Doctor in Theologia, vel in jure Canonico : proinde non sufficit Licentiatus in Theologia, ut vult infundatè Daelman, neque Doctor in Jure Civili.

Cùm autem hìc rari sint Confessarii Theologiæ vel Juris Canonici Doctores, ideo in supplica additur : “ Et quia in loco oratoris rarò invenitur Confessarius in Theologia Magister vel decretorum Doctor, aut aliàs ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia Vestra providere & disponere, ut etiam alius exequi valeat.” Formam rescriptorum Sacræ Pœnitentiariæ referunt Authores communiter ; unde nos hìc tantùm aliquas rescripti clausulas explicabimus.

1^o. Dicitur quatenùs si ita est ; vi hujus clausulæ tenetur Confessarius sub gravi examinare, an subsistant ea, quæ in supplica fuerunt exposita, sive an preces veritate nitantur, & quidam sinè dicto examine executionem invalidam fore, nisi Confessario aliunde de veritate causæ constaret, docet Benedictus XIV, Instit. 87. N. 34.

2^o. Alia clausula est, “ Auditâ priùs ejus Sacramentali Confessione. Item in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantùm :” quæ verba important, quòd non possit facultas dispensandi extra sacramentalem confessionem expediri, aliterque expedita sit invalida.

3^o. “ Ita quòd hujusmodi absolutio & dispensatio in

foro judiciali nullatenus suffragentur:" quare hæc dispensatio tantùm valet pro foro interno: unde, si impedimentum postea fiat publicum, quamvis Matrimonium maneat validum, debet tamen nova dispensatio pro foro externo peti à Dataria.

Similiter si quis, post dispensationem à Pœnitentiaria obtentam, Pastori denuntiaret illud impedimentum dirimens, non posset Pastor ad celebrationem Matrimonii procedere.

Quòd si in vim dispensationis contractum sit Matrimonium, & impedimentum postea publicum fiat, potest iudex conjuges separare, & reum in foro externo punire. Poterit tamen Confessarius, qui dispensationem S. Pœnitentiariæ executioni mandaverat, secretè iudicem monere de dispensatione obtenta: ita Benedict XIV. Instit. citatâ, N. 51.

4º. "Præsentibus laceratis," &c. quibus injungitur Confessario, ut litteras quamprimum moraliter fieri potest, dilaceret, idque aliquando sub pœna excommunicationis sententiæ latæ.

5º. "Neque latori restituas, quod si restitueris, nihil ei præsentibus litteræ suffragentur." Intellige pro foro externo; quia dispensatio semel executioni mandata, semper valet pro foro interno, etiamsi litteræ postea latori reddantur.

Quoad clausulam illam: "Comparte de nullitate prioris consensûs certiorata:" nota, illam non tantùm instructionem, sed conditionem propriè dictam, cujus defectu Matrimonium sit nullum, importare; modos autem, quibus id fieri possit, dedimus N. 121. Verùm, cùm solo primo modo ex ibi allegatis, compars de nullitate prioris consensûs certioretur, aliisque ad summum dubia reddatur: hinc solo primo modo conditioni Sacræ Pœnitentiariæ satisfieri, eumque proinde solùm adhiberi posse, docet Benedictus XIV. sub finem instit. 87. quòd, si ex aperta illa nullitatis manifestatione gravia mala timeantur, tunc ad Pœnitentiariam recurrendum dicit, eique supplicandum, quatenùs paululùm de rigore istius conditionis remittere velit. Hæc Benedictus XIV; alii tamen plerique secundum & tertium ex modis N. 121. enumeratis approbant, ubi primus adhiberi non potest.

Nota, quòd dum Pœnitentiaria, super aliquo impedimento dispensat cum duobus ejusdem impedimenti

consciis, & qui diversum habent Confessarium, tunc prior Confessarius, postquam suum pœnitentem dispensavit, eidem litteras tradere debet, ut easdem comparti suæ, quæ similiter easdem litteras respectu sui exequi faciat per suum Confessarium: ita respondit ad Pœnitentiarium Parisiensem Sacra Pœnitentiaria, apud Collet tom. 3. dispens. epist. 14.

N. 132. DE DISPENSATIONE EPISCOPORUM
SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII
EX CONCESSIONE PONTIFICIS.

I. *Impedimenta, in quibus Episcopus ex concessione Pontificis dispensat.* II. *Exponenda in supplica.* III. *Episcopus potest hanc facultatem communicare alteri.*

EPISCOPUS quandoque dispensare potest super impedimentis Matrimonii ex concessione Pontificis, de qua hîc, & quandoque ex consuetudine, de qua numero sequenti.

Ex speciali Pontificis concessione Episcopi Belgii habere solent speciales quasdam facultates singulis quinquenniis renovandis, quas fusè refert La Croix lib. 6. part. 3. & quæ habentur in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

Hinc quoad impedimenta Matrimonii Archiepiscopus Mechliniensis habet facultatem dispensandi pro utroque foro, interno scilicet & externo.

I. 1º. In tertio & quarto gradu simplici & mixto consanguinitatis, & affinitatis, tantùm cum pauperibus in contrahendis: in contractis verò cum hæreticis conversis, etiam in secundo simplici & mixto, dummodo nullo modo attingant primum gradum.

2º. Super impedimento publicæ honestatis ex Sponsalibus, etiam cum divitibus.

3º. Cum quovis super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante.

4º. Cum quolibet super impedimento cognationis spiritalis præter levantem & levatum.

5º. Facultatem habet dispensandi & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis perpetuæ & religionis.

6o. Restituendi jus petendi debitum amissum.

II. Nota, quòd Episcopi pro valore suæ dispensationis non videantur exigere rigorosam observantiam styli Curiaë Romanæ: exponi tamen debent substantialia impedimenti, justa causa, & quæ de jure sunt necessaria, ut dispensatio non dicatur *sub-vel obreptitiè* obtenta: proinde exponi debet, si cum impedimento scienter Matrimonium contrahere præsumpserint, si illud fuerint ausi consummare; item si solemnitates, proclamationes aut dispensationem super iis neglexerint: vult enim Tridentinum sess. 24. cap. 5. illos carere spe dispensationis, saltem quando uterque malâ fide processit.

Episcopus, ut vi dictarum facultatum dispenset, tenetur observare clausulas, quas Pontifex iisdem adjicere solet. Ut Episcopus hæc validè dispenset, necessariò requiritur justa causa, ad ipsum proinde spectat causam examinare, ac de ejus existentia cognoscere.

Censetur autem justa causa & sufficiens illa, ob quam Pontifex in eodem impedimento dispensare solet: causas illas vide N. 127.

III. Potest Episcopus hanc facultatem dispensandi delegare alteri, v. g. Vicario Generali; sed Episcopo mortuo, vel sede vacante, hæc facultas dispensandi cessat, neque ad Capitulum vel ejus Vicarium Generalem devolvitur, quia est privilegium personale.

N. 133. DE DISPENSATIONE EPISCOPI EX CONSUECUDINE.

- I. *Episcopi possunt positis certis conditionibus dispensare ex consuetudine.* II. *Sed tantùm pro foro interno.* III. *Episcopus etiam probabiliùs aliquando pro Matrimonio contrahendo.* IV. *Quid si contrahentes sint diversarum Diocesium?*

SUPER quibus impedimentis Episcopi dispensant ex consuetudine?

I. R. Super omnibus impedimentis Juris Ecclesiastici, in quibus Pontifex dispensare solet, si adsint sequentes conditiones:

Prima, ut Matrimonium in facie Ecclesiæ fuerit jam contractum, præviis proclamationibus, vel cum dispensatione superioris.

Secunda, ut sit contractum bonâ fide ex ignorantia juris vel facti. Sufficit bona fides unius juxta Sanchez, Engel, Reiffenstuel, &c. Consulunt tamen Reiffenstuel in Appendice N. 158. & Pyrrhus, in hoc casu pro majori securitate ad Pœnitentiarium recurrendum.

Tertia, ut sit consummatum juxta Pyrrhum & Benedictum XIV. lib. 9. de Synodo Diœcesana cap. 2. ac Collet; alii tamen passim hanc conditionem non requirunt.

Quarta, ut impedimentum sit occultum, nec timeatur manifestandum.

Quinta, ut sinè scandalo separari non possint.

Sexta, ut non possit facilè adiri Roma ob conjugum paupertatem, vel ob necessitatem, quæ moram non patitur scribendi Romam, vel adeundi Romam, vel adeundi Nuntium Apostolicum habentem specialem facultatem, v. g. quia interea rationabiliter timentur scandala obventura, jactura famæ, præjudicium prolis, periculum incontinentiæ, &c.

Nota, quòd titulus paupertatis non subsistat, dum à S. Pœnitentiarium impedimentum solvi potest; quia epistola exiguo sumptu ad illam mittitur; unde tunc ad illam recurrere oportet, nisi sit periculum in mora, vel ob bella, schismata, &c. litteræ Romam mitti aut inde recipi nequeant.

Hæc sententia est communis & certa, fundata in quadam epykia, sciente & non contradicente Pontifice, & hanc potestatem in Episcopis ultrò agnoscit Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana lib. 9. cap. 2.

Episcopus potest dispensare in pluribus quàm Pœnitentiarium, dum agatur de necessitate.

Valet hæc dispensatio etiam pro divitibus, cùm pro illis etiam, urgens necessitas aliaque supra requisita occurrere possint; II. hæc tamen dispensatio tantùm valet pro foro interno, uti tradit Benedictus XIV. loco citato & alii communiter.

Sede vacante hæc facultas devolvitur ad Vicarium Generalem Capituli, quia reputatur Ordinaria.

Ex eadem consuetudine Episcopi etiam dispensant in petitione debiti, dum Matrimonio valido supervenit affinitas, vel cognatio spiritualis.

An similiter ob præfatam urgentem necessitatem Episcopus dispensare potest super impedimento occulto ante contractum Matrimonium?

III. R. Negat quidem Fagnanus in cap. NIMIS, sed alii post Sanchez communiter affirmant, pro casu urgentissimæ necessitatis, qualis esse potest, si quis morti proximus contrahere vellet ad legitimandam prolem, vel si omnibus ad Matrimonium paratis, illud sinè scandalo & infamia differri nequeat. Benedictus XIV. loco citato utramque sententiam proponit, sed nullum fert iudicium.

IV. Juxta Braunman & Collet, si contrahentes sint diversarum Diœcesium, utriusque Episcopi dispensatio est necessaria, quia Archiepiscopus v. g. Mechliniensis potest quidem sui diœcesani, non autem alterius vinculum solvere. Oppositum tenent Sanchez, La Croix, &c. quia Episcopus dispensando cum suo subdito reddit eum habilem, ut cum altero Matrimonium contrahat; unâ autem parte habilitatâ, per consequens habilitatur altera, propter individuam contractûs conjugalis naturam, uti in simili dictum est N. 104.

Ex eadem ratione S. Pœnitentiaria in rescripto ad Pœnitentiarium Parisiensem, supra Num. 131. citato, iudicat impedimentum ejusmodi esse solere, ut sublatum quoad unum, maneat eo ipso sublatum quoad alterum.

Unde quando S. Pœnitentiaria requirit, ut litteræ dispensationis ab ipsa obtentæ respectu utriusque oratorum executioni mandentur, ut diximus N. 131. hoc non est tam ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum uno dispensationem jam ablatum præsupponitur, quàm potiùs ad congruas pœnitentias Sacramentales utrimque imponendas, quas non convenit ab uno tantùm exigi, ubi communis est culpa: ita præfatum rescriptum.

N. 134. CASUS PERPLEXUS.

QUID aget Pastor, qui pridie vel eodem die, quo Matrimonium est contrahendum, ex confessione unius sponsorum detegit impedimentum aliquod dirimens, inter eosdem ortum ex aliquo crimine occulto infamante, & interim omnia sunt parata ad convivium nuptiale, amici vocati, nec videtur Matrimonium posse differri sinè infamia vel scandalo.

R. Pastor debet excogitare prætextus Matrimonium differendi, donec dispensatio Româ vel ab Episcopo fuerit obtenta.

Primum titulum adducit Sylvius, nimirum, persuadendo illi, qui causam dedit impedimento, ut voveat castitatem pro tot diebus (non tamen determinando dies) quot necessarii sunt pro obtinenda dispensatione, & ut dicat amicis suis se habere votum castitatis, & ideo Pastorem velle, ut expectetur dispensatio.

2º. Posset Pastor sinè mendacio prætexere se habere inhibitionem ex parte Ecclesiæ vel Episcopi, eamque statim ad suam notitiam pervenisse, ideoque se obligatum ad scribendum vel ad accedendum Episcopum, priùsqum pergere possit.

Hoc tamen dum ex sola confessione sacramentali impedimentum noscitur, fieri non potest sinè expressa pœnitentis licentia, quæ aliquando consultò in scriptis petitur, ne postea neget licentiam datam. Hoc rumore sparso Pastor instanter scribat pro dispensatione, & si opus sit, petat ab Episcopo litteras interdicti de non assistendo Matrimonio istorum sponsorum, quas litteras ostendere poterit aliis, ut se purget ab obloquio.

Si Pœnitens in confessione monitus, equidem desistere non velit à petendo Matrimonio, tenetur Parochus, si aliunde impedimentum non noverit, eidem assistere. Vide Num. 123.

N. 135. DE ACTIBUS TURPIBUS POST DISPENSATIONEM INTER ORATORES HABITIS.

I. Copula inter impedimento ligatos sæpè habet specialem malitiam. II. Manet illa malitia post dispensationem. III. In illis post dispensationem probabiliùs cessat.

I. DICTUM est Num. 70. copulam fornicariam aliosque Luxuriæ actus inter personas, inter quas est impedimentum Matrimonii, habere specialem malitiam in confessione exprimendam, si ratio & motivum prohibens Matrimonium etiam militet in copula fornicaria, prout ibidem dictum est.

II. *Quæstio hic est, utrùm illa specialis malitia ad huc reperiatur in copula fornicaria, tactibus, &c. inter personas quibuscum ad contrahendum Matrimonium legitimè & completè est dispensatum?*

III. *R.* Si actus luxuriosi non tantùm prohibiti sint ratione prohibitionis Matrimonii, sed etiam aliunde & proprio statu, prout fit, dum quis voto castitatis vel Ordine sacro ligatus est, tunc copula fornicaria aliique actus luxuriæ post dispensationem obtentam retinent specialem malitiam: imò peccata carnalia in casu voti post Matrimonium ex dispensatione, cum conjugè commissa, retinent eandem malitiam sacrilegii.

Si verò actus illi sint tantùm prohibiti ratione prohibitionis Matrimonii, quidam sustinent post completam & legitimam dispensationem illos adhuc retinere specialem illam malitiam, quam non obtentâ dispensatione habuissent; idque ideo quòd Ecclesia dispensando, quidem tollat prohibitionem quoad copulam conjugalem, sed non quoad copulam fornicariam aliosque luxuriæ actus, quæ omnino detestatur.

Alij, ut Sanchez, Bonacina, &c. probabilius docent in casu post dispensationem executioni mandatam non contrahi specialem illam malitiam, eò quòd prohibitio specialis copulæ fornicariæ dependeat à prohibitione Matrimonii, ac proinde sublatâ, consequenter desinet copula fornicaria specialem habere malitiam, uti patet ex eò, quòd si v. g. impedimentum consanguinitatis in aliquo gradu generaliter abrogetur, copula fornicaria in eo gradu non sit ampliùs incestuosa: adeoque idem videtur dicendum, si in particulari impedimentum per dispensationem tollatur.

Non obstat, quòd probabilius personæ consanguineæ vel affines ejusdem sexûs in gradibus dirimentibus reæ sint incestûs, si inter se turpiter agant, nulla pro ipsis sit Matrimonii utpote impossibilis prohibitio; quia equidem actuum turpium prohibitio etiam respectu illarum à prohibitione Matrimonii dependet. Unde si impedimentum consanguinitatis vel affinitatis in aliquo gradu abrogetur, actus turpes ab iis in eo gradu exerciti desinunt esse incestuosi.

Adde, quòd si per dispensationem tantùm tollatur prohibitio quoad copulam conjugalem, peccata carnalia conjugum inter se, quibuscum in consanguinitate vel affinitate est dispensatum, specialem illam malitiam

haberent, quod est contra communem omnium apprehensionem: neque desuper conjuges in confessione interrogantur.

N. 136. DE PROLE ILLEGITIMA EJUSQUE LEGITIMATIONE.

I. *Qui sunt filii legitimi.* II. *Qui illegitimi.* III. *In dubio præsumuntur legitimi.* IV. *Illegitimi, alii naturales.* V. *Alii spurii.* VI. *Bona, quibus privantur illegitimi.* VII. *Modi legitimationis primò per rescriptum Principis.* VIII. *2º. Per rescriptum Pontificis.* IX. *3º. Per professionem approbatam.* X. *4º. Per subsequens Matrimonium.* XI. *Spurii etiam aliquando legitimantur per Matrimonium.*

I. **FILII legitimi dicuntur, qui nati sunt ex Matrimonio valido, aut etiam invalido, sed in facie Ecclesiæ sinè ejus interdicto, neque neglectis proclamationibus, inito cum bona fide unius saltem contrahentium; ut colligitur ex cap. 2. tit. 17. lib. 4. Decretalium, juncto cap. 3. tit. 3. ejusdem libri.**

II. Unde illegitimi sunt, qui vel extra Matrimonium procreantur, vel ex Matrimonio malâ fide utriusque invalidè contracto. Censetur Matrimonium malâ fide contractum, si contractum sit contra interdictum Ecclesiæ, aut proclamationes culpabiliter fuerint omissæ.

Quòd si Matrimonio bonâ fide nulliter contracto, postea uterque conjux cum scientia impedimenti seu malâ fide copulam habuerit, proles inde nata erit illegitima.

III. In dubio præsumitur in favorem prolis, & ita licèt mater v. g. sæpius adulterata fuerit, nisi tamen constet prolem hanc ob mariti absentiam vel infirmitatem ex alio esse, reputabitur legitima. Similiter proles exposititiæ veriùs reputantur legitimæ.

IV. Illegitimi, alii sunt naturales alii spurii; naturales sunt, qui nascuntur ex parentibus, inter quos tempore conceptionis validum poterat esse Matrimonium.

V. Spurii sunt, qui nati sunt ex parentibus, inter quos, neque tempore conceptionis, neque tempore partûs validum poterat esse Matrimonium; & ita confunduntur cum natis "ex coitu damnato:" quamquam

alii natos ex coitu damnato illos dicant, qui nascuntur ex copula, quæ legibus specialiter punitur, veluti ex adulterio, incestu, sacrilegio, &c.

Nati ex parentibus, inter quos tempore nativitatis poterat esse Matrimonium, non autem tempore conceptionis, secundùm quosdam reputantur naturales, secundùm quosdam spurii.

Quibus bonis privantur illegitimi?

R. Sunt inhabiles ad gratuita utriusque fori munia, putà officia, beneficia, Ordines, &c.

VI. Deinde spurii succedere non possunt patri vel matri, nec ab intestato, nec per testamentum; debent tamen inspicere consuetudines locorum: ita v. g. Antuerpiæ, Lyræ, &c. spurii, vulgò bastardi, succedunt matri.

De Jure communi, lege, SI QUA ILLUSTRIS, Codicis lib. 6. tit. 57. filii naturales ab intestato succedunt patri, non secùs, ac filii legitimi; juxta consuetudines patriæ etiam succedunt matri ab intestato, sed non cum legitimis; secundum easdem possunt ex testamento patris vel matris hæreditatem quamdam percipere.

VII. Quomodo illegitimi possunt legitimari?

R. 1º. Per rescriptum Principis habilitari possunt ad Civilia; etiam ut hæredes institui possint. Pro quo vide Stockman decis. 68. privilegium legitimandi concessum est Statibus Brabantiae.

VIII. 2º. Per rescriptum Pontificis habilitantur ad Ecclesiastica, putà beneficia, Ordines, &c. Episcopus, item Capitulum Sede vacante, inquit Reiffenstuel, legitimare potest ad tonsuram, Ordines minores & beneficium simplex.

IX. 3º. Per professionem in religione approbata illegitimi habilitantur ad Ordines sacros, non tamen ad dignitates vel prælaturas, nequidem sui Ordinis.

X. 4º. Illegitimi naturales, per Matrimonium parentum subsequens, legitimantur ad omnia Ecclesiastica & Civilia, hæreditatem, &c.; ita ut per omnia æquiparentur legitimè natis: ratio est quòd Matrimonium subsequens omnia præcedentia purget: hinc dicit Reiffenstuel, tales per se vocari legitimè natos, comprehendique in statutis hominum requirentium, ut quis sit legitimè natus.

XI. Spurii aliqui secundùm Zypæum, de Jure Bel-

gico, etiam legitimantur ad omnia in gratiam Matrimonii parentum subsequens cum dispensatione super impedimento & legitimatione prolis susceptæ; tunc enim illa dispensatio censetur retro trahi ad tempus conceptæ prolis, & pro tunc tollere ab initio impedimentum, v. g. affinitatis; ita ut proles illa, tanquam purè naturalis per Matrimonium subsequens legitimetur ad omnia.

Idem effectus habetur, quando Pœnitentiaria vel Episcopus dispensat, modò decernant legitimationem prolis susceptæ.

Si verò impedimentum sit juris naturæ, in quo Pontifex dispensare non potest, v. g. ligamen, proles manebit spuria, etiamsi postea impedimento per mortem alterius conjugis sublato, parentes ejus prolis Matrimonium inter se contrahant: probatur ex cap. TANTUM, lib. 4. Decret. tit. 17. ubi dicitur: "Si autem vir vivente uxore suâ aliam cognoverit & ex ea prolem susceperit, licèt post mortem uxoris eam duxerit, nihilominus spurius erit filius." Si tamen inspiciantur ipsa verba Alexandri III. ex quo capitulum illud desumptum est, apparet, quòd Pontifex ideo declaret filium manere spurium, quòd parentes ejus invalidè contraxissent propter impedimentum criminis, quod intercedebat, & in quo non erat dispensatum. Vide tom. 10. collectio- nis, Conciliorum Labæi, fol. 1672. ubi verba integrè referuntur.

Quantùm ad effectum legitimationis, idem habetur, si Sacra Pœnitentiaria vel Episcopus dispense, modò legitimationem susceptæ prolis declarent.

FINIS.

APPROBATIO.

TRACTATUS hi de *Extrema Unctione, Ordine, Sponsalibus & Matrimonio*, ab Authoribus gravissimis ac eruditissimis Opus perfectissimum habent, ita ut promerentur attentam nedum Sacræ Theologiæ Tironum, verùm etiam Pastorum lectionem, cui proxim suam tutò conforment. Dabam Lovanii hæc 8 Novembris 1775.

F. JACQUES, dict. JACOBI, S. T. L. Ap. Reg. Lib. per Germ. Infer. Visit. & Censor, Insign. Eccles. Coll. S. Petri Can. Coll. Triling. Præf.

TRACTATUS

DE

QUATUOR NOVISSIMIS.

*Ordine S. Thomæ post Tractatum de Sacramentis
agemus de Hominis Novissimis.*

N. 1. QUÆ HOMINIS NOVISSIMA.

S. Thom. suppl. quest. 69. & seq.

I. Quæ hominis Novissima.

I. QUOT & quæ dicuntur Hominis Novissima?

R. Quatuor; scilicet mors, iudicium, infernus & cælestis Gloria: dicuntur autem *Novissima*, quia ei novissimè seu ad extremum accidunt; mors quidem & iudicium singulis hominibus, infernus malis tantum, cælestis Gloria solis iustis.

Jugem novissimorum memoriam & meditationem tanquam præservativam contra peccata nobis inculcat Ecclesiast. cap. 7. v. 40. his verbis: "In omnibus operibus tuis memorare Novissima tua, & in æternum non peccabis."

N. 2. DE MORTE.

- I. *Mors corporalis.* II. *Obveniet omnibus & singulis.*
 III. *Mors homini secundum se est naturalis.* IV.
Est tamen effectus peccati originalis. V. *Est pœna*
peccati originalis in non renatis.

I. Mors, de qua hic agitur, intelligitur corporalis, quæ consistit in separatione animæ à corpore, quæ scilicet unio vitalis dissolvitur: solum corpus moritur, non anima; rectè tamen dicitur homi mori: quia compositum ex anima & corpore, quod est homo, dissolvitur.

An omnes homines sunt morituri?

II. R. Cum S. Thom. suppl. quæst. 78. art. 1. probabiliùs affirmativè; probatur ex cap. 9. v. 27. Epist. ad Hebr. ubi dicitur: "Statutum est hominibus semel mori:" item ex cap. 5. ad Rom. v. 12. infra citando; atque hæc est sententia Latinorum.

Obj. I. S. Chrysostomus & Græci passim sustinent, aliquos homines non morituros, illos nempe, qui vivi reperientur immediatè ante judicium universale: quod probant ex I. ad Corinth. cap. 15. v. 51. ubi loco lectionis vulgatæ: "Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, græcè habetur; Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur."

R. Lectionem vulgatæ nostræ fortè esse præferendam, uti alibi eam præfert S. Hieronymus; deinde licèt vera foret lectio Græcorum, ut vult Estius, nondum sequeretur, aliquos non morituros, cum non legatur: "Omnes quidem non moriemur," sed "omnes quidem non dormiemus:" dormire enim tantùm dicuntur illi, qui aliquo tempore mortui sunt; qui verò in ultimo judicio vivi invenientur, subito per ignem conflagrationis extincti, statim reviviscunt, ac ita propriè non dormient: similiter responderi debet ad ea, quæ obijciuntur ex Epist. ad Thess. cap. 4. v. 15 & 16. de hoc tamen loco adhuc infra recurret dicendum.

Obj. II. In Symbolo dicitur: "Qui venturus est judicare vivos & mortuos:" ergo non omnes morientur.

R. Neg. conseq. quia per vivos intelliguntur illi, quos adventus Domini vivos reperiet, qui tamen statim per ignem conflagrationis mortui resuscitabuntur.

An mors est homini naturalis?

III. R. Homini secundum sua naturalia considerato mors est naturalis; cum habeat corpus ex contrariis compositum, ex quorum pugna naturaliter sequitur ipsius compositi corruptio.

An ergo mors non est effectus peccati originalis?

IV. R. Affirmativè: estque de fide contra Pelagianos, & definitum in Conc. Trid. sess. 5. probatur ex Epist. ad Rom. cap. 5. v. 12. "Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit."

Unde nota, quod Deus ita privilegium immortalitatis annexerit Justitiæ originali, ut, hæc deperditâ, illud simul etiam amitteretur: vide S. Th. 1. 2. quæst. 85. art. 5.

An mors potest dici pœna peccati originalis?

V. R. Affirmativè; in illis scilicet, qui peccato originali adhuc obnoxii sunt: sed in regeneratis mors amplius non est propriè pœna peccati originalis; cum illud plenè quoad culpam & pœnam remissum sit: sed dici potest penalitas, seu miseria naturaliter consequens corruptibilitatem naturæ nostræ. Plura huc spectantia disputat S. Thom. loco mox citato.

N. 3. DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

S. Thom. 1. part. q. 75. art. 6.

I. De fide est, animam hominis esse immortalem. II. A ratione probatur. III. Error Mahumetis. IV. Sitne de fide, animam esse spiritualem.

AN Anima hominis est immortalis?

I. R. Affirmativè; est de fide definitum in Concilio V. Lateranensi sub Leone X. sess. 8. Hoc Christus probavit contra Sadduceos Matth. cap. 22. v. 31. & 32. argumento desumpto ex cap. 3. Exodi, ubi v. 6. Deus dixit Moysi: "Ego sum... Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob." ex hoc concludit Christus, quod illi Patriarchæ, cum essent mortui secundum corpus, viverent secundum animam, quia nempe, ut ait: "Non est Deus mortuorum, sed viventium;" quomodo nemo Dominus est rei totaliter extinctæ.

Constat enim hæc veritas ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus electorum præmia, & reproborum supplicia dicuntur esse æterna.

II. Idem à ratione probatur: Anima hominis est intellectiva: ergo non est materialis; materia enim intelligere nequit, sed spiritualis: si spiritualis, ergo incorruptibilis ab intrinseco, cùm spiritus non componatur ex contrariis. Plura in hanc rem vide apud Collet Tract. de vera Relig. sec.2. concl. 3. & alios, qui contra Pseudo-Philosophos hujus temporis scripserunt.

Obj. I. I. ad Timoth. cap. 6. v. 16. dicitur de Deo: "Qui solus habet immortalitatem:" ergo, &c.

R. Nego conseq. quia textus intelligitur de immortalitate perfectissima, quæ est sinè initio & sinè fine, & quam Deus habet à se & ex se; talem verò immortalitatem habet anima, quæ habet initium, & à Deo est, & tantùm habet immortalitatem absque fine.

Obj. II. Eccles. cap. 3. v. 19. dicitur: "Unus interitus est hominis & jumentorum:" atqui jumenta pereunt quoad corpus & animam: ergo, &c.

R. S. Thom. dupliciter: vel quòd ea ibidem dicantur in persona insipientium, vel quòd unus sit interitus quantum ad corruptionem compositi, quæ utrobique fit per separationem animæ à corpore; licèt post separationem anima humana, utpote habens esse & operari independens à corpore, remaneat: animæ verò jumentorum, cùm non subsistant nec operentur independenter à corpore, pereant.

Obj. III. Anima est passibilis: ergo mortalis.

R. Non est passibilis passione corruptivâ; qualis est passio corporis, quæ per sensus recipitur, sed eâ tantùm passione, quæ in voluntatem aut intellectum recipitur.

Obj. IV. Anima dicitur mori per peccatum mortale: ergo, &c.

R. Non dicitur mori quoad vitam naturalem sed quoad vitam spiritualem seu supernaturalem, in quantum privatur gratiâ sanctificante, in qua vita spiritualis animæ consistit.

III. Ex dictis refutatur error Mahumetis dicentis, animas simul cum corporibus interire pro tempore, sed in ultimo judicio esse simul cum eisdem resuscitandas; qui error etiam refellitur ex art. 11. Symboli Apostolorum: "Carnis resurrectionem;" quo non animæ, sed

corporis significatur resurrectio : ergo hoc, non illa monitur.

Rectè tamen dicitur homo resurgere ; quia terminus resurrectionis est compositum ex anima & corpore, quod est homo. Vide circa dicta Estium in 4. dist. 88. part. 2.

An, sicut de fide est, animam hominis esse immortalem, ita etiam de fide est, eam esse incorporèam seu spiritualem ?

IV. R. cum Sylvio l. parte q. 75. art. 1. non haberi super hac re apertam Ecclesiæ definitionem : tantis tamen nititur fundamentis, ut contrarium asserere temerarium & erroneum certò censi debeat. Quidam in Conc. Viennensi hoc definitum volunt ; sed definitum ibi tantùm est, quòd anima rationalis seu intellectiva sit forma corporis humani per se & essentialiter. Vide S. Th. 1. part. q. 76. art. 1. in *Corp.*

N. 4. DE RESURRECTIONE.

S. Thom. suppl. quest. 75. & seq.

I. *Resurrectio probatur.* II. *Tam mali quàm boni resurgent.*

QUID est Resurrectio corporum ?

R. Est corporis humani resuscitatio, seu ad vitam revocatio.

I. Resurrectio probatur ex articulo 11. Symboli Apostolorum : “ Carnis Resurrectionem.”

Etiam probatur ex Job, qui c. 19. v. 25. dicit : “ In novissimo die de terra surrecturus sum ; v. 26 : Et rursus circumdabor pelle mea,” &c.

Eam quoque Apostolus probat variis argumentis l. ad Cor. cap. 15. per totum ; & Christus, Matth. cap. 22. v. 31. supra citato, & alibi sæpius.

An omnes homines tam mali quàm boni resurgent ?

II. R. Fide certum est, omnes omnino mortuos, nemine excepto, resurrecturos, nisi qui jam ante resuscitati sunt ad vitam beatam : probatur ex cap. 5. Joannis ubi Christus universaliter affirmat v. 28 :

“Omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei; v. 29: Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egêrunt, in resurrectionem iudicii;” item ad Rom. c. 14. v. 10. dicitur: “Omnes stabimus ante Tribunal Christi.”

Idem etiam probat S. Th. à ratione art. 2.

Obj. Psalm. 1. v. 5. dicitur: “Non resurgent impii in iudicio:” ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia significatur, impios non resurrecturos ad vitam beatam; vel potiùs, non futurum, ut causam in iudicio sustineant; ut patet ex textu Hebraïco: “Non stabunt impii in iudicio,” id est, non poterunt causam suam defendere, sed eâ cadent.

N. 5. DE TEMPORE RESURRECTIONIS.

S. Thom. suppl. quæst. 77.

I. *Generalis resurrectio erit in fine mundi.* II. *Aliqui ex speciali privilegio jam resurrexerunt.* III. *Tales sunt, qui cum Christo fuerunt resuscitati.* IV. *Omnes resurgent eodem tempore.* V. *Causæ resurrectionis.*

QUANDONAM futura est Resurrectio?

I. R. Generalis Resurrectio mortuorum fiet in fine mundi, dum instabit Judicium universale; probatur: quia Job cap. 19. v. 25. Joan. cap. 6. v. 40. & cap. 11. v. 24. Resurrectio futura dicitur “in novissimo die:” Talis etiam semper fuit Fidelium sensus.

II. Nec obstat, quòd quidam jam ad vitam immortalē resurrexisse credantur; adeòque qui non ampliùs sunt morituri, sed cum corporibus suis gloriosis in iudicio comparituri; id enim est ex speciali privilegio, quod Divæ Virgini piè tribuitur, cujus rationes congruentiæ affert Sylv. Supplem. quæst. 77. art. 1. Id etiam latè probat Benedictus XV. de Festis Beatæ Mariæ Virg.

An illi, qui Matth. cap. 27. v. 52 & 53. leguntur cum Christo resuscitati, resurrexerunt ad vitam immortalē?

III. R. S. Ambrosius, Hilarius, &c. eos ad vitam immortalē resurrexisse tanquam primitivos fructus &

testes vivos & firmos perfectæ Resurrectionis Christi affirmant. Negant S. August. & Beda: at priorem sententiam interpretes passim amplectuntur.

An boni & mali resurgent eodem tempore?

IV. R. Affirmativè: juxta illud I. ad Cor. cap. 15. v. 52. "In momento, in ictu oculi, in novissima tuba."

Obj. Epist. I. ad Thessal. cap. 4. v. 15. dicit Apostolus: "Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi."

R. Non ponit Apostolus ordinem inter Resurrectionem bonorum & malorum, sed inter Resurrectionem & raptum: illi scilicet, qui in sepulchro dormierunt, resurgent primùm; deinde qui fuerint vivi reperti, (priùs tamen mortui & cum aliis resuscitati), rapientur cum aliis simul obviam Christo, in aëra: hic sensus colligitur ex circumstantiis, & ex Græco, ubi pro *primi* legitur *primùm*.

V. Nota, quòd resurrectio bonorum specialiter adscribitur Christo tanquam causæ meritoriae, & ejus resurrectioni tanquam causæ exemplari; item voci Christi tanquam causæ instrumentali omnium resurrectio adscribitur: unde Joan. c. 5. v. 28. dicitur: "Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei." Vide etiam Matth. cap. 24 & I. ad Cor. cap. 15. v. 52.

N. 6. DE CONDITIONIBUS RESURGENTIUM,

S. Thom. suppl. quest. 79. & sep.

I. *Anima resumet idem in individuo corpus.* II. *Electi resurgent sinè corporis defectu.* III. *Usus sensuum manebit.* IV. *In carne Christi perseverant aperturae 5. vulnerum.* V. *Item in carne Martyrum.*

AN anima in Resurrectione resumet idem numero corpus, quod in vita mortali habuit?

I. R. Affirmativè: estque de fide: itaque homo resurgens habebit carnem, ossa, nervos, cæterasque omnes corporis partes easdem, quas habuit ante mortem.

Probatur ex v. 26. cap. 19. Job: "Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea, videbo Deum meum: v. 27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius."

Probat etiam S. Thom. art. 1. & 2. ex ipso nomine resurrectionis, quod sonat iteratam ejusdem rei resurrectionem.

Obj. I. I. ad Cor. cap. 15. v. 50. dicitur: "Caro & sanguis Regnum Dei possidere non possunt;" ergo non resurget eadem quoad substantiam caro, sed in aliud quidpiam mutata.

R. Nego conseq. quia per carnem & sanguinem non intelligit Apostolus ipsam substantiam, sed opera carnalia, vel homines ea sectantes; vel intelligit carnem corruptibilem & mortalem.

Obj. II. Implicat corpus, quod perit, idem in individuo resurgere.

R. Corpus non perit per annihilationem, seu non redigitur in nihilum, sed tantum per dissolutionem partium resolvitur in cineres; & sic nulla hic implicitia fingi potest.

An illi, quia à nativitate caruerunt aliquo membro, vel aliquem alium defectum habuerunt, cum eodem defectu resurgent?

II. R. Certum est, electos sine ullo corporis defectu resurrecturos: quoad reprobos autem dubitat S. Augustinus, S. Thom. tamen quæst. 81. art. 2. affirmat; quia Resurrectio est opus Dei: Dei autem perfecta sunt opera.

III. Post Resurrectionem manebunt in homine potentiae sensuum, visus, auditus, &c. & etiam eorum usus; quia id pertinet ad perfectionem naturæ.

IV. An Martyres in corpore suo glorioso retinebunt vulnera pro Christo accepta?

R. In Corpore Christi glorioso verisimiliter perseverant aperturæ quinque vulnerum, ut docet S. Chrysostomus; Christus enim Joan. cap. 20. v. 27. dicit Thomæ: "Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c."

V. In cæteris Martyribus nihil cogit simile admittere dicit tamen S. Aug. lib. 22. de Civitate Dei cap. 20. quòd in locis vulnerum fulgor quidam lucebit, ita ut ad oculum videri possint in corpore Martyris passionis ejus.

N. 7. DE QUALITATE RESURGENTIUM.

S. Thom. Suppl. quæst. 81.

- I. *Resurgent omnes in natura illius ætatis, quâ Christus resurrexit.* II. *Non omnes tamen in eadem natura.* III. *Manebit diversitas sexûs.* IV. *Omnia corpora resurgent immortalia.* V. *Sola beatorum corpora erunt impassibilia.*

IN qua ætate, seu in cujus ætatis statu resurgent homines?

I. R. Resurgent in tali staturæ magnitudine & forma, qualem homines habere solent in ea ætate, quâ Christus resurrexit, quæ fuit 33. aut circiter annorum; quia, ut dicit S. Thom. art. 1. Deus naturam perfectam reparavit; natura autem deficit in minori vel majori ætate.

An homines resurgent æquè longi & crassi, &c.?

II. R. Negativè; sed resurget uniusquisque tam longus & crassus, quàm fuit vel fuisset in ætate prædicta, secluso omni vitio & defectu naturæ; quia natura restaurabitur non tantùm secundùm perfectionem speciei, sed etiam secundùm perfectionem individuum, inquantùm unum exigit aliam proportionem, quàm aliud. Vide S. Thom. art. 2.

An in Resurrectione manebit sexuum diversitas?

III. R. Catholica & certa est doctrina, unumquemque hominem in suo sexu resurrecturum; quia diversitas sexûs est de perfectione individui & speciei: deinde quædam sunt Sanctorum merita ratione sexûs, ut notat Sylvius. Attamen "in Resurrectione neque nubent, neque nubentur," ut dicit Christus, Matth. cap. 22. v. 30.

An in Resurrectione omnia corpora, resurgent immortalia?

IV. R. Affirmativè; probatur ex 1. ad Cor. c. 15. v. 53. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem."

An omnia corpora resurgent impassibilia?

R. Negativè: sola enim corpora Beatorum resurgent impassibilia, corpora autem damnatorum passibilia erunt; patientur enim omnis generis ipsa morte acer-

biores pœnas, semper viventes, & quasi semper morientes; “Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.” Apoc. cap. 9, v. 6.

N. 8. DE DOTIBUS CORPORIS GLORIOSI.

S. Thom. Suppl. quæst. 82. & seq.

I. *Quatuor dotes corporis gloriosi.* II. *Impassibilitas,* III. *Subtilitas,* IV. *Potestas penetrandi alia corpora unde habeatur.* V. *Agilitas,* VI. *Claritas.*

QUOT sunt dotes corporis gloriosi?

I. R. Sunt quatuor; scilicet impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas: vocantur autem dotes; quia sunt qualitates quædam & conditiones supernaturales, quibus Christus Dominus electorum corpora dotavit & ornavit.

Quid est dos impassibilitatis?

II. R. Est certa qualitas corporis gloriosi, excludens ab eo omnem corruptionem, læsionem, dolorem, afflictionem, &c. de hac dote loquitur Apostolus I. ad Corinth. c. 15. v. 42. dicens: “Seminatur in corruptione, surget in corruptione.”

Quid igitur fieret, si quis gladio corpus gloriosum impeteret?

R. Cum Wiggers 1. 2. q. 4. dubio 4. ensis pertransiret sinè læsione corpus illud propter dotem subtilitatis, vel corpus illud gloriosum illæsum ensi resisteret ad instar adamantis. Alterutrum fiet, prout Beatus ille voluerit.

Quid est dos subtilitatis?

III. R. Est perfectio corporis gloriosi, quâ perfectè subjicitur animæ ad quamvis actionem organicam, idque sinè alimenti necessitate: de hac dote dicit Apost. I. ad Cor. cap. 15. v. 44, “Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale;” non quoad substantiam, sed secundùm qualitates.

Obj. Lucæ cap. 22. v. 29 & 30. dicit Christus: “Ego dispono vobis... ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo;” ergo in cælo erit usus cibi & potûs.

R. Neg. conseq. Textus enim intelligitur metaphoricè & spiritualiter de plena omnis desiderii satietate in cælo.

IV. Ad hanc dotem referunt Wiggers, Neesen & Daelman potestatem penetrandi alia corpora; sed S. Thom. q. 83. art. 2. Sylvius, &c. hanc potestatem ratione subtilitatis Beatis denegant; quamvis illam habituri sint, dum Deus voluerit: sicut Christus januis clausis ad Discipulos est ingressus, & ex sepulchro clauso redivivus processit.

Beati ex virtute supernaturali, prout voluerint, vel pertransibunt & penetrabunt alia corpora, vel eis resistant. Vide S. Thom. quæst. cit. art. 6. in Corp.

Similiter pro beneplacito Beatorum corpora eorum à nobis poterunt vel non poterunt palpari aut videri. S. Thom. ibid. art. 5. ad 3. & quæst. 85. art. 3.

Quid est dos agilitatis?

V. R. Definiri potest ex S. Thom. perfectio corporis gloriosi, quâ illud animæ ita subjicitur, ut sinè labore, lassitudine aut quacumque alia difficultate ad quamlibet loci distantiam moveri possit brevissimo ac veluti imperceptibili tempore. Dos hæc significatur ab Apostolo I. ad Cor. cap. 15. v. 43. his verbis: "Seminatur in infirmitate, surget in virtute."

Observat S. Thom. quæst. 84. art. 1. ad 3. quòd agilitas non tantùm pertineat ad motum localem, sed etiam ad alias operationes per corpus exercendas, & sicuti translatio corporis de loco in locum fiet motu successivo, ita etiam fiet cum transitu per medium.

An agilitas corporis non impiedietur à gravitate?

R. Negativè: quia gravitas non erit in corpore glorioso, nisi Beatus voluerit.

Quid est dos claritatis?

VI. R. Est perfectio corporis gloriosi, quâ illud redditur luminosum & pellucidum: de hac dote loquitur Christus Matth. cap. 13. v. 43: "Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris:" & Apost. I. ad Cor. cap. 15. v. 43: "Seminatur in ignobilitate, surget in gloria."

Docet S. Thom. quæst. 85. art. 1. in Corp. quòd claritas illa redundet in corpus ex gloria animæ, adeoque pro diversitate gloriæ animæ diversa futura sit corporum claritas: id etiam insinuat Apost. I. ad Cor. cap. 15. v. 41: "Stella à stella differt in claritate:" (v. 42.) "sic & resurrectio mortuorum."

N. 9. DE JUDICIO.

I. *Judicium.* II. *Duplex, universale & particulare.*

Quid hîc intelligitur per *judicium*?

I. R. Intelligitur *sententia Dei decernentis unicuique præmium vel pœnam secundùm merita vel demerita.*

II. *Duplex est judicium: universale & particulare. De universali, quod fiet in fine mundi, agetur Num. sequenti.*

Particulare est quod quælibet anima immediatè post separationem à corpore subit in particulari. Hæc veritas Catholica probatur ex eo, quòd animæ immediate post mortem præmientur vel puniatur, ut Scriptura testatur exemplo divitis Epulonis, & boni Latronis; hoc autem sinè judicio non fieri, indubitatum est: talis etiam semper fuit Ecclesiæ traditio, ut patet ex S. Aug. lib. 2. de origine animæ cap. 4.

Idem etiam probatur ratione S. Thom. q. 88. art. 1. ad 1.

Si quis moriatur miraculosè revocandus ad vitam mortalem, ille non judicabitur, nisi postquam denuò mortuus fuerit. Plura videri possunt apud Daelman de quatuor Novissimis observ. 2.

N. 10. DE JUDICIO EXTREMO SEU UNIVERSALI.

S. Thom. quæst 88. & sequentibus.

I. *Judicium universale.* II. *Rationes congruentiæ.* III. *In judicio unusquisque videbit omnia opera sua.* IV. *Item omnia opera aliorum.* V. *Peccata remissa etiam manifestabuntur.*

I. **JUDICIUM** universale erit in fine mundi, quando immediate post generalem resurrectionem omnes sistemur ante Tribunal Christi, ut finalem quisque sententiam accipiat.

Unde probatur, illud *judicium universale futurum.*

R. Ex art. 7 Symb. Apost. "Inde venturus est

judicare vivos & mortuos:" & ex 2. ad Cor. cap. 5. v. 10. "Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum." Vide etiam Matth. cap. 25. v. 30. & seq. ubi forma judicii describitur.

Quænam sunt rationes, ob quas præter judicium particulare futurum est universale?

II. R. 1º. Ut Christus, qui olim judicatus fuit injustè, clarificetur cum Majestate judicans totum genus humanum.

2º. Ut totus homo judicetur; nam ad opera tam bona quàm mala corpus fuit animæ instrumentum: ergo ad ipsum etiam pertinere debet sententia punitiois vel præmii.

3º. Ut Justitia Divina omnibus manifestè appareat, quæ modò sæpe occulta est, dum mali prosperantur, & boni affliguntur.

4º. Ut occulta omnia manifestentur omnibus, ad solamen quidem justorum, ad confusionem autem reproborum.

III. In ultimo judicio quisque conspecturus est omnia opera sua, sive bona, sive mala, quæ fecit in hac vita, ut docet S. Thom. q. 87. art. 1. unde conscientiæ singulorum erunt quasi quidam libri res gestas continentes: & isti sunt libri, de quibus Daniëlis c. 7. v. 10. & Apoc. cap. 20. v. 12.

IV. Similiter unusquisque videbit omnia opera aliena in alterius conscientia: ita S. Thom. eadem q. art. 2. & probatur ex 1. ad Cor. cap. 4. v. 5. "Dominus... illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium." Cæterùm cognitio hæc, quâ unusquisque tot aliorum innumera facta conspiciet, erit ex virtute supernaturali, ut dicit S. Th. art. cit. ad 1.

An peccata remissa etiam manifestabuntur in judicio?

V. R. S. Thom. art. 2. affirmativè: quia Scriptura loquitur generaliter, deinde nisi peccata ipsa cognoscantur, non potest propriè cognosci pœnitentia de eisdem.

Obj. Talis manifestatio peccatorum cederet Beatis in ignominiam: ergo, &c.

R. Nego anteced. talis enim manifestatio non cedit Beatis ad ignominiam, sed ad gloriam propter pœnitentiam, quam fecerunt; quomodo hodiè in concionibus peccata Davidis, Magdalenæ, &c. manifestantur.

N. 11. DE JUDICE, JUDICANDIS ET FORMA JUDICII.

S. Thomas Suppl. quæst. 90.

I. Christus erit Judex in ultimo judicio. II. Forma Christi judicantis. III. Judicium discussionis erit mentale. IV. Omnes comparebunt in judicio, V. Et omnes judicabuntur. VI. 3. Modi, quibus aliqui alios judicare dicuntur.

QUIS erit Judex in judicio universali?

I. R. Christus Dominus tanquam Deus & homo. Ita patet ex art. 7. Symb. Apost. item ex Joan. cap. 5. v. 22. "Pater... omne judicium dedit Filio: v. 27. & potestatem dedit, ei judicium facere quia filius hominis est."

In qua forma Christus judicabit?

II. R. In forma humanitatis gloriosa, in qua cum majestate apparebit in nube lucida, visibilis omnibus, etiam reprobis, præcedente Signo Crucis & præcedentibus Angelis. Vide Matth. cap. 24. v. 30. & cap. 25. v. 31.

III. Tandem discussis intellectualiter seu mentaliter omnium operibus Christus ipse feret sententiam: Venite, Benedicti, &c. discedite à me, maledicti, &c. Matth. cap. 25. quas duas generales sententias voce sensibili à Christo proferendas multi probabiliter docent. Præter has generales sententiæ plures particulares de qualitate vel mensura præmii vel pænæ ferentur, sed mentaliter tantùm, ut docet S. Thom. quæst. 88. art. 2.

An omnes homines comparebunt in judicio illo?

IV. R. cum S. Thom. quæst. 89. art. 5. affirmativè: probatur ex Matth. cap. 32: "Congregabuntur ante eum omnes gentes."

An omnes homines judicabuntur in judicio illo?

V. R. Affirmativè: probatur ex 2. ad Cor. cap. 5. v. 10. Num. præcitato: "Omnes nos manifestari oportet," &c.

Obj. Joan cap. 3. v. 18. dicitur: "Qui credit in eum, non judicatur:" ergo, &c.

R. Nego conseq. quia judicare in textu objecto

idem valet ac condemnare, ut patet ex versu præcedenti.

An etiam aliqui homines sunt judicaturi?

VI. R. Affirmativè; tripliciter autem id potest intelligi.

1º. Comparativè; quomodo non tantùm boni malos, sed etiam mali pejores judicabunt, ostendendo, alios comparatione ipsorum esse majori pœnâ dignos: & ita Matth. cap. 12. v. 41 & 42. Ninivitæ & Regina Austri dicuntur condemnaturi Judæos.

2º. Interpretativè: approbando Judicis sententiam, eamque ut justam venerando: & ita omnes boni judicabunt, ut dicitur 1. ad Cor. cap. 6. v. 2. "Sancti de hoc mundo judicabunt."

3º. Quidam non tantùm interpretativè, sed etiam speciali modo judicabunt, conformiter ad verba Christi Matth. cap. 19. v. 28. juxta quæ Apostoli & viri apostolici in judicio sedebunt & judicabunt, non tantùm sententiam Judicis approbando; sed eam etiam in judicatorum notitiam deducendo. Vide S. Thom. quæst. 89. art. 1.

N. 12. DE LOCO JUDICII UNIVERSALIS.

S. Thom. Suppl. quæst. 88. art. 4.

I. *Judicium universale fiet in valle Josaphat.*

IN quo loco fiet Judicium universale?

I. R. Verisimiliter instituetur in valle Josaphat, quæ sita est ad orientem Jerosolymæ inter moenia & montem Oliveti, & à torrente Cedron interluitur: colligitur ex Joëlis cap. 3. v. 2. ubi dicitur: "Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi; & v. 12: Consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu;" quæ S. Hieronymus in hunc locum, & alii de ultimo Judicio intelligunt.

Convenit etiam, ut Christus circa Jerusalem, ubi injustè judicatus & condemnatus fuit, & circa mentem Oliveti, unde cœlos conscendit, ad judicandum veniat.

Obj. Vallis Josaphat non potest omnes judicandos comprehendere: ergo, &c.

R. Omnes judicandos non futuros intra terminos vallis, sed Christus Dominus sedebit supra vallem, judicandi autem etiam stabunt in locis circumjacentibus.

Sylvius putat, quòd soli reprobi in valle & locis vicinis sint constituendi; electi verò in aëre sublimes futuri sint cum Christo, qui tamen adhuc eminentiori loco præ illis erit elevatus. Cæterùm impii erunt à sinistris, & electi à dextris Christi.

Quidam putant, par vallem Josaphat non intelligi locum determinatum, sed simpliciter vallem Judicii Dei; quia vox Josaphat significat Judicium Dei.

N. 13. DE TEMPORE JUDICII UNIVERSALIS.

S. Thom. Suppl. quæst. 88. art. 3.

I. *Tempus Judicii universalis est ignotum.* II. *Quo sensu Christus dicat, se nescire diem illum.*

QUANDONAM judicium universale est futurum?

I. R. Tempus illud prorsus ignotum est, ut docet Christus Marc. cap. 13. v. 32. "De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater."

Quomodo hìc dicit Christus, se nescire tempus illud, cùm sit omniscius?

II. R. Christum tanquam legatum à Patre fuisse missum, cùmque illius diei occultandæ haberet commissionem, poterat dicere, se nescire; sicut Legatus dicit, se nescire secreta, quæ Rex vult occultari; dici etiam potest, Christum diem illum nescivisse vi humanitatis, licèt revera etiam ut homo illum sciverit aliunde.

Ex signis, quæ præcedent judicium cognosci quidem poterit, illud appropinquare; tempus tamen, quo illud futurum est, determinari non poterit.

N. 14. DE SIGNIS JUDICIUM UNIVERSALE
PRÆCEDENTIBUS.

S. Thom. Suppl. quæst. 73.

I. *Signa, quæ præcedent judicium.*

QUÆNAM signa Judicium universale præcedent ?

I. R. Certò sciri non potest, ait S. Thom. hìc art. 1. in Corp. quænam signa judicium universale præcedent, nam quæ leguntur Matth. cap. 24. litteraliter ad tempus destructionis Jerusalem referri possunt. Verisimiliora tamen etiam partim certa sunt sequentia :

1º. Prædicandum priùs est Evangelium per totum mundum, ut dicit Christus Matth. cap. 24. v. 14. ita quidem, ut etiam fides ubique fuerit recepta.

2º. Futura est quædam generalis apostasia, seu defectio à fide, dicente Apost. 2. ad Thess. cap. 2. v. 3. "Nisi venerit discessio primùm, &c."

3º. Revelabitur homo peccati, seu veniet Antichristus, ut dicitur ad Thess. cap. cit.

4º. Illo Christianos persequente, prædicabunt Henoch & Elias. Probatum ; quia de Henoch Eccles. cap. 44. v. 16. dicitur : "Henoch... translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam : " & Matth. cap. 17. v. 11. dicitur : "Elias venturus est, & restituet omnia," reducendo scilicet reliquias Judæorum ad fidem ; quæ conversio Judæorum etiam significatur ad Rom. cap. 11. v. 25 & 26. Vide etiam Malach. cap. 4.

5º. Sol, luna & stellæ obscurabuntur, & in terris erunt pressuræ gentium. Matth. c. 24.

6º. Mundus ardebit per ignem conflagrationis & renovabitur, juxta illud 2. Petri cap. 3. v. 7. "Cœli qui nunc sunt, & terra... sunt igni reservati : & v. 13. Novos verò Cœlos, & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus."

Ignis iste omnia, quæ in terris sunt, in cineres rediget, & tanquam instrumentum justitiæ Divinæ, instar ignis purgatorii, justos à debito pœnæ, si quid habeant, purgabit. Ita S. Thom. quæst. 74. art. 8. conformiter ad illud 1. ad Cor. cap. 3. v. 13. "Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit."

7º. Christus Dominus, præeunte eum signo Crucis,

veniet in clangore tubæ, statimque mortui resurgent, & Angeli bonos à malis separabunt. His peractis fiet iudicium universale de quo supra Num. 10.

N. 15. DE ANTICHRISTO.

I. *Antichristus erit homo particularis.* II. *Excitabit persecutionem.* III. *Quæ durabit per tres annos & semi.* IV. *Calumniæ hæreticorum.* V. *Hæretici sunt similes Antichristo.*

QUISNAM hîc intelligitur per Antichristum ?

I. R. Homo quidam particularis pessimus, qui in novissimis diebus exurget, dicens, se esse Messiam, & exhibens se tanquam Deum. - Vide 2. ad Thess. cap. 2. v. 4.

Quoad ejus ortum & patriam nihil certi habetur, nisi quòd Damascenus eum ex fornicatione nasciturum tradat, & veteres ex tribu Dan oriturum velint, eò quòd Apoc. cap. 7. tribus Dan cum salvandis non numeretur.

II. Excitabit terribilem adversùs Ecclesiam persecutionem, multaque prodigia & signa mendacia faciet, ut dicitur 2. ad Thessal. cap. 2. v. 9. ad confirmandam falsam doctrinam.

III. Persecutio ejus durabit, ut putatur, per tres annos cum dimidio, juxta illud Dan. cap. 7. v. 25. "Tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora & dimidium temporis."

Tandem eum "Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui," ad Thess. cap. 2. v. 8.

IV Ex dictis patet, quàm insulsa sit hæreticorum nostri temporis calumniæ, qui Pontificem Romanum non verentur dicere esse Antichristum.

Patet quoque, errasse illos, qui Neronem vel Mahometem putaverunt fuisse Antichristum; quia hic tantùm veniet in fine mundi.

Obj. Epis. 1. Joan. cap. 2. v. 18. dicitur: "Audistis, quia Antichristus venit:" ergo non veniet in fine mundi.

R. Ponitur *venit* in præsentî pro *veniet* propter certitudinem eventûs.

Inst. Immediatè post verba citata habetur: "Et nunc Antichristi multi facti sunt:" ergo &c.

V. R. Per Antichristos multos intelligit Joannes hæreticos ob eorum cum Antichristo similitudinem; “Antichristus” enim significat “Christo contrarium.”

N. 16. DE INFERNO.

S. Thom. suppl. quæst. 97.

I. *Probatur infernum existere.* II. *Est locus subterraneus.* III. *Duplex pœna, damni nempe & sensûs.* IV. *Pœna damni est major.* V. *Inæqualis est pœna damnatorum.*

I. INFERNUM seu locum tormentorum, in quo damnati puniuntur, existere, Fides docet. Constat ex variis Scripturæ locis, putà ex Matth. cap. 22. v. 13. cap. 25. v. 41. & Luc. cap. 16. ver. 22. ubi dicitur: “Mortuus est dives, & sepultus est in inferno, &c.”

II. Locum inferni esse subterraneum, habet Ecclesiæ traditio contra Calvinum; & probari etiam potest ex modo loquendi Scripturæ Sacræ: sic Luc. cap. 8. v. 31. dæmones Christum rogant, ne illis imperet, ut in abyssum irent. Wiggers id vult esse de fide, sed Sylvius negat, quamvis certò sit temerarium contrarium asserere.

Quotuplex est pœna inferni?

R. Duplex, damni nempe & sensûs.

III. Pœna damni est privatio visionis Dei in vindictam peccati cum perpetui Dei inimicitia & summa tristitia.

Pœna sensûs est, quæ sensibus percipitur ab igne & aliis tormentorum generibus.

Utra pœna est major, damni an sensûs?

IV. R. cum S. Chrysost. incomparabiliter major est pœna damni; quia opponitur majori & altiori bono. In hac pœna damni consistit essentialiter damnatio.

Obj. Pœna damni non videtur esse tantæ considerationis; quia nos in terra viventes etiam privamur visione Dei: atqui tamen inde gravem pœnam non patimur: ergo, &c.

R. Disparitas est, quòd non visio respectu nostri sit pura negatio; illa enim visio non est nobis, quamdiu hìc degimus, inesse debita nec possibilis: sed visio

illa est debita inesse mortuis & in termino constitutis; unde non visio in damnatis est propriè dicta privatio & pœna, ob eorum culpam inflictæ, & ideo est eis summè dolorosa, prout bonum, quo privantur, summum est: rem elucidat Daelman exemplo Principis suâ culpâ regno privati. Vide illum “Tractatu de Angelis observ. 10.”

An omnium damnatorum æqualis est pœna?

V. R. Negativè; sed unusquisque pœnam luet pro mensura demeritorum, juxta id Apoc. cap. 18. v. 7. “Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.”

Obj. Saltem pœna damni videtur æqualis in omnibus: probatur; quia est privatio totalis visionis Dei, quæ consequenter non suscipit majus vel minus.

R. Distinguo antec. probationis: privatio non recipit majus vel minus ratione suî, concedo antec.: non recipit majus vel minus ratione causæ vel effectûs, nego antec.: dicitur itaque, quòd, quò major erit causa, seu quò majora erunt alicujus peccata; eò major futura sit inimicitia & indignatio Dei à conspectu suo damnatum rejicientis, & eò major damnati afflictio, ita disponente Divinâ Justitiâ & Potentiâ; nam pœna damni est privatio visionis Dei cum respectu ad peccata & ad Deum iratum punientem.

N. 17. DE IGNE INFERNI.

S. Thom. suppl. quæst. 97. art. 5. 6 & 7.

I. Ignis inferni est materialis. II. Ab igne illo patientur etiam dæmones & animæ separatæ. III. Dæmones in terra habet eandem pœnam ignis.

AN in inferno est ignis verus & materialis?

R. Negat Calvinus dicens, infernum nihil aliud esse quàm conscientiæ terrores & anxietates.

I. Verùm communis Catholicorum est sententia, in inferno esse verum ignem corporeum seu materiale, igni nostro similem, vel ejusdem cum illo substantiæ, differentem tamen ab eo penes quædam accidentia; est enim igne nostro acrior, penetrans interiora, non lucens sed obscurus, nec indigens fomentis lignorum

vel alterius materiæ, sed in seipso conclusus & subsistens, sicut sol.

De igne illo dicit S. August. scribens in Psalmum 37. quòd sit gravior, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.

Communis hæc sententia probatur ex eo, quòd Sacra Scriptura constanter asserat, esse ignem in inferno: sic Matth. cap. 13. v. 42. "Mittet eos in caminum ignis." Matth. cap. 25. v. 41. "Discedite à me, maledicti, in ignem æternum;" & Apoc. cap. 21. v. 8. dicitur: "Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure:" Idemque in pluribus aliis locis dicitur; quæ omnia non metaphoricè, sed propriè sunt intelligenda; cum nihil cogat in contrarium.

Obj. I. Ex textibus allegatis tantùm sequitur, quòd corpora damnatorum patiantur ab igne, non vero dæmones & animæ separatæ.

R. Nego antec. quia in loco Matthæi allegato immediatè subjungitur: "Qui paratus est diabolo & angelis ejus;" item Apoc. cap. 20. v. 9. dicitur: "Diabolus... missus est in stagnum ignis & sulphuris."

Obj. II. Ignis non potest agere in spiritus, utpote materialis: ergo, &c.

R. Dist. antec. ignis non potest agere in spiritus, spectatâ solâ suâ naturâ, concedo antec. prout est instrumentum potentiæ divinæ, nego antec. certè corpus nostrum agit in animam, hæcque ab illo patitur: quidni ergo Deus efficere possit, ut ignis immediatè agat in spiritum, sicut corpus nostrum immediatè agat in animam.

II. Itaque dicendum, & dæmones, & animas immediatè ab igne passuros, & non tantùm mediante corpore: modus autem, quo id fiet, à variis variè explicatur: S. August. lib. 21. *de civit. Dei* cap. 10. id futurum dicit "miris, veris tamen modis."

An dæmones patiuntur ab igne infernali, quando sunt extra infernum hìc in terris?

III. R. S. Thom. variis in locis docet, dæmones, ubicumque sint, secum portare gehennam; non quasi ignem secum deferant, sed quia illam pœnam sibi deberi sciunt, seseque illi in perpetuum esse alligatos; sicuti Angelorum gloria, cùm de cœlo ad nos veniunt, non minuitur; quia considerant, illum locum esse suum. Sylvius putat, quòd ignis in inferno existens possit,

tanquam instrumentum divinæ virtutis, quæ loco non est alligata, torquere dæmones in aëre existentes. Fortè etiam dici potest, quòd dæmones secum ignem circumferant, quem Deus reddit nobis imperceptibilem, suspendendo ejus in nos operationem.

N. 18. DE INFERNI VERMIBUS, TENEBRIS, &c.

S. Thom. suppl. quæst. 97.

I. *Vermis improprie intelligitur.* II. *In inferno erunt tenebræ corporales.* III. *Erit etiam fletus corporalis,* IV. *Et stridor dentium.* V. *Imò omne genus pœnarum.*

AN in inferno erunt vermes, cum dicatur Isaïæ cap. 66. v. 24. & Marci cap. 9. v. 43. "Ubi vermis eorum non moritur?"

R. S. Basilius in Psalm. 35. admittit in inferno veros quosdam vermes & serpentes proprie dictos, corpora damnatorum indesinenter & inexplicabiliter rodentes, non tamen consumentes.

I. S. Thom. art. 2. intelligit vermes illos metaphoricè scilicet pro remorsu conscientiæ, qui ideo dictus est vermis, quòd ex putredine peccati ortus animam cruciat; uti vermis corporalis hominem cruciat arrodendo.

Rationem textos illos metaphoricè intelligendi adfert hanc, quòd post diem judicii in mundo innovato non sit remansurum aliquod animal, vel aliud corpus mixtum, nisi hominis. Illa tamen ratio non militat contra ignem materiale, quem supra admisimus, & etiam admittit S. Thomas.

II. In inferno futuras tenebras, significatur Matth. cap. 8. v. 12. "Ejicientur in tenebras exteriores:" tenebras illas futuras corporeas, probat S. Thom. art. 4. ex situ inferni circa centrum terræ; ita ut simpliciter loquendo locus sit tenebrosus.

Interim tenebræ illæ non erunt omnimodæ, sed erit etiam aliquid luminis, sic ut damnati ad majorem miseriam & pœnam videant, non perspicuè, sed tantùm sub quadam umbrositate, horribilia, illa, quibus cruciantur.

III. In inferno quoque erit “fletus & stridor dentium,” uti dicitur apud Matth. loco mox cit.

Observat S. Thom. art. 3. in fletu corporali duo reperiri, nempe resolutionem lacrymarum, & capitis ac oculorum commotionem quamdam; dicitque, fletum corporalem non posse esse in damnatis, quantum ad prius, seu lacrymarum resolutionem; quia hoc spectat ad statum corruptibilem, futurum tamen quantum ad posterius. Itaque fletus, de quo apud Matth. rectè dicitur fletus vocis, seu ululatus.

IV. Stridor dentium erit etiam corporalis proveniens partim ex rabie iræ, quâ fremunt damnati in Deum; partim ex horrore & vehementia doloris, quem patientur, & fortè etiam ex intentissimo frigore, ad quod juxta S. Thom. & alios damnati ex maximo calore transibunt, juxta illud Job cap. 24. v. 19.: “Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.”

V. Denique secundùm mentem S. Thomæ art. 1. dici potest, in inferno futurum omne genus pœnarum secundùm diversa peccatorum genera, ut, qui in pluribus & diversis peccaverunt, multipliciter quoque & variè crucientur: imò fortè unus & idem ignis tanquam instrumentum Dei, habebit virtutem varios variè cruciandi, putà excitandi, in ebriosis sitim, in gulosis famem, pigros exagitandi, & alios calore, alios frigore atque aliis tormentorum generibus affligendi: generalitatem illam pœnarum indicare videtur Sacra Scriptura, dum pœnas infernales per tot diversa tormentorum genera exprimit.

N. 19. DE PÆNIS PARVULORUM IN SOLO PECCATO ORIGINALI DECEDENTIUM.

I. *Parvuli in solo peccato originali decedentes patiuntur pœnam damni.* II. *Conclusio practica.*

AN parvuli in solo peccato originali morientes patiuntur pœnam damni?

I. R. Fide id certum est juxta Bellarminum, Wiggers, &c. patet ex Joan. c. 3. v. 5. “nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.” Deinde omne peccatum mortale ex-

cludit à Regno Cœlorum : atqui originale est mortale : ergo, &c.

Hinc omnino improbabilis est sententia Catharini & aliorum quorundam, qui parvulis sinè Baptismo decedentibus quamdam beatudinem naturalem tribuunt, vel tales parvulos immunes fore ab omni dolore & afflictione volunt ; nam scient, se in æternum privari visione Dei ob peccatum suum, ex quo naturaliter dolor & tristitia exoritur. Has sententias etiam refutavit S. Aug. lib. 1. de Anima cap. 9. ubi pro parvulis illis locum medium inter damnationem & Regnum Cœlorum admitti posse negat. Vide Sylvium.

Acris est controversia, an parvuli in solo peccato originali morientes patiantur etiam pœnam sensûs ?

R. Aperta est sententia Divi Thomæ 3. part. quæst. 1. art. 4. ad 2: Parvulos in solo peccato originali morientes non pati pœnam sensûs ; eò quòd juxta ipsum pœna illa tantùm debeat peccato personali. Hanc sententiam plures Scholastici amplectuntur.

Sylvius 1. 2. quæst. 85. art. 6. & alii sententiæ oppositæ adhærent, quam probant ex eo, quòd Matth. cap. 25. tantùm statuuntur duo ordines judicandorum, unus à dextris, alter à sinistris ; jam autem parvuli illi certò non erunt à dextris Christi : ergo à sinistris, quibus generaliter dicitur : “ Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.” Similiter Apocal. cap. 20. v. 15. “ Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.”

Probant etiam ex S. August. qui serm. 14. de Verbis Apostol. cap. 3. ex generali sententia Matth. c. 25. dicit : “ Alii erunt ad dextram, alii ad sinistram : non novi aliud : qui inducis medium, recede de medio : ” & cap. 4. “ Quando confiteris, parvulum non futurum in Regno, fateris futurum in igne æterno.” Vide latiùs Sylvium loco cit.

Plura etiam argumenta problematicè proposita reperies apud Estium in 2. dist. 33. part. 8. & apud Wiggers 1. 2. quæst. 85. art. 6.

II. Ex hac sententiarum diversitate hoc pro praxi concludit Wiggers, quòd posterior ad terrorem proponi possit parentibus, ne aut fœtus præmaturè extinguatur, aut cum in lucem editus est, Baptismus negligatur : prior verò ad temperandum dolorem parentum, qui nimiùm de morte parvuli citra ipsorum culpam non

baptizati affliguntur; his enim dici potest ad solamen, non esse certum, quòd pœnam ignis patiantur, sed certum esse, ipsorum pœnas futuras omnium levissimas.

N. 20. DE ÆTERNITATE PœNARUM INFERNI.

S. Thom. Suppl. quæst. 99.

I. *Pœnæ damnatorum sunt æternæ.* II. *Æquitas æternitatis pœnarum ostenditur.* III. *Pœnæ illæ sunt tantùm duratione infinite.*

AN pœnæ damnatorum durabunt in æternum?

I. R. Affirmativè: est de fide: ita constat ex Matth. c. 25. v. 41 & 46. ex 2. ad Thess. cap. 1. v. 9. "Pœnas dabunt in interitu æternas," & Apocal. cap. 20. v. 10. "Cruciabuntur... in sæcula sæculorum."

2º. Scriptura Sacra eodem modo loquitur de pœna impiorum ac de gloria justorum: atqui hæc erit æterna: ergo & pœna impiorum.

Obj. I. Psalm. 76. v. 8. dicitur, "Numquid in æternum projiciet Deus?" & Psalm 102. v. 9. "Non in perpetuum irascetur:" ergo Deus non punit in æternum.

R. Neg. consèq. quia uterque textus agit de pœnis & afflictionibus populi Dei, quas Psalmista negat fore perpetuas, populo pœnitentiam agente.

Obj. II. Non videtur servari justitia, si pro peccato momentaneo infligatur pœna æterna: probatur anteced. quia justitia exigit, ut pœna proportionetur culpæ: atqui hìc nulla videtur esse proportio: ergo, &c.

R. S. Thom. art. 1. ad 1. distinguit assumptum probationis: ut servetur justitia, debet pœna proportionari culpæ secundùm quantitatem durationis; sive debet duratio pœnæ correspondere durationi culpæ: nego assumptum; debet proportionari culpæ secundùm demeritum: conc. assumpt. jam autem demeritum cujusvis peccati mortalis tantum est, ut mereatur pœnam æternam: imò nullum tribunal est, quod pœnæ diuturnitatem ex peccati mora metiatur, ut notat S. Thom. eodem loco: sic v. g. pro homicidio momentaneo non infligitur pœna momentanea.

Æquitatem illius durationis desumit S. Thom. ibidem in Corp. ex sequentibus :

II. 1°. Quia peccatum mortale infinitam certò sensu habet malitiam, inquantùm Deus infinitè bonus per illud contemnitur & vilipenditur, ideoque meretur puniri pœnâ saltem duratione æternâ.

2°. Quia culpa manet in æternum, cùm non possit remitti sinè gratia, quæ post mortem non datur.

3°. Quia peccans mortaliter habet voluntatem interpretativam in perpetuum manendi in illo peccato, inquantùm se ponit in statu, ex quo, nisi divinitus adjutus, exire non possit ; adde inquantùm creaturam, ex cujus amore peccat, præfert Deo.

4°. Quia similiter qui in Principem vel in Rempubli-
cam peccant, aliquando in perpetuum, quantùm est de se, puniuntur : sic v. g. per mortem in sempiternum auferuntur, ait S. Aug. de Societate Viventium : idem est de pœna exilii : si enim exul in perpetuum viveret, in perpetuum etiam exul foret. Vide hæc latiùs apud S. Thom. loc. cit.

An ergo pœna æterna debet dici infinita ?

III. R. Non potest dici infinita intensivè ; quia non datur infinitum actu præter Deum : debet tamen dici infinita duratione, seu extensivè.

Obj. Si pœna damnatorum sit infinita duratione, omnia peccata mortalia punientur æqualiter.

R. Neg. antec. quia licèt in inferno pœnæ sint æquales duratione, sunt tamen inæquales intensione : jam autem gravitati peccati, ut docet S. Thom. respondet pœna secundùm intensionem.

Quomodo cum æternitate pœnarum consistit, quòd quidam ex inferno legantur liberati : sic Trajanus Imperator precibus S. Gregorii, Falconilla precibus S. Theclæ, Dinocras precibus S. Perpetuæ, &c. similiter multi pueri sinè Baptismo mortui leguntur resuscitati, ut baptizarentur ?

R. Suppositâ veritate historiæ Trajani (idem applica aliis) dicendum, eum non fuisse sententiâ definitivâ damnatum, sed solùm secundùm præsentia demerita punitum in inferno ; suspensam verò fuisse ob prævisas S. Gregorii preces definitivam sententiam, ob quas transierit de inferno ad Cœlum, non immediatè, sed mediante resurrectione, pœnitentiâ & Baptismo. Ita Sylvius Suppl. quæst. 71. art. 5.

Idem dicendum est de pueris miraculosè ad vitam revocatis; nempe eorum sententiam damnationis fuisse extraordinariè suspensam: vide Estium in 4, dist. 46.

Interim Trajani & aliorum suprà objectas historias eruditi jam dudum ad fabulas ablegârunt.

Si SS. Patres legantur pro aliquibus orasse, qui in peccatis vixerunt, piè supposuerunt, eos in fine vitæ pœnituisse.

N. 21. AN PŒNA INFERNI ALIQUANDO DIMINUATUR AUT INTERRUMPATUR?

- I. *Pœna inferni non minuetur aut interrumpetur.* II. *Quid de pœna peccati venialis respectu damnatorum.* III. *Juxta S. Thom. damnati puniuntur infra condignum.*

I. RESP. Pœna damni & ignis debita peccatis mortalibus non remissis non diminuetur aut interrumpetur: Pœnæ verò accidentales, ut vexationes dæmonum, exprobationes aliorum, &c. diminutionem & vicissitudinem quamdam habere possunt. Ita S. Thom. quæst. 71. art. 5. in Corp.

An pœna debita peccatis venialibus damnati aliquando finietur?

II. R. S. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 5 ad 3. & Suppl. q. 69. a. 7. ad 6. resolvit negativè: quia illa culpa venialis, in qua damnatus mortuus est, nunquam remittitur ob conditionem statûs illius, in quo nulla fit remissio.

Scotus & alii existimant, pœnam illius peccati venialis aliquando finiendam; quia illi peccato tantùm debetur pœna temporalis, non æterna.

Sylvius contra Estium probabiliùs tenet, pœnam temporalem ex peccatis remissis restantem, positâ satisfactione, finiri in damnatis.

An damnati puniuntur infra condignum?

III. R. Secundùm multos Deus punit peccata infra condignum, sicut remunerat bona opera ultra condignum: & hujus sententiæ est S. Thom. 1. part. quæst. 21. art. 4. ad 1. & Suppl. quæst. 99. art. 2. ad 1.

Probat: quia Psalm 24. v. 10. dicitur: "Universæ viæ Domini misericordia;" & Psalm 144. v. 9; "Mise-

rationes ejus super omnia opera ejus ;” item Jacobi cap. 2. v. 13. : “ Superexaltat misericordia judicium.”

Estius, Sylvius & alii docent, damnatos non puniri infra condignum, sed secundùm rigidam justitiam ; quia loco Jacobi citato dicitur : “ Judicium sinè misericordia illi, qui non fecit misericordiam.”

Alii ob textum allegatum putant, solos immisericordes puniendos secundùm rigorem justitiæ, eò quòd directè misericordiam excludant.

N. 22. DE INTELLECTU ET VOLUNTATE DAMNATORUM.

S. Thom. Suppl. quæst. 98.

I. *Damnati habebunt aliquorum notitiam.* II. *Quomodo de Deo cogitent.* III. *Quomodo cognoscant gloriam Beatorum.* IV. *Dæmones in omni actu peccant mortaliter.* V. *Similiter omnes damnati.* VI. *Nec hos nec illos verè unquam pœnitebit peccati.* VII. *Damnati non amplius demerentur.*

AN & qualem cognitionem habent damnati ?

I. R. Juxta S. Thom. art. 7. habent cognitionem naturalem ; quia sciunt ea, quæ hìc in terris sciverunt ; “ Considerabunt enim & mala, quæ gesserunt, ex quibus damnati sunt, & bona delectabilia, quæ amiserunt : & ex utroque torquebuntur :” item cognoscent ea, quæ hìc in terris agi eis dæmones manifestant, & quæ Deus in Judicio particulari vel alia speciali operatione ipsis manifestat.

Uno ex prædictis modis cognovit dives Epulo, de quo Luc. cap. 16. quòd fratres sui malè viverent. Quæ autem de isto Epulone Lucas commemorat, veram esse historiam, & non meram parabolam, Ambrosius, Augustinus & Gregorius existimant ; atque ex nomine proprio Lazari colligi videtur.

An damnati aliquando de Deo cogitabunt ?

II. R. Cum S. Thom. art. 8. non cogitabunt de Deo, prout est in se, sed tantùm illum considerabunt ut puniorem ; & ex eo prava eorum voluntas & odium Dei.

An damnati cognoscunt gloriam Beatorum ?

III. R. Cum S. Thom. art. 9. ante ultimum iudicium sciunt in confuso, eos esse in gloria quadam inæstimabili: in extremo autem iudicio videbunt gloriam corporum Beatorum, & post diem iudicii omnino Beatorum visione privabuntur; gloriæ tamen Beatorum memoriam retinebunt, dolentes tum præ invidia de felicitate Beatorum, tum ex eo, quòd ipsi talem gloriam amiserint.

Ex dictis collige cum S. Thom. quòd omnis damnatorum cognitio sit eis materia tristitiæ.

An omnis damnatorum voluntas est mala?

IV. R. Quantùm ad dæmones aperta est sententia S. Th. 1. 2. quæst. 89. art. 4. in Corp. quòd peccent mortaliter in omnibus, quæ propriâ voluntate agunt; quia omnia illa agunt ex fine superbiæ.

VI. Quantùm ad homines damnatos docet S. Th. Suppl. quæst. 98. art. 1. quòd omnis eorum voluntas deliberativa sit mala; quia sunt obstinati in malo, cùm sint in termino, in quo quiescunt: unde, etsi aliquod bonum velint, non tamen illud bene volunt, sed ex fine perverso.

VI. Artic. 2. docet, quòd nunquam eos pœniteat peccati, inquantùm est peccatum, sed tantùm illud odio habeant ratione pœnæ adjunctæ; ita ut voluntas malitiæ peccati in eis remaneat; unde dum dicitur Sap. cap. 5. v. 3. de impiis in iudicio: "Pœnitentiam agentes," &c. intelligi debet, quòd affligendi sint de pœna, quam pro peccatis sustinent.

Damnati non tantùm odio habebunt Deum ut auctorem pœnarum, ut docet S. Thom. art. 5. sed etiam juxta ipsum 2. 2. q. 13. a. 4. quidam Deum blasphemabunt, non tamen omnes: parvuli certò Deum non blasphemabunt, ut constat ex condemnatione propositionis 49. inter Bajanas: "Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sinè regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet:" imò putat Sylvius 1. 2. quæst. 85. art. 6. & quæsito 2. ad 10. istorum parvulorum actiones fore moraliter bonas.

VII. Finaliter nota, quòd, sicut Beati in termino constituti non merentur per bona opera, nec propter ea crescit eorum gloria essentialis, ita damnati per peccata sua non demereantur, nec propter ea creseat eorum pœna principalis: ratio est quòd utrique, tam

damnati quàm Beati, sint extra statum viæ, & pervenerint ad ultimum suum respective terminum præmii vel pœnarum, meriti & demeriti jam omnino incapaces.

Ipsa tamen damnatorum voluntas, & peccata ex eâ commissa sunt damnatis pœna & supplicium, sicut bona voluntas in Beatis est præmium. Ita S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 4. ad 2. & Suppl. quæst. 98. art. 6.

N. 23. DE CÆLO.

I. *Cœlum* II. *Est supra terram elevatum.* III. *Beati, dum sunt extra cœlum, gaudent eâdem beatudine.* IV. *Quid de apparationibus animarum.*

QUID est Cœlum?

I. R. Est locus, ubi Deus gloriam suam & Semetipsum clarè & intuitivè conspiciendum exhibet, & in quo Beati perfectâ fruuntur felicitate. Locum hunc seu Cœlum dari, fides docet.

Ubinam est Cœlum?

II. R. Scriptura Sacra diversis locis significat esse supra terram elevatum, ut dum dicit, quòd Christus ascenderit ad Cœlos, quòd debeamus, quæ sursùm sunt, sapere, &c. Christus Dominus iturus ad Cœlos dicitur elevatus, assumptus, susceptus à nube, &c.

Theologi communiter post sanctum Thom. I. part. quæst. 66. art. 3. dicunt: Cœlum esse illud spatium, quod à Philosophis quibusdam vocatur empyreum, id est, ignitum, non ab ardore, sed à splendore; & est supremum omnium Cœlorum. In hac sententia optimè verificatur, quod de Christo dicit Apost. ad Ephes. cap. 4. v. 10. "Qui ascendit super omnes Cœlos."

An Angeli Custodes ac Animæ Beatæ, dum extra Cœlum degunt hîc in terris, perfruuntur eâdem gloriâ cœlesti?

III. Affirmativè; ita ut per hoc eorum gloria nullatenus minuat, nec quantùm ad præmium essentielle, quod consistit in visione intuitiva Dei, nec quantùm ad accidentale; imò id quodammodo in eorum gloriam cedit, ut docet S. Th. Suppl. quæst. 70. art. 3. ad 8. ratio est, quòd ubique Deum clarè videant, & cœlum suum esse semper considerent.

Quid dicendum de apparitionibus animarum seu spirituum?

IV. R. Animas separatas, sive beatas, sive damnatas, sive in purgatorio detentas secundum dispositionem divinæ providentiæ hominibus quandoque apparere, admittit S. Th. Suppl. quæst. 69. art. 3.

Apparitiones tamen illæ non adeo frequentes sunt, quàm vulgò creditur; sunt enim miraculosæ: Deus autem miracula non facit nisi ex magnis causis, quæ ejus gloriam & Ecclesiæ utilitatem respiciunt.

Deinde, ut notat S. Thom. art. cit. ad ult. apparitiones illæ sæpe non sunt veræ & reales, sed repræsentatæ tantum in phantasia, vel aliter, sive operatione dæmonis ad deceptionem, sive operatione Angeli boni ad instructionem.

N. 24. DE LOCIS, SEU RECEPTACULIS ANIMARUM.

S. Thom. Suppl. q. 69.

I. *Tria nunc sunt receptacula animarum.* II. *Infernus,* III. *Purgatorium,* IV. & *Cælum.* V. *Ante Ascensionem Christi erant etiam tria receptacula.* VI. *Limbus Patrum* VII. *Vocatur sinus Abrahæ...* VIII. *Paradisus* IX. *Situs est sub terra.* X. *Post judicium universale tantum duo erunt receptacula.*

QUOT & quæ sunt loca, ad quæ animæ morientium mox deducuntur?

I. R. Sub novo Testamento post ascensionem Domini sunt tria talia loca, scilicet Cælum, infernus & purgatorium.

II. Animæ morientium in statu peccati mortalis mox in infernum detruduntur. Ita S. Th. hîc art. 2. & definitum est in Conc. Flor. probarique potest ex Luc. cap. 16. v. 22. ubi de divite Epulone dicitur: "Mortuus est... & sepultus est in inferno."

III. Ad purgatorium deferuntur animæ justorum obnoxiiæ pœnis temporalibus. De hoc Num. seq.

IV. Animæ justorum morientium immunes ab omni reatu pœnæ, aut plenè in purgatorio purgatæ mox in

Cœlum feruntur ad intuitivam Dei visionem ; quia eis debetur gloria, & ab eadem nihil eos impedit, cùm Christus morte suâ Cœlum reseraverit. Ita S. Thom. art. 2. & definitum est in Conc. Flor. contra Græcos aliquos, licèt alii Græci nobiscum sentiant. Hinc Ecclesia Sanctos colit tanquam cum Christo regnantes, ut dicit Conc. Trid. sess. 25. de invocatione Sanctorum, & diem mortis eorum vocat natalem, nempe quia post mortem translati sunt ad vitam novam, scilicet æternam.

Solidè etiam hoc fidei dogma probatur ex Scriptura Sacra : sic ad Philipp. cap. 1. v. 23. dicit Apost. "Cupio dissolvi, & esse cum Christo:" ad Eph. cap. 4. v. 8. Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem." Sanctos nempe, qui in limbo erant, secum in Cœlum adduxit : ad Heb. cap. 9. v. 8. via Sanctorum propalata dicitur : & tandem Apoc. c. 6. v. 11. animabus Martyrum dantur singulis stolæ albæ, per quas gloria animæ intelligitur.

Obj. Joannes XXII. Pontifex definivit, animas etiam plenè purgatas, ante ultimum iudicium non frui visione beatificâ : ergo, &c.

R. Neg. antec. nunquam enim id definivit, sed tantùm ut Doctor privatus de eo disputavit. Imò ipse Joannes canonizavit S. Thomam Aquinatem, & in Bulla Canonizationis asserit, ejus animam Cœlum possidere, & in Cœlestibus agminibus positam Deum glorificare.

Benedictus XII. ejus immediatus Successor etiam declaravit, Joannem XXII. id nunquam definivisse. Vide Daelman oratione 1. ad calcem tom. 2.

V. Ante Ascensionem Christi Domini erant etiam tria animarum receptacula, scilicet limbus, infernus & purgatorium ; et tunc animæ justorum, licèt plenè purgatæ, non recipiebantur in Cœlum, nec ad intuitivam Dei visionem, sed deducebantur in limbum : hinc Cœlum adhuc clausum dicebatur, sive ut loquitur Apost. ad Hebr. c. 9. v. 8. "Nondum propalata erat Sanctorum via."

VI. Erat autem limbus locis quietis, refrigerii & consolationis, in quo expectabant Adventum Christi : & dicitur, communiter limbus Patrum à Patribus & Patriarchis, qui in eo erant.

VII. Lucæ cap. 16. v. 22 & 23. vocatur sinus Abrahæ, in quem anima mendici Lazari legitur ab Angelis deportata ; sinus a reque, quæ ibi habebatur ; Abrahæ

verò, quia ad sinum illum non poterat perveniri nisi merito fidei; Abraham autem est Pater credentium.

VII. Lucæ cap. 23. v. 43. dicitur Paradisus à Christo in Cruce dicente bono Latroni: "Hodie mecum eris in Paradiso," id est, in loco voluptatis & amœnitatis, qualis tunc fuit limbus propter præsentiam Christi & manifestationem Divinitatis ejus, ut interpretantur Maldonatus Jansenius, &c.

Vocatur etiam aliquando in Scriptura Sacra infernus, ut Psalm. 15. v. 10. "Non derelinques animam meam in inferno."

Ubinam situs fuit limbus Patrum?

VIII. R. Fuit sub terra, ut constat ex a. 5. Symb. Apost. ubi Christus dicitur descendisse ad infernos; & ad Ephes. cap. 4. v. 9. "Descendit... in inferiores partes terræ."

Juxta S. Thom. hîc art. 5. limbus Patrum & infernus quantum ad locorum qualitatem sunt diversi, sed quantum ad situm, probabile est, quòd sint quasi idem locus continuus, sic tamen, ut magnum intervallum mediet: unde Luc. c. 16. v. 26. dicitur magnum chaos seu hiatum fuisse intermedium; limbus enim erat inferno superior, ut colligitur ex eo, quòd dives Epulo ibi v. 23. legatur vidisse Abraham "elevans oculos."

Docent multi, quòd inter limbum & infernum mediârit purgatorium; hocque conforme est menti S. Th. hîc art. 5. & q. 100. art. 2.

IX. Post judicium universale duo tantum erunt receptacula animarum. Cœlum nempe pro Beatis, & infernus pro damnatis.

Verum S. Thom. conformiter ad suam sententiam, quòd parvuli in solo peccato originali morientes non patiuntur pœnam sensûs, ponit pro eis particularem & distinctum limbum, inferiorem limbo Patrum, partem tamen inferni: vide hîc art. 6. & 7.

N. 25. DE PURGATORIO.

S. Thom. suppl. quæst. 69. 71 & 100.

I. *Definitio Purgatorii.*

QUID est Purgatorium?

I. R. Est locus, in quo animæ justorum defunctorum obnoxie pœnis temporalibus satispatiuntur.

Dicitur, "satispatiuntur;" quia cùm animæ ibi sint extra statum viæ, mereri ampliùs non possunt, nec propriè satisfacere pro pœna debita, sed satisfaciunt tantùm in pœna, sed luunt pœnam taxatam, ita ut se ipsos juvare & liberare à pœna nequeant nisi satispatiando.

Quid credere debemus de Purgatorio?

R. Conc. Trid. Sess. 25. initio decreti de Purgatorio duo credenda definivit, scilicet Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari. Hanc fidem etiam professi sunt Græci in concilio Flor.

Circa reliquas de Purgatorio quæstiones nihil definitum.

N. 26. DE EXISTENTIA PURGATORII.

S. Thom. Suppl. quæst. 100. art. 1.

I. *Existentia Purgatorii.* II. *Probatur ex Veteri Testamento,* III. *Ex Evangelio Matthæi.* IV. *Ex Apostolo.* V. *Ex traditione.* VI. *A ratione.*

I. VARIÏ Hæretici circa Purgatorium errârunt, & referuntur à Bellarmino lib. 1. de Purgatorio cap. 2. præcipui sunt Waldenses, Lutherus & Calvinus.

Proba contra hæreticos Purgatorium.

II. R. Probatur 1º. ex lib. 2. Mach. cap. 12. ubi Judas Sacerdos & Princeps curavit offerri Sacrificium pro peccatis seu peccatorum pœnis illorum, qui in bello ceciderant, "& cum pietate dormitionem acceperant." Ex quo concludit Scriptura v. ult. "Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur."

Hæretici quidem hoc argumentum conantur eludere dicendo, librum illum non esse canonicum, eo quòd relatus non sit in Canonem Judæorum: verùm licèt Judæi libros Machabæorum non recipiant pro canonicis, ut tales tamen recepti sunt ab Ecclesia, non tantùm in Conc. Flor. & Trid. sed etiam ab antiquissimis Patribus & Conciliis, putà Innocentio I, Gelacio I, à Conc. Carthaginensi III, cui interfuit & subscripsit S. Augustinus, &c. quòd autem libri illi non reperiantur in Canone Judæorum, nihil probat; quia Canon ille tem-

pore Esdræ confectus est, antequam hi libri essent conscripti.

Deinde libri illi saltem apud hæreticos mereri debent fidem historicam, quæ etiam ethnicis & profanis scriptoribus tribuitur, ac proinde ex his admittere debent, quòd in Ecclesia Judæorum tot ante Christum annis jam in usu esset non solùm pro defunctis orare, sed etiam publico ritu pro illis Sacrificium offerre: praxis autem illa & traditio ab illo ad nostrum usque tempus continuata invictè probat, dari Purgatorium.

Sunt etiam alia quædam Veteris Testamenti loca, quibus Purgatorium insinuat; sic v. g. Eccles. cap. 7. v. 37. dicitur: "Mortuo non prohibeas gratiam;" & Tob. cap. 4. v. 18. "Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue."

III. 2º. Probatur ex Matth. cap. 12. v. 32. ubi Christus de peccato in Spiritum S. dicit: "Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro:" ad quæ verba dicit S. Aug. lib. 21. "de Civit. Dei" cap. 24.: "Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro."

IV. 3º. Probatur ex 1. ad Cor. cap. 3. ubi dicitur v. 12. "Si quis..... superædificat super fundamentum hoc..... ligna, fœnum, stipulam;" v. 13. "Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit;" v. 15. "Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem," id est, per pœnam ignis. Per lignum, fœnum & stipulam, peccata venialia denotantur: licèt autem textus directè videatur agere de igne conflagrationis, nihilominus ex eo rectè evincitur Purgatorium à paritate rationis; si enim tunc animæ justorum purgandæ sint à reatu pœnæ peccatorum venialium per illum ignem, pariformiter nunc animæ justorum simili reatui obnoxix per ignem purgari debent. Vide Estium in hunc locum.

V. Testimonia SS. Patrum, quibus hoc dogma statuitur, reperies apud Bellarminum & alios. S. August. librum integrum scripsit de cura pro mortuis, in quo docet, & Purgatorium esse, & animas ibi detentas fidelium suffragiis juvari: nec tantùm docuit, sed etiam respectu Matris suæ S. Monicæ defunctæ practicavit, uti ipse narrat lib. 9. Conf. cap. 13.

Præfatum dogma probari etiam potest sequentibus rationibus:

VI. Prima: remissâ culpâ, sæpe restant pœnæ temporales luendæ, ut constat ex N. 36. de Sacram. Pœnit. quibus non solutis, homo tali autem casu exigit justitia, ut illas luat post hanc vitam, ne aliàs pares sint, qui cum nullo, & qui cum magno debito pœnarum moriuntur.

Secunda: fieri potest, ut homo moriatur in peccato veniali: tali autem casu illud peccatum quidem remittetur quod culpam per actum charitas, quem elicit anima primo instanti separationis suæ à corpore, ut docet S. Thomas quæst. 7. "de malo" art. 11. verùm per illum actum charitatis non tolletur aut minuetur reatus pœnæ, & proinde pro eo satisfieri debet in Purgatorio: rationem dat S. Thom. loco cit. cùm post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis actus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.

1º. Objiciunt hæretici: Christus Dominus abundè satisfecit pro omnibus; ergo animabus justis nihil solvendum restat.

R. Christus quidem satisfecit pro omnibus quoad sufficientiam pretii oblati; sed non voluit Deus, ut semper omnibus satisfactiones & merita Christi applicentur sine ipsorum concurrentibus operibus & satisfactionibus: & hac ratione satisfactiones nostræ sæpe sunt necessariæ, ut nobis merita Christi applicentur.

Obj. II. Eccles. cap. 11. v. 3. dicitur: "Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, id est, semper manebit: ergo post hanc vitam sunt tantùm duo loca, Cœlum scilicet & infernus.

R. His verbis tantum significantur duo status, in quibus homines post mortem æternaliter manebunt, primus salutis, qui per austrum, alter damnationis, qui per aquilonem denotatur, quoad etiam nos asserimus; quotquot enim moriuntur in gratia, licet aliqui eorum ad Purgatorium transeant, omnes tamen pertinent ad statum salutis, ac in eo æternaliter manebunt: deinde sicuti verba objecta, quando conscripta sunt, non excludebant limbum Patrum, fatentibus sectariis, ita nec excluditur Purgatorium.

Obj. III. Sap. cap. 4. v. 7. dicitur: "Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit:" ergo non cruciabitur in Purgatorio.

R. Nego consequent. quia Sapiens loquitur de refrigerio seu quiete ab æstu damnationum & laborum hujus sæculi : itaque sicut olim Patres in limbo, ita nunc justi in Purgatorio dici possunt esse in refrigerio. Refrigerium tamen illud respectu animarum in Purgatorio plenum dici nequit propter cruciatus, quos patiuntur ; & hinc Ecclesia in Canone Missæ postulat eis locum refrigerii, perfecti scilicet per translationem ad gloriam.

N. 27. DE LOCO PURGATORII EJUSQUE PÆNIS.

S. Thom. quæst. 100. art. 3. 4 & 5.

I. *Locus Purgatorii sub terra.* II. *Duplex pœna Purgatorii.* III. *In Purgatorio est verus ignis.* IV. *Quanta sit pœna, incertum.* V. *Mitior est quàm pœna inferni.* VI. *Animæ non torquentur ab Angelis.*

UBINAM est Purgatorium ?

I. R. Ordinarius Purgatorii locus, qui propriè & communiter nomine Purgatorii intelligitur est sub terra, vicinus inferno : vide Num. 24.

Putat S. Thom. aliquando animas extraordinariè extra illum locum purgari : “ In diversis locis, inquit, aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum pœna innotescens per suffragia Ecclesiæ mitigaretur.” Et ita S. Gregor. lib. 4. Dialogorum cap. 40. refert exemplum de anima Paschasi in balneis purgata.

Quænam est pœna Purgatorii ?

II. R. Est duplex : una damni, altera sensûs, sed utraque temporalis.

Pœna damni non est nisi retardatio visionis beatificæ in pœnam peccatorum.

An in Purgatorio pœna sensûs causatur ab igne materiali ?

III. R. Constans & retinenda est Latinorum sententia, in Purgatorio esse ignem materiale similem igni infernali : hinc Ecclesia animabus fidelium non tantùm petit locum lucis & pacis, sed etiam refrigerii, utique contra ardorem ignis.

Hæc tamen sententia non est de fide, cùm Græci in Conc. Flor. sustinuerint, in Purgatorio non esse verum

ignem, sed tantùm esse locum laboribus & doloribus plenum, indeque causari pœnam sensûs, & tamen nec in Florent. nec in Trident. sunt condemnati.

Quanta est pœna Purgatorii?

IV. R. Docet S. Thom. quòd utraque pœna Purgatorii tam damni quàm sensûs, excedat omnem pœnam S. s. vitæ.

torii, Bonaventura & Bellarminus docent, maximam quidem Purgatorii pœnam graviolem esse maximâ hujus sæculi pœnâ, non tamen minimam Purgatorii pœnam majorem esse maximâ hujus vitæ.

Cæterùm, etsi res hæc incerta sit, certum tamen est, pœnam Purgatorii esse valde gravem & acerbam, ut patet tum ex sollicitudine Ecclesiæ hortantis nos ad opera satisfactoria & indulgentias lucrandas, tum quòd futurum sæculum sit sæculum retributionis & vindictæ, tum ex mente SS. Patrum: vide Sylvium quæst. 100. art. 3.

V. Mitior est Purgatorii pœna quàm inferni; multùm etiam alleviatur ex Dei amicitia & securitate adipiscendæ gloriæ, uti & per resignationem patientium in justissimam Dei voluntatem.

VI. Docet S. Thom. quæst. 100. art. 5. quòd animæ in Purgatorio non vexentur à dæmonibus; quia de illis triumphârunt: neque etiam ab Angelis bonis; quia illi cives suos non tam vehementer affligerent.

An omnes æquè graviter puniuntur in Purgatorio?

R. Negativè; sed pro ratione debiti major vel minor erit tam pœna damni quàm sensûs.

An pœna paulatim fiet remissior?

R. Incertum hoc est: partem affirmativam Bellarminus & Sylvius tuentur.

N. 28. DE DURATIONE PŒNARUM IN PURGATORIO.

S. Thom. Suppl. quæst. 100. art. 8.

I. *Duratio pœnarum Purgatorii incerta.* II. *In hac vita faciliùs satisfacimus.* III. *Non manent diutiùs in Purgatorio, quàm exigat debitum pœnæ.* IV. *Neque manent omnes æquè diu.*

QUANTO tempore animæ in Purgatorio manebunt?

I. R. Hoc nescitur: interim aliquas animas ibi per

multos annos detineri, habet sensus fidelium fundantium anniversaria diu vel etiam in perpetuum duratura : hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem : “ Annum legatum pro anima relictum non durat plus quàm per decem annos.”

S. Aug. lib. 9. Confessionum cap. 13. orat pro matre sua Monica ultra 30. annos mortuâ & rogat, ut, quotquot ista legerent, ejus meminerint ad Altare.

I. Epist. Petri cap. 3. v. 19 & 20. dicitur Christus prædicasse “ his, qui in carcere erant, Spiritibus... qui increduli fuerant aliquando... in diebus Noë cum fabricaretur Arca :” ex quo aliqui probabiliter colligunt, eorum animas, qui in diluvio pœnitentiam egerant, detentas fuisse in Purgatorii pœnis usque ad Christi desensum ad inferos : adeoque per bis mille & ampliùs annos.

Obj. I. Aliqui, qui fuerant magni peccatores, subito conversi passi sunt leve Martyrium, & sic sinè Purgatorio mox in Cœlum recepti sunt : ergo animæ non tamdiu torquebuntur acerbis illis Purgatorii pœnis, cùm levi Martyrio in hac vita expientur.

R. Nego consequ. quia Martyrium hoc habet ex privilegio : unde dicit S. Aug. “ Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.”

Obj. II. Hic in terris per leviores quasdam pœnas brevi tempore satisfacere possumus pro pœnis restantibus : ergo multo magis in Purgatorio, ubi pœnæ sunt gravissimæ.

II. R. Concedo antec. & nego consequentiam, bene igitur observandum, & populo sedulò inculcandum, quòd justus in hac vita per leviora quædam pœnitentiæ opera, vel mala patienter tolerata brevi tempore possit eluere reatum pœnarum, pro quibus diutissimè in Purgatorio pati deberet : ratio est, quòd tempus hujus vitæ sit tempus misericordiæ, tempus merendi & satisfaciendi per opera nostra : in altera autem vita est tempus justitiæ & vindictæ, quo pœnæ tolerantia tantùm habet rationem pensionis & solutionis debiti ; quia cessat status viæ & meriti.

An animæ in Purgatorio tam diu detinentur, donec hæredes restitutionem fecerint, vel legatum solverint ?

III. R. Negativè ; pœnæ enim duratio in judicio particulari decreta est proportionatè ad debitum pœnarum, in quo mortui sunt : potest tamen animabus resti-

tutio illa prodesse, inquantùm est opus bonum, & creditores excitat ad orandum pro animabus istis.

An animæ in Purgatorio puniuntur æquè diu ?

IV. R. Negativè: quia ut dicit S. Thom. quantò peccatum veniale est gravius, eò difficiliùs purgatur debitum pœnæ ei correspondens: similiter longior vel brevior est pœna, quò peccatum fuit majoris vel minoris adhærentiæ & radicationis in subjecto: & ita dicit S. Thom. art. 8. posse contingere, quòd aliquis diutiùs moretur in Purgatorio, qui minùs affligitur, & è conversò: quia juxta ipsum acerbitas pœnæ magis correspondet quantitati culpæ; pœnæ verò duratio adhærentiæ & radicationi culpæ in subjecto: deinde unus moritur non tantùm gravioribus sed etiam pluribus pœnis præ altero obnoxius: contingit etiam, quòd unus plùs altero vivorum suffragiis juvetur, sicque citiùs liberetur.

N. 29. DE STATU ANIMARUM IN PURGATORIO.

I. *Animæ in Purgatorio sunt certæ de sua salute, II. Et impeccabiles. III. Patientur pœnas tolerant, IV. Et exercent actus virtutum. V. Nihil tamen merentur.*

AN animæ in Purgatorio sunt certæ de sua salute ?

I. R. Sunt de ea certæ & omnino securæ propter revelationem, quæ ipsis fit in judicio particulari; tum etiam ex eo, quòd sciant, sese in gratia perseverasse, Christus autem Matth. cap. 10. v. 22. dicat: “ Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.”

II. Animæ in Purgatorio sunt etiam confirmatæ in gratia, ita ut eam amittere ampliùs nequeant, adeoque nec peccare, idque ex speciali protectione Dei.

Obj. Orat Ecclesia pro animabus in Purgatorio detentis: “ Ut liberentur de pœnis inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, &c.” ergo animæ illæ possunt adhuc damnari.

R. Nego conseq. quia, dum Ecclesia sic orat, considerantur & repræsentantur animæ ut exeuntes de corpore: hujusmodi repræsentationes sunt in Ecclesia usitatæ; sic in Adventu oramus: Rorate Cœli desuper, &c. repræsentando scilicet Mysterium olim factum, cujus fructum nobis petimus applicari.

Ut varia, quæ objici possent, solvantur, notandum est, quòd Ecclesia in Officio defunctorum (idem est de Officio alicujus Festivitatis vel Sancti) Psalmum aliquem vel quid aliud subinde recitet ob unum vel alterum versiculum ei convenientem; & proinde hinc non sequatur, reliqua posse aut debere intelligi de defunctis: totus autem Psalmus legitur per modum orationis vel laudis Dei, quibus juvari possunt defuncti.

III. Denique animæ in Purgatorio patiuntur pœnas illas in summa patientia: sunt enim pœnæ illæ, non quidem simpliciter vel absolutè, sed, ut ait S. Thom. conditionatè voluntariæ, inquantùm sciunt, illas Divinam Justitiam exigere, seque non aliter ad Beatitudinem posse pervenire.

IV. Exercent ibi quoque animæ continuos virtutum actus, præsertim charitatis; item actus fidei, quia nondum clarè vident Deum, & spei, quia licèt certæ sint de Deo possidendo, eum equidem nondum possident.

V. Per illos tamen actus non merentur; quia sunt in termino, in quo sicut non demereri, ita nec mereri possunt.

N. 30. DE ORATIONE ANIMARUM IN PURGATORIO.

I. *Animæ in Purgatorio orant pro seipsis.* II. *Verisimiliùs etiam pro nobis.* III. *Et probabiliter licet eas invocare.*

TAMETSI animæ in Purgatorio sint extra statum merendi & satisfaciendi, cùm eo tamen consistit, quòd orando aliquid à Deo possint impetrare, v. g. aliquam remissionem pœnæ, vel ut viventes ipsis applicent Sacrificia, Indulgentias, &c.

I. Porro animas in Purgatorio pro seipsis orare, nulatenus videtur dubitandum.

Quæstio est, an etiam orent pro nobis?

R. Quidam, ut Steyaert, Daelman, &c. negant; quia juxta S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 11. ad 3. cùm nobis sint inferiores quantùm ad pœnas, quas patiuntur, secundùm hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro ipsis.

II. Affirmant Bellarminus lib. 1. de Purgatorio c. 13. Estius in 4. dist. 45. §. 11. Sylvius Suppl. quæst. 71. art. 6. ad 1. &c. Animas in Purgatorio orare pro nobis, præsertim pro illis, qui orant pro ipsis: nec aliquid obstare videtur, cùm nobiscum sint in communione Sanctorum, & nos aliorum suffragiis indigere sciant: ergo etiam illæ orant pro nobis, dum nos oramus pro ipsis.

Obj. Animæ illæ ignorant, quis nostrum oret pro ipsis: ergo, &c.

R. Non est necesse, ut id noscant, possunt enim orare pro orantibus: deinde Angeli possunt id eis patefacere, vel Deus modo speciali; & licet in particulari non sciant, quæ apud nos agantur, sciunt tamen in generali, multas esse necessitates mortalium, & scire possunt ex notitia, antequam recederent, habitâ necessitatem familiæ, amicorum, Ecclesiæ, &c. Sic Moyses & Jeremias leguntur orasse pro populo ex notitia, quam hîc in terris habuerunt.

Ad locum S. Thomæ & alia quædam argumenta videri potest Sylvius.

An licet animas invocare, quæ sunt in Purgatorio?

III. R. Steyaertius notam singularitatis inurit illi, qui in praxi animas invocare vellet: sed in sententia Bellarmini id licet, sicut licet petere preces piorum hominum in terris viventium.

Interim Ecclesia in publicis precibus non solet animarum in Purgatorio suffragia poscere, nec eas invocare; tum quia saltem ordinariè, inquit Gotti, preces ad se directas non cognoscunt, tum quòd sententia hæc certa non sit.

D. 31. DE SUFFRAGIIS PRO ANIMABUS IN
PURGATORIO.

S. Thom. suppl. quæst. 71. art. 6.

- I. *Animæ in Purgatorio viventium suffragiis juvantur.*
 II. *Multiplicia sunt suffragia pro defunctis.* III. *Illa præstans non amittit meritum gloriæ.* IV. *Suffragia animabus pro quibus fiunt, prosunt infallibiliter.* V. *Pro damnatis vel jam beatis non fiunt suffragia.* VI. *Nec pro pueris post Baptismum mortuis.* VII. *Beati orant pro animabus in Purgatorio.*

I. An animæ in Purgatorio suffragiis vivorum juvari possunt?

R. Responsio affirmativa est de fide, definita in Concilio Flor. & Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. item sess. 25. initio decreti de Purgatorio.

Probatur ex communione Sanctorum, quæ est inter Ecclesiam militantem & patientem; nam juxta Apost. 1. ad Cor. cap. 12. membra ejusdem corporis pro invicem sunt sollicita, sibi mutuò compatiuntur & subveniunt.

Idem patet ex constanti, perpetua & universali Ecclesiæ praxi, ut vivere est N. 26.

Obj. 1. ad Cor. cap. 3. v. 8. dicit Apostolus: "Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;" & 2. ad Cor. cap. 5. v. 10. "Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum."

R. Variè ad textus illos responderi potest: 1º. Quòd animæ illæ in corpore existentes meruerint, ut sic juventur vivorum suffragiis, adeoque tantum propria corporis recipiant.

2º. Quòd tantum impertetur, unumquemque præmiandum vel damnandum propter propria opera, non propter aliorum.

3º. Et meliùs, quòd textus illi agant de mercede essentiali gloriæ vel damnationis, quæ uniuscujusque propriis meritis vel demeritis correspondebit: unde licèt animæ illæ suffragiis vivorum liberentur à pœnis Purgatorii, merces tamen seu gloria essentialis non erit

ideo major, sed præcisè tanta, quantam in terris meruerunt.

Quibus operibus seu mediis animæ in Purgatorio juvari possunt?

II. R. 1º. Juxta Concil. Trident. sess. 25. initio decreti de Purgatorio præcipuum est Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

2º. Indulgentia defunctis applicata, quæ scilicet ita est concessa, ut eis applicari possit. Vide Tract. de Indulgentiis.

3º. Orationes, eleëmodynæ & quæcumque alia opera bona ex charitate facta.

Dicitur: ex charitate facta; si enim operans, non esset in charitate seu statu gratiæ, opera ejus non esset propriè satisfactoria, nec meritoria ex opere operantis.

Sacrificium tamen Missæ prodest defunctis, licèt oblatum à Sacerdote in statu peccati mortalis; quia valet ex opere operato independenter à merito Sacerdotis.

Similiter suffragia facta nomine Ecclesiæ etiam semper valent impetratoriè; v. g. dum Sacerdos in Ecclesia cantat exequias mortuorum. S. Thom. Suppl. q. 71. art. 1.

Pariter eodem loco docet S. Thom. quòd suffragia per peccatorem facta prosint defunctis, si peccator agat ut instrumentum illius, qui in statu gratiæ existens ea fieri procurat seu jubet, quia opus instrumenti est agentis principalis.

Suffragia autem valere possunt per modum impetrationis, satisfactionis, vel meriti de congruo.

III. Nota, quòd opus pro defuncto factum possit facienti prodesse ad augmentum gratiæ ad meritum vitæ æternæ, inquantùm procedit ex gratia & charitate; atque ita operans non amittit meritum gloriæ. Ita S. Thom. quæst. cit. art. 4.

Imò, ut dicit Steyaertius Deus sæpe in hac vita suffragia pro mortuis facta remunerat bono aliquo temporali.

Non valent tamen suffragia illa operanti in ratione satisfactionis directè; quia hanc operans applicavit defunctis; eadem vero satisfactio non sufficit ad solvenda duo debita. Si tamen opus esset tantum, ut excederet debitum alterius, tunc excessus ille in ratione satisfactionis posset prodesse facienti.

An suffragia iis defunctis, pro quibus fiunt, prosunt infallibiliter?

IV. R. Verisimiliùs affirmativè: quia nullum in eis est impedimentum, & Deus videtur illa pro eis acceptare; cùm, ut dicit S. Thom. quæst. cit. art. 1. in *Corp.* “Ista opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis à faciente collata:” ita etiam habet sensus fidelium.

An verò prosint illis quoad totum, non ita constat: Suarez cum multis affirmat; sed Salmanticenses docent, quòd quidem infallibiliter earum pœnas minuant, ast quòd eas à tota pœna non semper absolvant, licèt suffragia illa condigna sint & redundantia.

Obj. Secundùm dicta divites videntur melioris conditionis esse quàm pauperes: atqui hoc dici non potest: ergo, &c.

R. Quòd plura pro divitibus suffragia fiant, hoc est per accidens: nihil autem prohibet juxta S. Thom. art. 12. ad 3. divites per accidens esse melioris conditionis quantum ad aliquid, cùm pauperes quoad alia similiter sint melioris conditionis: deinde quòd pauperes ex hoc capite minùs habent, fortè compensatur per hoc, quòd Deus illis applicet suffragia pro illis, qui damnati vel jam in Cœlo sunt, facta: vel etiam dici potest, quòd, licèt suffragia infallibiliter prosint illis defunctis, pro quibus fiunt, tamen à voluntate Dei dependeat, quòd totum, vel tantùm partem remissionis pœnarum consequantur; ita ut remissio pœnæ reguletur secundùm dispositionem & capacitatem illius defuncti, pro quo suffragia offeruntur: unde licèt pro anima divitis plura fiant suffragia, non sequitur, quod semper plus juvetur.

V. Damnatis suffragia non prosunt, nec etiam Beatis; unde pro iis, dum tales noscuntur, suffragia fieri nec debent, nec possunt. Quæ de liberatis ex inferno objici possent, soluta habes Num. 20 in fine.

VI. Pro pueris baptizatis & ante usum rationis mortuis non fiunt suffragia.

Nec obstat, Missarum solemnia quandoque pro ipsis celebrari; quia illa tantùm fiunt tum ad protestandam fidem futuræ resurrectionis ipsorum, tum in gratiarum actionem pro beneficio ipsis collato. Missam convenit dici *de Angelis*, cui jungi potest commemoratio pro defunctis consanguineis: si verò pro more loci cujuspiam fiat Missa *de Requiem*, pro animabus parentum vel consanguineorum pueri celebratur.

VII. Rectè etiam Sancti à nobis invocantur, ut apud Deum intercedant pro animabus in Purgatorio.

N. 32. COROLLARIUM.

SI tantæ sint, ut modò dictum est, Purgatorii pœnæ, & nos tam facilè & multipliciter animabus in eo detentis possimus succurrere, ne desistamus eis opem ferre, sic enim fiet, ut in Cœlum receptæ pro nobis similiter sint intercessuræ, ut beatum finem assequamur.

Quò ut pertingamus, Novissima nostra juxta monitum Ecclesiastici in omnibus operibus nostris memoremur, & jugem horum recordationem aliis quoque inculcemus, præcipuè si aliquando Concionatoris vel Confessarii munere fungamur; cùm tunc speciali titulo homines à peccatis avertere teneamur, & novissimorum recordatio efficacissimum sit contra peccata remedium.

Id tamen prudenter & cum cautela est præstandum, ne justum anxietatis complexionis hominem dejiciamus horrore tremendi Dei judicii & pœnarum infernalium; sed contrà talem spe gaudii cœlestis Dei munere obtinendi confortare debemus.

Ast terreni illi & animales, qui mundanis deliciis & affectibus ita immersi sunt, ut vix, quæ Dei sunt, percipiant, ac ideo non facilè rerum cœlestium amore trahuntur, strictissimi judicii, intolerabiliumque pœnarum inferni vivâ exhibitione meritò terrentur: sic v. g. ebriosum fortè cohibebit divitis Epulonis ob ignis ardorem sitis inextinguibilis; avaris & injustis proponi potest vilitas rerum temporalium & possessionis earum incertitudo, simul adjungendo parabolam divitis, Luc. cap. 12. à quo animam repetiit Deus, dum id minimè sperabat, & in bonis suis luxuriari stultè statuebat. Pariter ex parabola villici iniquitatis, Luc. cap. 16. eis proponi potest, quomodo ab istis tanquam administratoribus bonorum Dei exactissima post hanc vitam sit exigenda ratio.

Peccatis occultis & impudicis infectos fortè retrahet extremi judicii memoria, in quo omnia etiam occultissima facta, dicta, & cogitata, toti mundo manifestabuntur.

Denique bonus Pater-familias profert de thesauro suo nova & vetera, qui dum alios curat, seipsum non negligat, sed jugi novissimorum memoriâ se suosque à peccatis præservet, ut unâ cum eis ad æternam perveniat Beatitudinem, quæ noster est

APPROBATIO.

LEGI hunc Tractatum “de quatuor Novissimis,” qui non tantùm Fidei & moribus non adversatur, sed opus profundè doctum, pretiosum, præloque dignissimum constituit. Dabam Lovanii hâc 8 Februarii 1776.

F. JACQUES, *dict. JACOBI, S. T. L. Insign.*
Eccles. Colleg. S. Petr. Canon. Ap. Reg.
Libr. per Germ. Infer. Visit. & Cens.
Coll. Tril. Præs.

INDEX.

*Prior Numerus designat Numerum marginalem,
posterior indicat paginam.*

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

NUM.		PAG.
1	De institutione hujus Sacramenti, ...	1
2	De materia ejus remota, ...	3
3	De materia proxima, ...	5
4	De Uctionibus essentialibus, ...	6
5	De forma hujus Sacramenti, ...	9
6	De forma deprecativa, ...	11
7	De subjecto Extremæ-Uctionis, ...	12
8	Quibus infirmis neganda sit Extrema-Uctio	14
9	De effectibus hujus Sacramenti, ...	15
10	De effectu Gratiaë, ...	16
11	De Abstersione reliquarum peccatorum, ...	17
12	De Remissione peccatorum, ...	19
13	De Sanatione corporali, ...	19
14	De Præcepto Extremæ-Uctionis, ...	22
15	Iteratione Extremæ-Uctionis, ...	23
16	De Ministro Sacramenti Extremæ-Uctionis,	25
17	De Obligatione Pastorum administrandi hoc Sacramentum, ...	27
18	De cura & visitatione infirmorum, ...	29
19	De Sepultura Ecclesiastica, ...	30
20	De neganda sepultura Ecclesiastica, ...	31

TRACTATIBUS DE ORDINE.

1	De definitione & existentia Sacramenti Ordinis,	36
2	De institutione, numero & divisione Ordinum,	36

NUM.		PAG
3	An omnes ordines sint Sacramenta ?	... 41
4	De presbyteratu, 43
5	De Episcopatu, 46
6	De Diaconatu, 49
7	De Subdiaconatu, 50
8	De minoribus Ordinibus, 51
9	De attactu materiæ remotæ,	... 52
10	De effectu Sacramenti Ordinis,	... 53
11	De subjecto Sacramenti Ordinis,	... 56
12	De requisitis ad licitam & fructuosam susceptionem Ordinum, 59
13	De Ministro Sacramenti Ordinis,	... 65
14	De Ministro extraordinario Sacramenti Ordinis, 67
15	De Ministro Episcopatûs, 69

PARS PRIMA.

TRACTATUS DE SPONSALIBUS.

1	De definitione & divisione Sponsalium, ...	72
2	De consensu ad Sponsalia requisito, ...	74
3	De signis consensûs sponsalitiî, ...	75
4	De consensu Parentum, ...	76
5	De ætate requisita ad Sponsalia, ...	79
6	De Sponsalibus clandestinis, ...	84
7	De Sponsalibus conditionatis, ...	81
8	De pœna & arrha adjecta Sponsalibus, ...	81
9	De effectibus Sponsalium, ...	84
10	De necessitate Sponsalium, ...	86
11	De modis, quibus dissolvuntur Sponsalia, ...	87
12	De dissolutione Sponsalium per consensum contrahentium, ...	88
13	De dissolutione Sponsalium per votum, ...	90
14	De dissolutione Sponsalium per fornicationem	93
15	De dissolutione Sponsalium propter mutationem supervenientem aut defectum innotescentem, ...	96
16	De obligatione declarandi defectus occultos,	98
17	De dissolutione Sponsalium ratione conditionis non impletæ vel temporis elapsi, ...	99
18	De dissolutione Sponsalium per impedimentum dirimens Matrimonii superveniens, ...	101

19	Quid Sponsalia posteriora faciunt circa priora	102
20	De dissolutione Sponsalium per auctoritatem Judicis, ...	103
21	De impedimentis Sponsalium, ...	104
22	De impedimentis dirimentibus Matrimonium, non Sponsalia, ...	105
23	Quomodo procedendum Pastori cum Parochi- ano, qui cupit Matrimonio jungi, ...	107
24	De Proclamationibus antenuptialibus, ...	112

PARS SECUNDA.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

25	De varia acceptione & definitione Matrimonii	117
26	De institutione Matrimonii, ...	118
27	De præcepto Matrimonii, ...	119
28	De Matrimonio ut Sacramento, ...	121
29	De ministro Sacramenti Matrimonii, ...	122
30	De Materia & forma Sacramenti Matrimonii,	125
31	De dispositione ad susceptionem Sacramenti Matrimonii, ...	126
32	De effectibus Matrimonii, ...	128
33	De Matrimonio valido in ratione contractûs non Sacramenti, ...	129
34	De renovatione contractûs matrimonialis in ordine ad Sacramentum, ...	130
35	De Matrimonio inter absentes per Procura- tores, ...	131
36	De consensu matrimoniali, ...	134
37	De consensu conditionato, ...	136
38	De conditione impossibili & turpi, ...	138
39	De conditione repugnante substantiæ Matri- monii, ..	139
40	De conditione castitatis servandæ, ...	142
41	De conditione educandi prolem in infidelitate vel in hæresi, ...	143
42	De intentione & finibus contrahendi Matri- monium, ...	145
43	De bonis Matrimonii, ...	146
44	De bono prolis, ...	147
45	De bono fidei, ...	148
46	De debito conjugali, ...	149

NUM.		PAG.
47	De causis, ex quibus licet negare debitum conjugale, ...	151
48	De petitione debiti peccaminosa, ...	154
49	De voto in ordine ad actum conjugalem, ...	155
50	De dubio circa valorem Matrimonii, ...	158
51	De liceitate actus conjugalis & ejus finibus, ...	160
52	De actu conjugali exercito propter voluptatem, ...	162
53	De actu conjugali ad vitandam incontinentiam, ...	163
54	De peccatis carnalibus conjugum inter se, ...	166
55	De bono Sacramenti sive Matrimonii indissolubilitate, ...	169
56	De dissolutione Matrimonii infidelium in casu Apostoli I. ad Cor. cap. 7. v. 15, ...	170
57	De dissolutione Matrimonii rati non consummati per professionem solemnem, ...	172
58	De dissolutione Matrimonii per dispensationem Pontificiam, ...	175
59	An Matrimonium quoad vinculum dissolvi Possit propter adulterium alterius conjugis, ...	176
60	De libello repudii, ...	177
61	De Divortio, ...	179
62	De Polygamia, ...	184
63	De impedimentis Matrimonii in generali, ..	187
64	De potestate constituendi impedimenta Matrimonii, ...	188
65	De impedimentis Matrimonii impredientibus tantum, ...	189
66	De Ecclesiae vetito, ...	190
67	De tempore feriato, ...	ibid
68	De impedimento Sponsalium, ...	191
69	De impedimento voti, ...	192
70	De impedimentis Matrimonium dirimentibus, ...	193
71	De impedimento erroris, ...	196
72	De impedimento conditionis, ...	199
73	De impedimento voti, ...	200
74	De impedimento cognationis, ...	ibid
75	De modo computandi gradus consanguinitatis, ...	201
76	De gradibus consanguinitatis dirimentibus Matrimonium, ...	203
77	Quo jure consanguinitas dirimit Matrimonium, ...	204
78	De impedimento cognationis spiritualis, ...	207

NUM.		PAG.
79	De cognatione legali, ...	212
80	De impedimento criminis, ...	213
81	De impedimento ex adulterio sinè homicidio,	214
82	De impedimento ex homicidio sinè adulterio,	216
83	De impedimento ex adulterio & homicidio simul, ...	218
84	De impedimento disparitatis cultûs,	220
85	De impedimento vis, ...	221
86	De metu gravi, ...	222
87	De metu injusto, ...	223
88	De metu incusso ad extorquendum consensum,	225
89	Quo jure vis dirimit Matrimonium,	227
90	Corollarium, ...	229
91	De impedimento Ordinis, ...	230
92	De impedimento ligaminis, ...	231
93	De impedimento publicæ honestatis, ...	234
94	De impedimento publicæ honestatis ex Spon- salibus, ...	234
95	De impedimento publicæ honestatis ex Ma- trimonio rato non consummato, ...	236
96	De impedimento publicæ honestatis ex Ma- trimonio rato invalido, ...	237
97	De impedimento amentiaë, ...	238
98	De impedimento affinitatis, ...	239
99	De modo dignoscendi affinitatem, ...	240
100	Ad quem gradum affinitas dirimit Matrimo- nium, ...	242
101	Quo jure affinitas dirimit Matrimonium, ...	243
102	Resolutiones Casuum, ...	246
103	De impedimento Clandestinitatis, ...	249
104	Qualis sit Lex Concilii Tridentini irritans Matrimonia clandestina, ..	250
105	De Parocho assistente Matrimonio, ...	254
106	De Parocho Sacerdote, ...	256
107	De Parocho proprio, ...	258
108	De Habitatione Parochiali, ...	260
109	De Parocho Vagorum, ...	262
110	De præsentia Parochi & Testium, ...	264
111	De Matrimoniis clandestinis validis, ...	266
112	De Matrimoniis clandestinis in Hollandia, ...	268
113	De Matrimoniis Catholicorum in Hollandia,	270
114	De impedimento impotentiaë, ...	272
115	Corollarium, ...	275
116	De impedimento raptûs, ...	276
117	De distinctione raptûs impedimenti ab aliis,	279

NUM.		PAG.
118	De impedimento ætatis, 280
119	De modis convalidandi Matrimonium invalidè contractum, 281
120	De convalidando Matrimonio coram Parocho & testibus, 283
121	De modis perducendi nullitatis Matrimonii sui ignarum ad novum consensum, 286
122	De parte nullitatis sui Matrimonii conscia,	288
123	De officio Confessarii in causa Matrimonii invalidi, 289
124	Casus concernens hanc materiam,	.. 291
125	De impedimentis Matrimonio supervenientibus	292
126	De dispensatione super impedimentis Matrimonii, 293
127	De justis causis dispensandi,	... 294
128	De dispensatione sub vel obreptitiè obtentâ,	296
129	De Stylo Curiaë Romanæ,	... 298
130	De Dataria, 302
131	De Pœnitentiaria, 303
132	De dispensatione Episcoporum super impedimentis Matrimonii ex concessione Pontificis	308
133	De dispensatione Episcopi ex consuetudine,	309
134	Casus perplexus, 311
135	De Actibus turpibus post dispensationem inter Oratores habitis, 312
136	De prole illegitima ejusque legitimatione, ...	314

INDEX

TRACTATUS DE QUATUOR NOVISSIMIS.

Prior Numerus designat Numerum marginalem, posterior indicat paginam.

NUM.	PAG.
1 QUÆ hominis Novissima,	... 317
2 De Morte, 318
3 De Immortalitate Animæ,	... 319
4 De Resurrectione, 321
5 De tempore Resurrectionis,	... 322
6 De conditionibus resurgentium,	... 323
7 De qualitate resurgentium,	... 325
8 De Dotibus Corporis Gloriosi,	... 326
9 De Judicio, 328
10 De Judicio extremo seu universali,	... ib.
11 De Judice, Judicandis, & formâ Judicii,	... 330
12 De loco Judicii universalis,	... 331
13 De tempore Judicii universalis,	... 332
14 De signis Judicium universale præcedentibus,	333
15 De Antichristo, 334
16 De inferno, 335
17 De Igne inferni, 336
18 De Inferni vermibus, tenebris &c.,	... 338
19 De pœnis parvulorum in solo peccato originali decedentium, 339
20 De æternitate pœnarum Inferni,	... 341
21 An pœna Inferni aliquando diminuatur aut interrumpatur, 343

NUM.		PAG.
22	De intellectu & voluntate damnatorum, ...	344
23	De Cælo, ...	346
24	De locis, seu receptaculis animarum, ...	347
25	De Purgatorio, ...	349
26	De existentia Purgatorii, ...	350
27	De loco Purgatorii ejusque pœnis, ...	353
28	De duratione pœnarum in Purgatorio, ...	354
29	De statu animarum in Purgatorio, ...	356
30	De oratione animarum in Purgatorio, ...	357
31	De suffragiis pro animabus in Purgatorio, ...	359
32	Corollarium, ...	362

FINIS.

